



slav

7699.59.

35

*Wagner Library  
Foundation*

*Sept. 1910. 21/10/10  
by Hon. Wm. G. ... 14/10/10.*

HARVARD COLLEGE  
LIBRARY



FROM THE FUND GIVEN  
IN MEMORY OF  
GEORGE SILSBEE HALE  
AND  
ELLEN SEVER HALE








M. Törvényelmi Társulatnál

Dr. Krájcsik Jánosff rendelkezésére  
✓ Jykerai Nagy István - mely tisztelettel  
ajánlja.

1818-



NITRIA, UT OLIM FUIT.



EPISCOPATUS

NITRIENSIS

EIUSQUE PRAESULUM

MEMORIA

CUM

ICHNOGRAPHICIS TABELLIS

EXHIBENTIBUS

PRIOREM, AC MODERNAM FACIEM

CASTRI, ET CIVITATIS

NITRIENSIS.



*Inchoat. imp. Pannon. 1835.*

**POSONI 1838**

typis Heredum Belnay.

Slav 7699.59.35

*[Faint, illegible text]* ✓

*[Faint, illegible text]*

*[Faint, illegible text]*

HARVARD  
UNIVERSITY  
LIBRARY  
JAN 12 1972

Hale

**EPISCOPATUS**

**N I T R I E N S I S**

**EJUSQUE PRAESULUM**

**MEMORIA.**



---

---

## L. B.

**D**ubium non est, **E**piscopatum Nitriensem esse pervetustum, floruisseque dudum antea, quam Hungari Regioni dominarentur. Haec ipsa tantopere a nobis remota antiquitas causa est, quod illius Natales spissis contegantur tenebris, e quibus claram in lucem emergere, datum hactenus fuit nemini; etsi non pauci viri insignes, quibus nec ingenium, nec animus, nec subsidia defuere, studium, operamque suam ad id contulerint. Quàmobrem vestigia duntaxat, eaque subobscura premenda sunt, et in defectu monumentorum, quae rem evincant, conjecturis, gravibus tamen, et verisimilibus, utendum; ut ad id, quod veritati proximum est, accedatur. Magis explorata sunt ea, quae ad Antistites, qui Ecclesiam Nitriensem usque ad haec tempora moderabantur, resque ab eis gestas illu-

strandas, pertinent, Diplomatum fide, authenticisque Tabularii Nitriensis actis, firmata. Ex his multo accuratior, quam Catalogi hactenus editi, et manuscripti contineant, Episcoporum series collecta, et haud pauca, quae illos concernunt, in clariore luce collocata. Quum autem scriptionis scopus non alius fuerit, quam iis, qui Ecclesiam Nitriensem pro Matre habent, varias, quas illa temporibus variis perpessa fuit, vicissitudines, grata cum recordatione, in mentem revocare, et Antistitum, qui illi praefuerunt, nomina, ab oblivione vindicare, ab hoc scopo inscribitur *Memoria*. Duas complectitur Partes. De initiis, et vicissitudinibus Episcopatus Pars prima, altera recenset ea, qua sese exceperunt, serie, Episcopos. Priore, cum variae Nationes, temporibus diversis in Dominatu regionis, ad quam Nitria pertinebat, sibi successerint; nec omnes eodem tempore sese ad Christiana Sacra transtulerint, de singulis singillatim per tres sectiones agendum esse videbatur. Quid illae contineant, Index exhibet.

# Index Partis primae.

## SECTIO I.

	<i>Pag.</i>
§. 1. Nitriae Civitatis, a qua Episcopus Denominationem accepit, Descriptio - - -	1.
— 2. Initia Episcopus ad Marcomanos collocantur. Gentis hujus fata, et vicissitudines - -	5.
— 3. Illius ad Fidem Christi Conversio - - -	13.
— 4. Erectio Episcopus Nitriensis Fritigildae Marcomanorum Reginae tribuitur - - -	16.
— 5. Confirmatur ex Litteris Eugenii II. P. - -	19.
— 6. Illustratur ex Litteris Piligrini Laureacensis -	25.
— 7. Et Benedicti VII. P. - - - - -	31.
— 8. Sunnias primus Episcopus - - - - -	36.

## SECTIO II.

§. 1. Moravi occupant Regionem a Marcomanis derelictam. Horum Conversio per Uolfum Laureacensem Episcopus facta, per quem Sedi Nitriensi Alevinus Episcopus datus - -	43.
— 2. Magna Moravia sub Zventibaldo, seu Svatoplugo	49.
— 3. Cyrillus et Methodius, Moravorum Apostoli. Vichingi ad Episcopus Nitriensem sub Archiepiscopo Methodio, Provectio - - -	53.
— 4. An Graecum, seu Orientalem Ritum fuerint secuti? - - - - -	65.

## VI

	<i>Pag.</i>
§. 5. Magnae Moraviae fata, et Vicissitudines - -	68.
— 6. Ejusdem post Svatoplugi mortem per Hungaros occupatio - - - - -	70.
— 7. Episcopi Nitrienses sub Principibus Moraviae -	83.

### SECTIO III.

§. 1. De Statu Episcopatus Nitriensis sub Ducibus Hun- gariae - - - - -	86.
— 2. Num S. Stephanus Episcopatum Nitriensem con- diderit, vel instauraverit? - - - -	90.
§§. 3. et 4. Praji argumenta examinantur - -	98. 104.
§. 5. De Abbatia S. Hippolyti in monte Zobor ad Ni- triam, fundata - - - - -	110.
— 6. De Eremitis montis Zobor, SS. Andrea Zoë- rardo, et Benedicto - - - - -	123.
— 7. Sub Colomano R. Nitriae Praepositura major. Quando, et per quem Episcopatus instauratus? -	129.

## Partis secundae.

### Series Episcoporum Nitriensium.

§. 1. S. Besztertus, aliis Bisztritus - - - -	151.
— 2. Nicolaus I. - - - - -	153.
— 3. Saul (dubius) - - - - -	154.
— 4. Joannes I. - - - - -	156.
— 5. Thomas I. (dubius) - - - - -	159.
— 6. Everardus, seu Eduardus - - - - -	161.
— 7. Joannes II. - - - - -	162.

	<i>Pag.</i>
§. 8. Vincentius I. ad Bullam auream Andreae R. intrusus - - - - -	164.
— 9. Jacobus I. - - - - -	165.
— 10. De fundatione Abbatiae Szkalkensis; ejusdemque, uti et Altariae SS. Trinitatis cum Collegio Trenchiniensi Societatis Jesu unione. -	168.
— 11. Adamus I. (dubius) - - - - -	191.
— 12. Bartholomaeus - - - - -	193.
— 13. Adamus II. - - - - -	194.
Libertates hospitibus de Nitria per Be-	
lam IV. R. concessae - - - - -	196.
— 14. Nicolaus II. - - - - -	203.
— 15. Vincentius II. rectius I. - - - - -	504.
— 16. Petrus I. Frater Comitis Vyd - - - - -	205.
— 17. Pascha, seu Pascasius - - - - -	207.
Donatio hospitem Regiorum, et Civitatis	
Nitria Episcopo facta - - - - -	208.
— 18. Joannes III. - - - - -	223.
Privilegium super Honore, et Dignitate	
Comitatus Nitriensis, Episcopo huic et Successoribus Jure perpetuo collata - - -	224.
— 19. De Abbatia Koloss B. M. V. ejusdemque vicissitudinibus - - - - -	244.
— 20. Mesko, seu Michael I. - - - - -	249.
— 21. F. Vitus Vasváry - - - - -	252.
— 22. Nicolaus III. de Monoszló - - - - -	264.
— 23. F. Stephanus I. - - - - -	268.
— 24. Ladislaus I. de Demjen - - - - -	271.
Eleffanthensis Caenobii Paulinorum Erectio	274.
— 25. F. Dominicus - - - - -	276.
— 26. Demetrius electus - - - - -	277.

## VIII

	<i>Pag.</i>
§. 27. Gregorius I. - - - - -	278.
— 28. Michael II. - - - - -	279.
— 29. Petrus II. - - - - -	—
— 30. F. Hincó, seu Henricus, simul Gubernator Ab- batiae Zobriensis - - - - -	280.
— 31. Georgius I. de Berzencze - - - - -	283.
— 32. Dionysius de Széch (dubius) - - - - -	284.
— 33. Nicolans IV. - - - - -	285.
— 34. Albertus de Hangács - - - - -	287.
— 35. Elias - - - - -	289.
— 36. Thomas II. de Debrenthe - - - - -	290.
Occupatio Documentorum, et Bonorum Abbatiae Zobriensis - - - - -	
	294.
— 37. F. Gregorius II. - - - - -	299.
— 38. Antonius I. - - - - -	302.
De Unione Praepositurae Dömössiensis in forma con-cambii cum Episcopatu Nitrien- si in vicem ablati Castri Hricsó, et Biche -	
	303.
— 39. Nicolaus V. de Bachka - - - - -	310.
— 40. Sigismundus C. Thurzó - - - - -	317.
— 41. Stephanus II. Podmaniczky - - - - -	318.
— 42. Franciscus I. C. Thurzó - - - - -	326.
— 43. Paulus Bornemisza - - - - -	328.
— 44. Zacharias Mossóczy - - - - -	331.
— 45. Stephanus III. Fejérkövy - - - - -	333.
— 46. Franciscus II. C. Forgách - - - - -	335.
— 47. Stephanus IV. Szuhay - - - - -	342.
— 48. Valentinus Lépass - - - - -	345.
Synodus Solnae et Bittsae ministrorum Augustanae Confessionis - - - - -	
	346.

	<i>Pag.</i>
§. 49. Joannes IV. Telegdy - - - - -	351.
Conventus PP. Franciscanorum Nitriae; et Conventus eorundem Pruszkæ Erectio -	359.
— 50. Stephanus V. Bosnyák - - - - -	360.
— 51. Joannes V. Püsky - - - - -	362.
— 52. Georgius II. Szelepcsényi - - - - -	363.
Solnam PP. Societatis Jesu inducti -	364.
— 53. Leopoldus C. a Kollonich - - - - -	368.
Conventio Kollonichiana cum Fisco R. quoad substantiam decedentium Episcoporum, et Praelatorum - - - - -	371.
— 54. Thomas III. C. Pálffy ab Erdőd - - - - -	377.
— 55. Joannes VI. Gubassóczy - - - - -	379.
— 56. Petrus III. Korompay - - - - -	381.
— 57. Jacobus II. Hasko - - - - -	383.
Conventus FF. minorum Beczkoviensis Erectio - - - - -	386.
— 58. Blasius Jáklin - - - - -	387.
Eremitarum Camaldulensium in monte Zobor fundatio - - - - -	—
— 59. Ladislaus II. Mattyassovszky - - - - -	397.
Patrum a Scholis piis nuncupatorum Ni- triae fundatio - - - - -	—
PP. Trinitariorum de redemptione Capti- vorum Illaviae - - - - -	408.
FF. Minorum S. Francisci Solnam inductio -	—
— 60. Ladislaus III. Adamus C. Erdőd - - - - -	410.
— 61. Joannes VII. Ernestus C. ab Harrach - - - - -	413.
— 62. Emericus C. Eszterházy de Galantha - - - - -	414.
— 63. Joannes VIII. Gustinyi - - - - -	415.

Bulla Pii VI. P. super Parochiarum 13 e  
Strigoniensi dismembratione, et cum Dioe-  
cesi Nitriensi Unione - - - - - 419.

Nova Praepositi Majoris in Capitulo Ni-  
triensi fundatio; et Dominii Szkacsán, prout  
et Praepositurae Dömössiensis ab Episcopatu  
Nitriensi avulsio - - - - - 426.

§. 64. Antonius II. C. Révay - - - - - 447.

— 65. Franciscus III. Xav. Fuchs - - - - - 449.

— 66. Josephus I. Kluch - - - - - 458.

Episcopatus Nitriensis onerosa regulatio 459.

— 67. Josephus II. Vurum - - - - - 466.

---

# P A R S I.

## De Antiquitate, variisque fatis Episcopatus Nitriensis.

---

### S E C T I O I.

#### De prima ejusdem Origine.

##### §. I.

##### Unde denominatus?

**N**itriensis Episcopatus suam habet Denominationem non a Comitatu, seu Provincia Nitriensi, ut vult Prajus, sed a vetustissima, quae ipsi etiam Comitatu nomen dedit, Civitate Nitria, antiquis Nitra via, Nitra va, et Nitra vocitata: in hodiernae Hungariae parte, quae nobis Cis-Danubiana dicitur, eaque regione sita, quam illo tempore, quo Romani sub Caesare Augusto Pannoniam, cujus limes versus septemtrionem Ister, seu Danubius fuit, occupaverant, primum Jazyges Sarmatae, dein his ereptam, Quadi, et Marcomani colebant. Ad septemtrionem inclinat. Situ est peramaeno. Ea namque parte, qua ad septemtrionem desinit, montem praealtum respe-

ctat, cui **Zoborio** nomen. Illi crepido nubibus imminens, spatiosa, planaque: mox defluum addensa, proceraque arbos usque ad umbilicum obnubit. Propius ad montis pedem vineta, pomariaque, per plura passuum millia, circumquaque porriguntur. Tum ager fertilis subjacet. Inde flumen (**Nitram** vocitant) altum, patensque Civitatem, quanta fere est, nativo circo incingit. Septemtrionem, orientemque versus illecebrosa, succidoque laeta gramine, atque aequabili planitie longe, lateque diducta prata. Ad occidentem, et meridiem **Clivi**, crispo cespite viridantes. Inde arva aperta. Vineta rursum: postea sylvae.

Haec inter **Naturae Decora**, **Nitriae Civitas** hilaris assidet, bicollis ipsa; atque gemina. Superior videlicet altera, altera inferior. Extremae rupi **Arx** insistit, olim **Principum Regioni** dominantium **Domicilium**, nunc sedes **Episcopi**; **Propugnaculis**, murisque editis, et hinc vallo de petra cavato; inde praecipitio inaccessa defensa. In corde **Castri**, sive **arcis**, **Palatium**, **tricliniis**, **cameris**, **conclavibusque** ad necessitatem, commoditatemque instructum. Huic adnexa **Ecclesia Cathedralis S. Emeramo M. dicata**, eaque gemina: vetusta scilicet, sub **Principe Marahano**, ut putatur, structa; recentior altera, ad quam ex antiqua illa per marmoreos gradus ascenditur, auro, gypso, marmoribus, vivisque coloribus eleganter illustrata; super cujus porticu vasta, productaque turris, **Statuis Divorum** ornata, cuproque contacta, cuius in medio **Bibliotheca**, et **Archivum**; apud summum aera **Campana** justae magnitudinis, et

Horologium, quod post quadrantes singulos horam repetit. Dilabitur demum Collis arcem sustinens in planitiem per gyrum, in qua Civitas superior incubat. In hac Canonorum, Nobiliumque decentes aedes, Seminarium Clericorum capax, et Domus quieti sacrorum Curionum, aetate, viribusque fractorum, destinata. Beati postea Francisci filiorum numerosus Conventus, Templo, turrique conspicuus. Portam Urbeculae Curia provincialis perampla adornat. Ambitur inde muro validiore, hinc vallo; atque intercurrente fluminis brachio a Civitate inferiori discriminatur. Amplior ista multo maxime. Templo Parochiali, altero Xenodochii, tertio Divi Regis Ladislai, quarto S. Regis Stephani honestata. Scholis pro tenera utriusque Sexus pube provisae. Cives alit, qui negotiationi, artibusque, aut etiam Oeconomiae sese dedunt. Contra Castrum Episcopale alterum collem apud finem protendit, undique spectabilem: cui impositum nobile, ac spatiosum Collegium Patrum, de Scholis piis nuncupatorum, cum aede sacra magnifica, turribusque geminis, cu-pro contectis. Convictus item, quod ajunt Nobilium adolescentum; Gymnasium praeterea peramplum. Universis deinde, quae usui, aut etiam voluptati humanae sunt; haud mediocriter abundat. Atque, tametsi plurima, tamquam ad emporium Provinciae, frequenti mercatu, bis videlicet quavis hebdomade inferantur aliunde; tamen haud equidem modicas rerum species habet ipsa domi, ipsa progignit, ipsa educat:

Illi lanigeræ pecudes, validique juvenci:  
 Illi lassa suis (quæ turgent) uberibus bos;  
 Atque paludosam sus farta, frequensque per ulvam;  
 Pulcher item, ac docilis sessorem ferre Caballus,  
 Natus et incurvo currum deducere collo,  
 Efflareque cavis generosas naribus auras.  
 Et quæ lustra habitant, et quæ quocunque feruntur,  
 Illi rure ferae; volucrum genus, et genus omne  
 Altilium; varii specieque, saporeque pisces.  
 Nec minus herbarum sors omnis, edacis aceti  
 Quas liquor, et placidæ præmollit succus olivæ.  
 Tumque olus ingentis folii, radicis opimæ,  
 Capituloque tumens grandi, scapoque præalto,  
 Et Betae, flavumque siser, pigrumque papaver.  
 Allia non desunt, non (ruris aromata) caepæ,  
 Nec rapæ teretes, nec tressis edulia porri.  
 Quæque suas onerant placidissima pondera Matres,  
 Succida poma, nuces, pira lenia, caerulea pruna,  
 Persica (cretensi deductaque Cydone) mala,  
 Mespila, moraque, merasa, sorbaque, cornuaque dura.  
 Caerasa præ reliquis, et humi nascentia fraga.  
 Dives ad hæc, et adulta seges; quid denique multis?  
 Arva feracia, robora caedua, roscida prata;  
 Cunctaque Pomonæ, deformis cuncta Priapi,  
 Et Cæreris, Bachique, et magni munera Panos.

## §. 2.

## Apud Quados, et Marcomanos

Dum apud Quados, et Marcomanos, quorum hodie non alia, quam in historiis memoria superest, Incunabula Episcopatus Nitriensis perquirere aggredior: vereor, ne mihi contingat, quod plerisque eorum, qui Ecclesiae alicujus, praesertim pervetustae, origines scribunt. Vitio namque illis dari consuevit, cum monumenta deessent, illos conjecturis uti, ut Institutionem suarum Ecclesiarum ad primae aetatis tempora referre, Parentemque, et Conditorem aliquem ex Apostolis, aut Viris Apostolicis facere possint. Ast: quid agam? Apud Gentem barbaram, continuis bellis occupatam, primas Institutionum origines, litteris consignatas non fuisse, perfacile percipi potest: itaque conjecturis etiam aliquid tribuendum esse, praesertim si ex facto certo, et indubitato deducantur; hisque, si minus certitudinem demonstrari, ad id tamen, quod veritati proximum est, accedi, nemo negaverit. Atque ad primam quidem originem Episcopatus Nitriensis quod attinet, sequor hac in re plurimum gravissimorum auctorum vestigia. Nam Prajus ipse, tametsi alterius esset opinionis, apertis verbis ait, plerorumque opinione Episcopatum Nitriensem sub exitum saeculi quarti a Fritigil Regina Marcomanorum fuisse primum institutum. De horum itaque fatibus pauca attingere, res ipsa deposcit.

**Marcomanorum Gens, teste Tacito, Svevicae originis, ante natum mundo Salvatorem jam nota, eo tempore, quo Pannonia per Romanos occupata, et in Provinciam redacta fuit, legibus Romanis gubernata, in opposita regione trans Istrum, proprium habuit Regnum, et Regem Marobudum nomine. Princeps iste in aula Augusti Caesaris Romae educatus, militaribusque Romanorum artibus instructus, mox atque Marcomanis, qui in hodierna Moravia, extraque ejus limites consederant, praeesse caeperat, ad suam potentiam augendam alias Gentes, quae Terras illas insederant, partim armis subjugare, partim inita societate ab se dependentes efficere tentavit. Sedebant vero a Tybisco usque flumen Cusum (Vagum) Jazyges Sarmatae, quorum Terminos Timon definit, toto Tybisci alveo, montibus Sarmaticis, et Danubio. „Sunt autem, inquit, Ptolomaeo montes Sarmatiae, modernae Hungariae montes Arvensis, Liptoviensis, Zoliensis, et Barsiensis Comitatum; a Polonia usque ad Danubium, et Vaciam porrecti.“— A Cuso, seu Vago usque ad Marum, seu Moravam degebant Quadi: et teste Tacito, Gothini, et Osi terga Marcomanorum, Quadorumque claudebant, tributarii in parte Sarmatis, in parte Quadis. — His Gentibus partim sociis, partim tributariis, aucta Marobudi potentia, Pannoniis Romanorum periculosa videbatur: hujus diminuendae, periculique propulsandi causa Caesar Augustus Marcomanis bellum inferendum decrevit; cui gerendo Tiberium cum Legionibus a Pannoniae finibus evocatum, praefecit: sed Tiberius, dum omnia ad conflictum parata erant,**

acceptis nunciis intellexit, in Pannonia et Dalmatia orta seditione, has provincias ab imperio Romanorum desciscere: eapropter ad opprimendam domesticam seditionem vires omnes convertendas esse arbitratus, magnis itineribus, in rebelles properavit. Et ne barbari, dum Legiones Romanae alibi occuparentur, transito Istro, Romanas invaderent Provincias, Drusus a Caesare ad tutandos limites, et sub fucata specie concludendae Pacis missus, Cadualdum (Gotvaldum) Gothinorum Regulum in Marcomanos concitavit. Hic Marobudum bello adgressus, ad Romanos fugere coëgit, a quibus toto vitae suae tempore Ravennae detinebatur. Brevi post haec tempore, idem fatum expertus fuit Cadualdus, qui Regnum usurpaverat; expulsus, apud Romanos salutem quaerere coactus. Barbari, scribit Tacitus, qui hos Reges comitati sunt, ne Provincias quietas turbarent, redire jussi sunt, et ultra Danubium inter fluvios Marum, et Cusum (Moravani, et Vagum) locati sub imperio Regis Quadorum. Ab hoc videlicet tempore Imperatores Romani Jus sibi vendicabant, pro suo arbitratu, Genti Marcomanicae Reges dare, Vanniusque natione Quadus iis per Drusum impositus. Clientelaris iste Romanorum Rex, toto diuturni sui regiminis tempore Pacem cum Romanis coluit; sed limites Regni sui protendere sollicitus, cum Jazygibus Sarmatis bellum gessit, hosque de Regione intra Vagum, et Granum sita decedere coëgit, ultra Granum retrusos. Ita Nitria Jazygibus Sarmatis erepta, ad Quado-Marcomanicum Regnum pertinere caepit. Per Lustra sex Vannius imperaverat; dum per suos ex

sorore nepotes Vangionem, et Sidonem excitata se-  
 ditione, Regno privatus, exulareque coactus fuit.  
 Hi Romanis non invitis Regnum inter se partiti sunt  
 „egregia, addit Tacitus, adversus nos fide“ scilicet:  
 Romani sperabant, Regno diviso, minus periculi Ro-  
 manis Provinciis esse metuendum. Quae quidem spes  
 fefellit, tum quod bini hi Reges adversus Romanos,  
 quos oderant, sese arctissime junxerint; cum vel  
 maxime, quod separatio haud fuerit diuturna. Nam  
 Sidone, cui obtigerant Quadi, in bello adversus Ja-  
 zzyges Sarmatas sive enecto, sive, ut quidam volunt,  
 aquis Vagi hausto, Vangio utrique Genti imperavit.  
 Etsi vero aliquamdiu ab armis et infestationibus Pro-  
 vinciarum Romanarum cessatum fuerit: odium tamen  
 adversus Romanos, veluti libertatis suae oppressores,  
 in animis illorum exstingui adeo non potuit, ut de  
 Jugo excutiendo solliciti, cum caeteris barbaris, Re-  
 gionem incolentibus, universim in perniciem, ever-  
 sionemque rei Romanae conspirarint; unde sub Mar-  
 co Aurelio ortum gravissimum bellum, quod in hi-  
 storiis Marcomanicum appellari consuevit. Dum  
 Is Parthico bello occuparetur, Marcomani hac op-  
 portunitate in rem suam usi, cum suis foederatis  
 Pannoniam, Noricumque ingressi, oppidis, vicis va-  
 stitate illata, populabundi usque Aquilejam pertige-  
 re, Italiae, reiue Romanae excidium minitantes.  
 Illic cum Legionibus Romanis occurrit Imperator.  
 Cruento bello, datis, et acceptis cladibus, per plu-  
 res annos continuato, effectum demum fuit, ut bar-  
 bari retro se, unde profecti erant, recipere debue-  
 rint: qua illi adversitate necquidquam tacti, bellum

ducere perseverarunt. Imperator ad Carnuntum (Petronellam) consistens, facile prospexit, Provincias Romanas non fore tutas, nisi in hostili solo Praesidia et Munimenta struantur, quibus miles Romanus impositus, limites tueatur, arceatque incursionès barbarorum. Nec mora: traducto per Istrum exercitu, totius belli molem in hosticum transfert, in Regione Quadorum barbaros adgressus. Variante fortuna quintum in annum decertabatur, quin barbari in ordinem redigi, aut ad petendam pacem compelli potuerint. Anno post Christum natum 175to Barbari hi dolo usi, simulata fuga, Imperatorem minus caute sequentem, ad talem locum deduxere, ubi se cum suo exercitu montibus undique clausum, et multitudine hostium circumdatum conspexit; ea etiam, longèque gravissima calamitate accedente, quod exercitus Romanus maximo solis ardore, hostem persequendo, pluribus diebus, sitim tolerare debuerit, defuissetque aqua, qua eam levare potuisset. In tanto periculo exercitui Romano pereundum fuisset, ni Coelum prodigioso imbre recreasset Romanos; barbaros vero partim fulminibus, igneque Caelesti territos, partim militis Romani, aqua pluvia recreati, fortitudine stratos, in fugam coniecisset. Pluviam hanc, quam ipse Imperator in suis ad Senatum Litteris, prodigio adnumeravit, precibus Legionis Melitinae, quae e Christianis constabat, fulminatrix dicta, impetratam fuisse, scriptores Christiani adnotarunt. Quo loco pugnatum fuerit, clare expressum nusquam legimus. In hostili solo, terra Quadorum, in Germania, ad quam Terra Quadorum pertinebat,

pugnatum fuisse, e Litteris Imperatoris, ad Senatum Romanum datis, colligitur. Joannes Severini in Com. hist. de vet. hung. Inc. eam pugnam putat evenisse prope Nitriam ad montes Ghymessienses. Bredeczky locum inter montes Malaczkenses designat; alii alibi.

Quidquid ejus sit: postquam M. Aurelius fugatis hostibus, gloriosam reportasset victoriam, omnem regionem inter Danubium, et Juga Carpati circum-eundo, locis ad id opportunis Castella, et munimenta erigenda disposuit; et Pacem, quam barbari petiere, ea ratione concessit: ut Quadi cum Marcomanis omne foedus rescindant; Captivos romanos reddant, annum tributum solvant; in neo-erigendis munimentis romanum militem patientur; et Regi, qui per Romanos datus fuerit, pareant; Furtio quodam iisdem Rege dato, — Marcomanis vero ea conditione Pax concessa, ut ad stadia octo supra triginta remotas a Danubio sedes habere teneantur. Coaluit quidem Pax, ast minime diuturna. Genti libertati assvetae conditio omnium molestissima fuit, qua impositum erat, non alteri, quam ab Imperatore dato Regi, subesse. Dominationem Furtii haud aequo animo tolerantis, novum sibi Regem elegere Ariogisum. Atque haec recrudescentis belli causa fuit. Etsi vero novellus Rex in praelio per Romanos captus, et in Aegyptum fuisset deportatus; tamen Pax adeo non fuit reddita, ut M. Aurelius rursus cum filio Comodo in Pannoniam venerit, ad barbaros in ordinem redigendos. Biennio fortissime restitere, donec semel ac iterum ingenti clade prostrati fuis-

sent. Imperator ob continua ista bella apud animum suum proposuerat, omnem Regionem a barbaris inessam in Provinciam redigere, Legibus romanis, more aliarum, gubernandam. Verum dum haec mente versabat, Vindobonae 180 anno supremum vixit.

Comodus filius et successor, inita Pace, Castella et munimenta, quae Pater erexerat, barbaris reliquit, id unum stipulatus, ut sedes suas ad duo miliaria a Danubio removerent, et Romanis, dum postulaverint, auxiliares essent, obsidibus in fidem datae sponsionis acceptis. Hac Pace quietiores rediti, longiore tempore ab inferendis hostilitatibus desiere. Imo res illorum crescere videbantur, dum Imperator Gallienus filiam Attali Regis Marcomanorum, Pippam nomine, Puellam excellentis formae, mercatus est sibi in uxorem, concesso Patri ejusdem aliquo superioris Pannoniae tractu, a Marcomanis dein incesso, sed per Aurelianum, aut Probum Imp. iterum revindicato, Marcomanis ad pristinas sedes retrasis. Atque hi quidem deinceps Romanis parum molestiarum facessiverunt. Plus Quadi, qui ab armis diu nequibant quiescere. Incursiones illorum in Pannoniam causam dederunt, cur Imp. Valentinianus I. non vetera tantum munimenta instauranda; sed nova quoque in Insula Cituorum (Csaloköz) ad Quadorum Ditionem pertinente, excitanda praeceperit. Ad hoc perficiendum missus Marcellianus Comes Confinii, opus, reclamantibus Quadis adgressus fuit; „Gabiniumque Regem, ut Amianus L. 29. habet, ne quid novaretur modeste poscentem, ut assensurus, humanitate simulata cum aliis ad convivium corro-

gavit: quem digredientem post epulas hospitalis, officii sanctitate nefarie violata, trucidari securum effecit. Cujus rei tam atrocis disseminatus rumor illico per diversa, et Quados, et Gentes circumspicitas efferavit, Regisque flentes interitum, in unum coactae, misère vastatorias manus, quae Danubium transgressae, cum nihil exspectaretur hostile, occupatam circa messes agrestem adortae sunt plebem; majoreque parte truncata, quidquid superfuit, domum cum multitudine varii pecoris adduxerunt — villarum cineribus exustarum, caesorumque incolentium exsultantes aerumnis, quos nec opinantes sine ulla parsimonia deleverunt.“ Strage hac excitus Valentinianus Imperator in Pannoniam profectus ad ruinas Carnunti, per Quados eversi, Castra metatus, postquam iteratis praeliis barbaros prostravisset, hyeme jamjam imminente Bregetionem (Szóny) ad hyberna se recepit, quem Legati Quadorum secuti fuerant, Pacem petituri. His in conspectum suum admissis, exauditisque, Imperator vehementius, ut putatur, ira commotus, brevi rebus humanis ereptus est. Ab hoc tempore Quadi adeo diminuti, debilitatique fuerunt, ut nihil amplius per se moliri ausi, aliis barbaris, qui Provincias Romanas invaserant, juncti, postremum Vandalis associati, sedes suas reliquerint, atque ita proprium Gentis suae nomen amiserint.

Marcomani tantisper feliciores; quia Pacem cum Romanis inquam religiose coluerunt, et in eorum fidelitate constantes perseverarunt. Dedit hujus fidelitatis praeclarum specimen Frigedildus Rex Marco-

manorum anno 376, qui in Pannonia cum Gothis pro Romanis pugnavit, et Ducem Gothorum interfecit, appellatus propterea, ut Marcell. scribit, perpetuus amicus Populi Romani. Perfruebantur hac Pace, donec Attila Hunnorum Rex orbem terrarum extremo terrore concuteret, et undique vastitatem Regionibus inferret. Percursatis enim Orientis Provinciis, Pannoniam, et occidentale Imperium infestis armis molestare caepit. Ad Marcomanos quoque sub jugum mittendos progressus, foederi Romano eos nuntium mittere coegit; initaque cum illis armorum societate, adjunctis etiam Sarmatis, et Gepidis, immensa cum multitudine iter ad Rhenum suscepit. Postquam Attila e vivis excessit, Ardericus Gepidarum Rex, primus eorum, qui Imperio Hunnico parebant, arma corripuit, seque a jugo hunnico liberavit; mox etiam Marcomani id ipsum factitarunt, seque in libertatem asseruerunt; qui post disceptum in multas partes occidentale Imperium, inito cum Orientis Imperatoribus Marciano et Leone foedere, tamquam armorum socii, ad varia bella adhibiti, sedibus suis decedentes, sensim et ipsi propriam Gentem constituere, et sub Marcomanorum nomine memorari desiere.

### §. 3.

#### Ad Fidem Christi conversos

Enarratis Marcomanorum factis, videamus, quando, quoque modo illorum conversio facta sit. Si re-

rum bojoaricarum, et laureacensium scriptores au-  
diantur, sunt, qui Marcomanis primo statim Eccle-  
siae Christianae saeculo aliquam Evangelii lucem or-  
tam fuisse velint, Laureaco, veteris Norici urbe, ad  
illos propagatam. Ajunt nempe: sub diuturno Van-  
nii, quem Drusus Regem imposuit, Regimine, Pacis  
cum Romanis cultae tempore, Laurentium Episcopum  
Laureacensem, zelo propagandae Religionis ductum,  
in vicinam Regionem Quadorum, et Marcomanorum  
penetrasse, illucque fidem Christi intulisse. Alii:  
Syrum, et Juvencium S. Petri Discipulos, Laureaci  
Evangelium annuntiasse, et Proflaminum Sedem, in  
verae Religionis Cathedram convertisse tradunt, in-  
deque per viros sanctitate insignes ad Pannoniam,  
vicinamque Regionem Quadorum, et Marcomanorum  
Lucem Evangelicam propagatam fuisse. Hanzichius  
in germ. sac. scribit, ipsos hos S. Petri Discipulos  
Syrum et Juvencium apud Marcomanos praedicasse  
Evangelium sub Rege Vannio, qui pacis cultae gratia  
non adversabatur. — Illud ex Cuspiniano constat,  
saeviente cruenta persecutione Neronis, non paucos  
e vicinis Provinciis Romanorum in Regionem Marco-  
manorum venisse Christianos, ibidem libere Religio-  
nem suam professos. Quod quidem eo est credibilis,  
quo certius est, testante Velejo Paterculo, jam ante  
eam persecutionem Christianorum complures apud  
Marcomanos perfugium quaesivisse. „Gentibus, ait  
ille, hominibusque a nobis desciscentibus, erat apud  
eum (Marobudum) perfugium.“ Tametsi vero ex  
his nequeat inferri, conversiones aliquas apud bar-  
baram hanc gentem factas fuisse; et si quae factae

fuissent, illae ad universam gentem non pertinuerint; illud tamen boni praestiterunt, quod Religio Christi apud eos non manserit prorsus incognita. Gentis hujus conversio sub exitum Saeculi quarti anno 396. per Reginam *Fritigil* facta est, quae et ipsa Christo credidit, et virum suum *Rosemundum Regem Marcomanorum* cum maxima Populi sui parte ad Christum adduxit. Hujus rei testis est synchronus scriptor, *Paulinus in vita S. Ambrosii*, qui rem ita narrat: „Per illud tempus *Fritigil* quaedam Regina Marcomanorum, cum a quodam viro Christiano, qui ad illam forte de Italiae partibus advenerat, referente sibi, audiret famam viri (*Ambrosii*) Christo credidit, cujus illum servum recognoverat, missisque muneribus placatos ab Ecclesia postulavit, ut ipsius scriptis, qualiter credere debeat, informaretur: ad quam ille *Epistolam praeclaram* fecit in modum *Catechismi*, in qua etiam admonet, ut svaderet viro suo, Romanis pacem servare. Qua accepta epistola, mulier svasit viro, et cum Populo suo se Romanis tradidit. Quae cum advenisset *Mediolanum*, plurimum doluit, quod *S. Sacerdotem*, ad quem festinaverat, minime reperisset: jam enim de hac *Luce* migraverat.“ Ita *Paulinus*. Porro dubitandum non est, etsi *Paulinus* taceat, *Simplicianum Ambrosii* successorem, et virtutum ejus aemulatorem, nihil eorum praetermississe, quae ad excolendam omni officiorum genere Reginam, peregre Religionis causa advenientem, pertinerent, authoremque fuisse, ut *redux in Patriam*, pro propaganda, firmanda, constabiliendaque in Populo Religione, Hierarchiam induceret;

et credere licet, Reginam studio promovendae fidei accensam, perficiundo huic operi incubuisse. Id ut credamus, argumento est, quod ipsa ex consilio Ambrosii svasit viro suo, ut cum populo suo se traderet Romanis; tanto ergo magis in eo elaborare haud neglexerit, ne quid deesset, quod ad propagandam, constabiliendamque Religionem pertineret. Hujusmodi conatibus Reginae Fritigil conversionem Marcomanorum perfectam fuisse, tam veterum quidam, quam recentiorum Scriptorum plerique consentiunt; quos longa serie recensere superfluum foret.

#### §. 4.

### Prima initia Episcopatus.

Apud gentem barbaram, continuis bellis occupatam, cultura, literaturaque destitutam, aetate a nobis tantopere remota, in densa illa caligine, origines Institutionum ad posterorum memoriam literis consignatas non fuisse; proinde primam Episcopatus institutionem e monumentis aetatis illius, Documentisque erui non posse, quisque facile perspicit. Etsi vero hac in re vix quidpiam ultra conjecturas dici possit: tales tamen sunt, quae in adjunctis, reique natura, ac usitato alibi gentium more fundatae, rem ipsam valde credibilem, et maxime verisimilem efficiunt. — Certe: verisimile, facileque creditu est, Fritigil Reginam, postquam Regem virum suum, majoremque subditae gentis partem per se, et opera Virorum apostolicorum, ad se missorum, aut Medio-

lano adductorum, ad Fidem Christi adduxisset, eo curas, studiaque sua convertisse, ut apud gentem neo-conversam Religio ampliores agat radices, firma et stabilis persistat; hocque fine Episcopatus instituantur. Nam hoc apud quasvis Gentes, Christi fidem amplexas, factitatum fuisse, historia docet. Forte hac etiam de causa Mediolanum properavit Regina, ut a S. Ambrosio edoceatur, quomodo novella Ecclesia sit ordinanda. Tametsi vero virum Sanctum in vivis non reperisset, haud dubie a successore Episcopo Simpliciano, Cleroque Mediolanensi edocta fuerit, absque hierarchia, et Episcopatu Religionem diu incolumem, stabilemque non posse persistere; ac ideo redux in Patriam, ab exemplo Provinciarum Romanarum, Pannoniae, et Norici, in quibus florens erat Christiana Religio, in sua Ditione Episcopatus instituerit. Quia vero suam Sedem Regiam Nitriae collocatam habuit; in hac civitate Cathedram Episcopalem fundatam fuisse, communis fere est opinio. Desericius hanc in rem scribit: „Litteris consignatum est, jam anno 396 Frigidildam, verius Fritildim Moravorum Reginam, Nitriae Ecclesiam, Sacerdotumque Collegium posuisse.“ Mart. Szent-Iványi: „legere est in antiquissimis annalibus Ecclesiasticis, adhuc ante adventum hungarorum (hunnorum) Nitriae Episcopos resedisse.“ Nicol. Schmidt: „equidem ante hunnorum adventum floruisse Episcopatum Nitriensem, constat.“ Ita plures alii. Unde Clar. Pray Spec. Hier. H. etsi ipse alterius esset opinionis, de Episcopatu Nitriensi scribit: „illius (Episcopatus Nitr.) initia plerique figunt ad annum

369 (rect. 396) itaque prius, quam hunnorum ex Asia migratio contigerit. Erectus est, plerorumque opinione, a Frigidilda Moravorum Regina: quod mihi non levem suspicionem movet, incunabula Episcopatus Nitraviensis valde antrorsum protrusa esse.“ Ita ille. Cur incunabula valde antrorsum protrusa suspicetur, mox indicat; „quoniam, ait, mihi persvadeo, Moravorum nomen ea aetate nondum fuisse cognitum.“ Tota igitur viri docti suspicio fundamentum habet in vocabulo **Moravorum**, quo quidam recentiorum Scriptorum utuntur. Nosse percuperem, an Vir clarissimus, in historiis versatissimus, ausit defigere tempus, tamquam certum, minimeque dubium, quo nomenclatio Moravorum primum invaluerit, postquam hac in re magna est opinionum varietas. Alii enim Denominationem Moravorum a Duce Regionis **Moravino**, trecentis prope annis ante natum Salvatorem, repetunt. Alii a **Marobudo** Marcomanorum Rege, qui sub initium primi saeculi vixit, eam deducunt, asseruntque nomina Marcomanorum et Moravorum homonyma esse. Alii denique exolescente Marcomanorum nomine, **Moravicum**, seu Slavicum ab incolis Regionis substitutum fuisse volunt. Quidquid ejus sit: an coaevus Paulinus eam Moravorum Regnam vocat? „per id tempus, scribit ille, Fritigil quaedam Marcomanorum Regina;“ aut potestne inde inferri, quod ab aliquibus Moravorum Regina adpelletur, illam non vixisse anno 396, quem annum illi ipsi scriptores indicant, sed multo tardius sub Moravis; adeoque antrorsum protrusa esse Episcopatus Nitraviensis

initia? Dudum a Farlato, aliisque observatum fuerat, „neque inauditum, neque inusitatum esse historicis, cum de rebus antiquissimis scribunt, res ipsas, regionesque, in quibus gestae sunt, nominibus recentissimis afficere, quae posterioribus temporibus primum adhiberi coeperunt“ fit hoc facilius intelligentiae causa. Ideo quidam recentiorum scriptorum vocant Frigidildam Moravorum Reginam, quia eo tempore scripserunt, quo Regio, olim Marcomania dicta, jam Moraviae nomen habuit, quam ad morem aevi sui appellarunt. Nullum proinde adest fundamentum, cur initia Episcopatus Nitriensis nimis antrorsum protrusa esse admittamus.

### §. 5.

#### Confirmatur ex Litteris Eugenii II. P.

Deducta (§-o praec.) Episcopatus Nitriensis initia non mediocre habent praesidium in Epistola Eugenii II, quam integram exscribere juerit.

„Eugenius Eppus Servus Servorum Dei, Rathfredo S. Favianensis Ecclesiae, et Methodio Speculojuliensis, quae Soriguturiensis nuncupatur, atque Alevino S. Nitriensis Ecclesiae, parique modo Annoni S. Vetvariensis Ecclesiae Episcopis: simul etiam Tuttundo, nec non Moymaro, Ducibus, et Optimatibus, exercitibusque plebis Hunniae, quae et Avaria dicitur, et Moraviae. Cum audivimus Christianissimam conversationem Vestram, et sanctae fidei, bonorumque operum Vestrorum processum, summo gaudio atque laetitia sumus exhilarati; quia

„divina in vobis operante clementia, ut ait Aposto-  
 „lus, ubi habundavit delictum, ibi superabundat gra-  
 „tia, utque quod sancta Dei Ecclesia nostris tempo-  
 „ribus quotidianum in electione vestra suscipit incre-  
 „mentum. Cujus optabilis rumoris index fuit Rssus  
 „Yrolfus, S. Laureacensis Ecclesiae Archi-Episcopus,  
 „et Sanctissimus Frater noster, vester autem Spiritua-  
 „lis Pater, qui per suam sanctam Praedicationem ad-  
 „optivos Deo vos genuit filios. Itaque ad Aposto-  
 „lorum limina orationis causa veniens, novam Eccle-  
 „siam nostris benedictionibus informandam subnixo  
 „comendavit; quia Domino auxiliante, Catholice  
 „gubernandam in vestris partibus suscepit. *In quibus*  
 „*etiam quondam Romanorum quoque, Gepidarumque*  
 „*aetate, ut lectione certum est, in septem Episcoporum*  
 „*Parochias antecessores sui Jure metropolitano obti-*  
 „*nuerunt Diaecesim.* Qua ex justitia et lege praefa-  
 „tus Deo dignissimus A-Eppus debito obligatur, ut illi  
 „terrae, prius Christicolae, atque suorum antiquitus  
 „antecessorum creditae providentiae, quam nunc Vos  
 „Dei omnipotentis occulto mediante iudicio, velut hae-  
 „reditariam possidetis, ipse evangelicus agricola, diu  
 „negata caelestis spargat vitae semina, atque in lu-  
 „crandis Christo animabus redivivam de vobis nutriat  
 „segetem. Quem Nos doctissimum Divini Oraculi  
 „ministrum saluti Vestrae cognoscentes per omnia  
 „necessarium, fide, ac exemplo probatum, merito er-  
 „ga illum Apostolicam servantem sententiam, qua dici-  
 „tur: *quomodo credent sine praedicante? aut quomo-*  
 „*do praedicabunt, nisi mittantur?* ab hac sancta Ro-  
 „mana Matre Ecclesia vobis eum rectorem transmissi-

„mus, atque in praefatis Regionibus Hunniae, quae et  
 „Avaria appellatur, sed et Moraviae, Provinciarum  
 „quoque Pannoniae, sive Maesiae, Apostolicam vicem  
 „nostram, et Dioecesim, atque Jus Ecclesiasticum  
 „exercendi, et usum, ac potestatem Antecessorum suo-  
 „rum, videlicet S. Laureacensis Ecclesiae Archi-Episco-  
 „porum, sibi, successoribusque suis canonica auctori-  
 „tate committimus, atque hujus Constitutionis No-  
 „strae decretum subscriptionis privilegio roboramus.  
 „Pallium praeterea juxta Consuetudinem antiquam  
 „Sanctitati Suae dedimus; quod ita sibi concessi-  
 „mus, sicut Praedecessores nostri suis Praedecesso-  
 „ribus concessere, Privilegiorum suorum scilicet in-  
 „tegritate servata. Cujus dilectioni quamvis hoc de-  
 „bito permitteremus, propter Vestras autem petiti-  
 „ones super hac re flagitantibus, ad honorem suum  
 „nostram apostolicam vicem, et auctoritatem insuper  
 „accumulavimus, quod nunquam suis permissum est  
 „prioribus. Quatenus et Vos Con-fratres et Co-Eppi  
 „deinceps ei reverentiam ampliolem exhibere sciatis,  
 „et in sana doctrina Coelestis eruditionis ad aedifi-  
 „cationem Vestram, ut filii sapientes, obediatis; at-  
 „que vos laici Primates, et vulgus saluberrimis prae-  
 „ceptis suis, non velut homini, sed tamquam Deo hu-  
 „militer obtemperetis, et in fide Catholica, quam per  
 „Dominum Jesum Christum consecuti estis, fortes  
 „permaneatis. Nam totius doli artifex Diabolus,  
 „cujus Dominio et pompis in baptisate abrenuncia-  
 „tis, jacturam, et damnum vestrae salutaris surre-  
 „ptionis moleste patitur, ac per varias occasiones  
 „Zizania insidiae seminando, velut multa invidia ba-

„chatur, et ut vestrum aliquis terga vertat sanctæ  
 „professioni. Quapropter saepe dicti A-Eppi, vi-  
 „delicet Pastoris vestri a Deo destinati, institutio-  
 „nibus benignas aures præbete, qui vos et versu-  
 „tiam Satanae cavere, atque ejus externos cruciatus  
 „evadere instruit, ac ipse in Die judicii de bonis o-  
 „peribus vestris saeculorum Domino perpetua remu-  
 „nerandos gloria præsentabit. Ad perfectam autem,  
 „et necessariam eruditionis Vestrae salutem, ut com-  
 „perimus, non sufficiunt pauci, qui modo constitui  
 „sunt vobis, Episcopi, quia plures sunt adhuc genti-  
 „lilitatis errore ibidem detenti, ad quos, propter in-  
 „opiam Præconum Divini verbi, necdum pervenit  
 „notitia Christi. Idcirco enim, ut accrescat turba fi-  
 „delium, studeat solertia vestra pro mercede, ac re-  
 „missione peccatorum vestrorum, adminiculum et ju-  
 „vamen præbere Rssmo Yrolfo A-Eppo; quatenus  
 „dudum illic constitutorum Episcoporum numerus  
 „impleatur, qui congrue constitui et vobis, poste-  
 „risque vestris poterunt esse proficui, si ad restau-  
 „rationem Ecclesiarum propter nomen Domini de  
 „possessionibus vestris, quas redditus, dotesque ea-  
 „rum, fama divulgante, quondam fuisse noveritis,  
 „externam sufficientiam vobis comparantes, eisdem  
 „Ecclesiis ipsi conferatis, idoneis viris ad hoc mi-  
 „nisterium electis; maxime illis locis, si opportuni-  
 „tas, et utilitas commendaverit, ordinentur Antistites,  
 „ubi indicia Ecclesiarum et aedificiorum, sedes Pon-  
 „tificales olim fuisse demonstrant; sin autem, illi-  
 „us arbitrio, et deliberationi, qui, vel ubi, dis-  
 „ponantur Episcopi, concedimus, cui vicem no-

„stram apud vos Ecclesiastici Regiminis per omnia  
„commisimus.“

Ex hac Pontificis Epistola intelligimus, non ex conjecturis, sed e lectione certum esse, in illis regionibus, ubi tempore Eugenii P. Eppi: Favianensis, Speculo-juliensis, Nitraviensis, et Vetrariensis suas habebant Paraecias, sive Dioeceses, jam olim aetate Romanorum et Gepidarum fuisse septem Episcopatus, in quos Archi-Eppi Laureacenses, Antecessores Uroli, metropolitanam Jurisdictionem exercuerunt: Terram illam, cui Duces, ad quos etiam Epistola directa est, Tuttundus in Avaria, antea Pannonia, et Moymarus in Moravia, antea Marcomania praeerant, fuisse Christicolam; hanc nunc per Eppos Favianensem, Nitraviensem, caeteros, velut haereditariam possideri, ubi evangelicus agricola, diu negata coelestis spargat semina vitae, atque in lucrandis Christi animabus redivivam de iis ferat segetem. Quid haec indicant aliud, quam fuisse jam olim in his Regionibus Eppos, quorum rediviva seges esset in his per Eugenium P. nominatis Episcopalibus sedibus: in illos per A-Eppos Laureacenses jam fuisse exercitam Jurisdictionem Metropolitanam; debuerunt ergo sedes illae Episcopales existere in Terra eorum Christicola. Et quidquid de aliis sit, cum Marcomania non nisi sub Frigidilda Regina Christicola esse coeperit: Episcopatum Nitraviensem, seu Nitriensem, velut ea aetate jam existentem, hac Epistola Pontificis indicari.

Equidem Samuel Timon Im. ant. Hung. putat septena illa illustria sacerdotia, quae Pontifex in sua

Epistola memorat, nulla in parte ad Marcomaniam, proinde nec ad Eppatum Nitriensem pertrahi posse ideo; quod eam Regionem Romani et Gepidae, per Pontificem commemorati, non tenuerint; imo Quadi et Marcomani cum Romanis pugnaverint. Ast: non videtur adversarius Epistolae sensum, verbaque penitus expendisse. Neque enim ait Pontifex illustra illa septem sacerdotia fuisse in Regione, ubi Romani et Gepidae dominabantur; sed ea floruisse aetate Romanorum et Gepidarum in illa ipsa Regione, quam eotum Tuttundus in Avaria, et Moymarus in Moravia tenebant; in qua Regione Eppi Favianensis, Nitriensis, caet. suas habebant Dioeceses: sensus proinde verborum Eugenii P. ultra, quam contineant, extenditur. Quamquam, si ille etiam sensus admittatur, quem vult adversarius, nihil prorsus nobis officit. Videamus, num Romani et Gepidae in illis provinciis, ubi per Pontificem septena illa sacerdotia aetate Romanorum et Gepidarum jam exstitisse dicuntur, aliquem Dominatum habuerint, nec ne? Pontifex eas Provincias designat per Hunniam, seu Avariam, et per Moraviam. In Pannonia, quam Hunni primum, dein Avars occuparunt, Romanos dominatos fuisse, nulli historicorum est ignotum. Recidit ergo tota quaestio ad Ditionem Moymari. Hic fuit Dux et Princeps Moraviae, eamque tenebat Regionem, quae olim Quadia, et Marcomania, tunc Moravia dicebatur. Ex hac Regione Quados et Marcomanos Romani, saepe quidem bello domitos, nunquam tamen depulerunt; verum Imperio suo subjectos, tributarios suos fecerunt. An non Vannius

Quadus a Druso Marcomanis Rex fuit impositus? an non continuo inter pacis condiciones per Romanos Quadis et Marcomanis datas, ea fuit omnium molestissima, ob quam Pax vix inita, jam rupta fuit; quod non licuerit his barbaris alium habere Regem, quam qui placuisset Imperatori? ut verissime scripserit Tacitus: „vim et potentiam Regibus (Marcomanorum) esse ex auctoritate romana.“ An non subjectionis genus est, spondere, se in fide Romanorum mansuros, hoc fine obsides dare, permittere in Regione sua strui praesidia, et munimenta? quod fecit M. Aurelius, Valentinianus Imperatores. Haec cum ita sint; (§. 2.) Romanos Dominatum et Imperium exercuisse, et Marcomanos subjectos, tributariosque fuisse, extra omne dubium est. Gepidas vero cum Jazygibus Sarmatis intra Tybiscum et Granum sedisse, ab Attila sedibus suis haud expulsos, sed in societatem belli adscitos; illo mortuo sese in libertatem asseruisse, et in Pannonia, filiis Attilae victis, sedes fixisse, Marcomanosque suo Imperio adhaerentes habuisse, ex iis, quae supra (§. 2.) breviter memorata sunt, sat, superque constat; apud historicos fusius deducta.

### §. 6,

#### Illustratur ex Litteris Piligrini,

Jam olim temporibus illis, quibus florens fuit Imperium Romanorum, in ea Regione, quae tunc Marcomania, subseque Moravia dicebatur, Episco-

pales sedes fuisse, aperte etiam insinuatur in litteris, quas Piligrinus Laureacensis A - Eppus anno 974 ad Benedictum VII. aliis VI. P. dedit, de conversione hungarorum. Ita videlicet scribit:

„Ordinis, ac nominis carismatis praerogato Sanctae Romanae sedis universalis Benedicto Pontifici, Piligrinus Sanctae Laureacensis Ecclesiae humilis servitor fidelitatem Precum, devotumque servitium. Notum fieri dignetur vobis, summe Sacerdotum Praesul, quod super omne animi mei desiderium nunc delectarer, et Apostolorum visitare limina, vestraque optabili perfrui licentia, et ea a facie ad faciem, quae litteris, et internunciorum committo iudiciis, Sanctissimae Paternitati Vestrae coram ratiocinari; nisi, quod a neophyta Ungarorum gente huc ire prohibeor, apud quam foedere pacto, sub occasione pacis, fiduciam sumpsimus operam exercere praedicationis. Cujus enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum Provinciarum praedicatoribus meae Dioecesis hactenus aditum clausit, ad quas nihilominus praesentis opportunitas temporis ire me vocavit. Quibus Deus Omnipotens quoniam solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire dignatus est januam cordis sui, diu clausam, ut discisso velamine duritiae suae, depositaque ferina crudelitate, leni jugo Domini colla submittant. A qua ergo praefata Ungarorum gente multis precibus ipse invitabar venire, aut missos meos in opus Evangelii illuc dirigere. Ad quos, dum transmitterem satis idoneos viros ex Monachis, Canonicosque Presbyteros, atque de sin-

„gulis ecclesiasticis gradibus Clericos, et vita, omni-  
 „que conversatione illorum sic ordinata, quemad-  
 „modum in gestis Anglorum didici; tantum Divina  
 „gratia fructum statim ministravit, ut ex eisdem no-  
 „bilioribus Ungaris utriusque sexus Catholica fide  
 „imbutos, atque sacro lavacro ablutos circiter quin-  
 „que millia Christo lucrarentur. Christiani autem,  
 „quorum major pars populi est, qui ex omni parte  
 „Mundi illuc tracti sunt captivi, quibus nunquam li-  
 „cuit soboles suas, nisi furtive Domino consecrare,  
 „modo certatim nullo obstante timore offerunt eos  
 „baptizare, gratulantur omnes tamquam de peregri-  
 „natione sua in patriam reducti, quod Xtiano more  
 „oratoria audeant construere, et licentia percepta,  
 „linguam ligatam in laudem Salvatoris praesummunt  
 „solvere. Ipsi enim barbari, mira omnipotentis Dei  
 „operante Clementia, quorum licet adhuc gentilitate  
 „sint quidam detenti, nullum tamen ex illorum subdi-  
 „tis vetant baptizari, neque Sacerdotibus inhibent quo-  
 „cunque proficisci. Sed ita concordēs sunt pagani  
 „cum Xtianis, tantamque ad invicem habent fami-  
 „liaritatem, ut illic videatur Isaiae prophetia imple-  
 „ri: Lupus, et agnus pascuntur simul. Leo, et bos  
 „comedent paleas. Factum est ergo, ut pene cuncta  
 „Ungarorum Natio sit prona ad percipiendum Fidem  
 „sanctam: sed et aliae Schlavorum Provinciae ad  
 „credendum promptae. Et est ibi Messis quidem mul-  
 „ta, operarii autem pauci. Inde quoque visum est,  
 „jam necessarium esse, quatenus Sanctitas Vestra il-  
 „lic jubeat aliquos ordinari Eppos, *quia et quondam*  
 „Romanorum Gepidarumque tempore proprios septem

„*Antistites eadem orientalis Pannonia habuit, et Mae-*  
 „*sia, meae Sanctae Laureacensi, cui ego indignus mi-*  
 „*nistro, Ecclesiae subjectos; quorum etiam quatuor,*  
 „*usque dum Ungari regnum Bavariorum invaserunt,*  
 „*sicuti praesenti cognitum est aetati, in Maravia man-*  
 „*serunt.* Quod nimium grave, et valde onerosum est  
 „mihi, ut tot mei Pontificii Parochias solus praedi-  
 „cando circumeam, quibus necessitate, et adjutorii  
 „inopia cogor nonnunquam meam subtrahere prae-  
 „sentiam. Ecce Dominorum amantissime, hujusmo-  
 „di ecclesiasticis mancipatus officiis detineor, et ne  
 „fecissem moram saepe dictae gentis conversioni,  
 „ire, et prosterni ad vestra sanctissima vestigia dis-  
 „tuli. Legatos autem meos, praesentium scilicet por-  
 „titores ad vestram destinavi Serenitatem, quos au-  
 „dire quaeso dignetur Clementia Vestra, et eorum,  
 „meisque mixtim precibus praebere assensum, qua-  
 „tenus pallium, et infulam pontificalem, quod spe-  
 „ciale munus honoris ab hac Sede tantum dirigitur  
 „Metropolitanis; quod etiam mei Praedecessores  
 „a gloriosis hujus principalis Cathedrae Primatibus  
 „accipere soliti erant, mihi vero hoc ipsum benigno  
 „animo per illos dirigere dignetur, pariterque etiam  
 „privilegia apostolicae auctoritatis meae Ecclesiae  
 „per eosdem missos meos vestris praesentata sacris  
 „obtutibus, more Praedecessorum vestrorum robo-  
 „rari supplico, et confirmari; ut hac apostolica San-  
 „ctione, et benedictione munitus, mihi commissi  
 „populi gubernationem canonicè exequi valeam, et  
 „vestris in die judicii rationibus imputetur, quod in  
 „illis finibus ex paganis nova Ecclesia Domino lucra-

„tur. Quoniam variae, ac perversae haereticorum  
 „sectae timendae sunt, quod saepe contigit depre-  
 „hendi alios, quibus praesunt, errore suo corrumpere,  
 „quos agnitione orthodoxae veritatis debuerant  
 „illustrare: ut haec tam pestifera de me am-  
 „putetur suspicio, solenne symbolum Catholicae fi-  
 „dei, quam ipse teneo, et doceo, vestro Apostolatui  
 „profitendum salubre censui. (sequitur Professio fidei.)

„Qualiter ergo ex praelibata fide idiotas erudire  
 „debeam, et ipse in suscepta novitiorum Ecclesia  
 „conversari, rescripto Paternitatis Vestrae cautus  
 „flagito, ut merear edoceri. Memet ipsum enim ite-  
 „rum, iterumque Sanctitatis Vestrae fidei ac preci-  
 „bus submitte commendo. Dignam autem Vestrae  
 „sublimitatis memoriam, quam tota per orbem fre-  
 „quentat Ecclesia, ego cum omnibus mihi subditis,  
 „votis et orationibus celebrare non desisto. Quid-  
 „quid etiam humani servitii, quod vestram deceat  
 „magnitudinem, ex me conferri possit, totum, et ex  
 „toto pro libitu voluntatis vestrae liberaliter expen-  
 „dere, Pater dilectissime, satago.“

Pilgrinus hic de iisdem septem Episcopatibus loquitur, quos in sua Epistola commemoravit Eugenius P. atque ex his Eppatibus, qui jam temporibus Romanorum, Gepidarumque exstiterent, ad suae aetatis notitiam quatuor superstites in Moravia fuisse ait; scilicet illos, quibus Legati Joannis IX. P. Antistites praefecerunt; certum proinde est, ex septem illis Episcopatibus, qui tempore Romanorum et Gepidarum erant, aliquos, atque inter hos Nitriavensem ad Marcomaniam, quae aetate Pilgrini Moravia

apellabatur, pertinuisse, antiquitus Laureacensis A-Eppi Metropolitanae Jurisdictioni subjectos; indeque etiam dubio carere, Eugenium P. dum septem Eppatus tempore et aetate Romanorum, ac Gepidarum exstitisse memorat, de Eppatibus in Pannonia et Marcomania esse intelligendum.

Unde perperam Georg. Szklenár de sit. vet. Mor. ex verbis illis Piligrini, ubi Maesiam commemorat, deducit, septem illos Eppatus, ac hos inter Nitriensem, pertinuisse ad antiquam Maesiam, quae a Tauruno usque Pontum protendebatur, hodiernamque Bulgariam cum parte Serviae complectebatur. Nam Piligrinus non se a Bulgaris in Maesiam, sed ab Hungaris in Hungariam evocatum fuisse scribit: reperit illic in ea parte, quae ad Pannoniam olim pertinebat, Hungaros cum multitudine Xtiatorum Captivorum; et in Regione illa, quam olim Quadi, Marcomani, Jazyges Sarmatae colebant, invenit Schlavos, Moravos. Pro utrisque petit ordinari Episcopos, tum quia ipse tantis laboribus ferendis esset impar; tum quia jam olim Romanorum, Gepidarumque aetate septem proprios Episcopos eadem, ad quam vocatus fuit, Pannonia, et Maesia habuit, Laureacensi Ecclesiae suae subjectos, quorum quatuor ad memoriam suae aetatis superstites fuerunt in Moravia. Qua explicatione illustrat per Maesiam intelligendam esse Moraviam; non autem illam veterem Maesiam, in qua A-Eppi Laureacenses Metropolitanam Jurisdictionem antiquitus non exercuere. Id quod clarius adhuc elucescit ex Litteris Benedicti VII. P.

## §. 7.

## Et Benedicti VII. P.

**Benedictus Papa Pilgrini Relatione de conversione hungarorum non mediocriter recreatus, erga ejusdem Petitionem, Metropolitana Jura vetera Laureacensi Ecclesiae reddidit, et ad praeventendas, quae inter Salisburgenses, et Laureacenses, seu Patavienses Eppos quoad Jurisdictionis Metropolitanae exercitium vigeant, differentias, Limites designavit, intra quos unius, et alterius Jus Metropolitanum esset exercendum. Attribuit vero Pilgrimo, illiusque in Ecclesia Laureacensi successoribus Archiepiscopalem Dignitatem in inferioris Pannoniae, et Maesiae Regione, quae Provinciae sunt: Avaria, atque Maravia, in quibus septem Epporum Parochiae antiquis temporibus continebantur. Unde luculentum evadit, septem illos ab Eugenio, et Pilgrimo memoratos, vetustos, tempore Romanorum et Gepidarum existentes Eppatus, ac inter hos Nitriensem in Pannoniae et Maesiae Regione ea fuisse, quae tardiore tempore Avaria, et Maravia vocabantur; proinde Maesiae nomine Moraviam designari, quae a pluribus quoque domesticis, et exteris Scriptoribus nomine Maesiae insignebatur; Incolae vero Slavi, Maesiani vocabantur. Cur hoc nomen acceperit, sequenti sectione exponam. Litterae vero Benedicti Papae de anno 975 sic sonant:**

„Dilectissimis Nobis in Christo filiis, Hrodberto „Moguntinae Ecclesiae, et Diotrico Sanctae Treverensis Ecclesiae, atque Adalberto S. Magdeburgen-

„sis Ecclesiae, parique modo Gereoni S. Coloniensis  
 „Ecclesiae, atque Friderico S. Juvaviensis Ecclesiae,  
 „sed et Adalgago S. Bremensis Ecclesiae A. Eppis.  
 „Pariterque Domino Ottoni gloriosissimo Imperatori  
 „Augusto, atque nepoti suo Henrico praecellentissi-  
 „mo Duci Bavariorum, caeterisque omnibus Eppis,  
 „et Abbatibus, Ducibus, atque Comitibus Galliae,  
 „atque Germaniae: Benedictus Divina gratia praedi-  
 „tus Apostolicae sedis Pontifex, Servus Servorum  
 „Dei, in Domino salutem.

„Oportet justis supplicationum petitionibus nos  
 „semper faciles, et humiles exhibere, et praecipue  
 „cum fraternis religiosorum Con-Sacerdotum preci-  
 „bus sollicitamur; qui passim ab omni mundi termi-  
 „no tenorem, et regulam, atque proprii officii vigo-  
 „rem ab hac universali sancta Romana Ecclesia, ejus-  
 „que sortiuntur Ministro, Vicario scilicet beati Petri,  
 „Principis Apostolorum; cujus, quamvis indigni, ejus-  
 „dem tamen gratia, et dono, potestati successimus,  
 „et ordini, cui voce dominica dicitur: Tu es Petrus,  
 „et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.  
 „Quapropter dignum aestimavimus, assensum prae-  
 „bere congruis postulationibus Rssmi Archi-Eppi,  
 „quas per probabiles personas nobis intimavit, re-  
 „sponsalium suorum duorum Presbyterorum: quate-  
 „nus sibi pallium et Metropolitanum honorem Cathe-  
 „drae suae Sanctae Laureacensi Ecclesiae restituere-  
 „mus, confinio Ungarorum adjacenti; quod omnino  
 „Nos eidem Ecclesiae debere testantur antiquissima  
 „secum apportata privilegiorum testimonia. In qui-  
 „bus enim continebatur, quod aetate Pontificatus

„beati Symachi, hujus almae Sedis apostolici Prae-  
 „sulis, praefata Sancta Laureacensis habetur Eccle-  
 „sia Metropolitana; et in quantum tam exinde, quam  
 „etiam de passionibus beatorum Martyrum, qui il-  
 „lic plures in tempore persecutionis pro fide Christi  
 „variis sunt tormentis mulctati, colligere possumus,  
 „ex omnibus Ecclesiarum Dioecesibus Pannoniae, haec  
 „antiquitate, et Archi-Episcopii dignitate esse pri-  
 „mitiva creditur: quae jam multis retroactis saeculis,  
 „et vicinorum frequenti populatione barbarorum de-  
 „serta, et in solitudinem redacta, nullum Christia-  
 „nae professionis habitorem meminit; usque dum  
 „invictissimus Augustus, et Pater gratiae, genitor  
 „quippe pii Imperatoris nostri, quem adhuc super-  
 „esse, et diu dominari mundus exoptat, bellico tro-  
 „phaeo eorum vires retudit. Nunc autem, quam-  
 „obrem votis exsultantibus in laudem omnipotentis  
 „Dei erumpimus, non solum saepe dicta Sancta Lau-  
 „reacensis Ecclesia hostium cessante terrore, cum ac-  
 „colis suis pace, ac tranquillitate potitur; verum et-  
 „iam ipsi dudum inimici, illum, quem persecuti sunt,  
 „more gentili, jamjam Christum baptizati profiten-  
 „tur, et Sacerdotes modo habere desiderant, ac pro-  
 „ut rudes scire poterant, venerantur; et Ecclesias  
 „quasdam in sua Terra, quas patres incendio dede-  
 „runt, posterii restaurare videntur. Hac ergo sva-  
 „dente ratione, quod praenominati S. Laureacensis  
 „Ecclesiae A-Episcopi postulatio, antiqua Aposto-  
 „lica auctoritate commendatur, et praeterca, quod  
 „justum esset, pariter etiam utile visum est, ut ad  
 „fructificandas Deo gentes, ex novitiis Cultoribus fi-

„dei Ungrorum, atque Maravorum, sive etiam aliis  
 „multis provinciis Sclavorum, suae Parochiae finiti-  
 „mis, illic ordinatis Episcopis, secundum quod antiqui-  
 „tus dispositi erant, eis hunc constitueremus A-Epi-  
 „scopum. Quoniam autem Salisburgensis Metropo-  
 „lis abusa est subjectione S. Laureacensis Ecclesiae  
 „Pontificii, oblitterata, et attenuata sua dignitate ex  
 „devastatione barbarorum, quam propterea perce-  
 „ptis Apostolicis privilegiis nequaquam patimur pri-  
 „vari; cum et priora sint Salisburgensibus, et ideo  
 „auctoritativa, vel aucterabiliora: quae conditio te-  
 „stimonii etiam apud secularia judicia viget, et prae-  
 „valet. Nos vero in hujusmodi Constitutionibus o-  
 „mnem calumniam, atque contentionis occasionem,  
 „Domino adjuvante, facile propulsamus, ambabus  
 „Parochiis ab invicem certis limitibus sequestratis,  
 „et tamen Apostolicis Sanctionibus ubique stabilitis;  
 „quas nostrum est semper defendere, et secundum  
 „Evangelicam Sententiam nihil ex eis solvere, sed  
 „adimplere. Unde ergo auctoritate, ac potestate be-  
 „ati Petri Principis Apostolorum, atque exemplo  
 „beatorum Pontificum, scilicet Praedecessorum No-  
 „strorum, eandem S. Laureacensem Ecclesiam, ejus-  
 „que rectores jam Archi-Episcopos a modo perpetim  
 „ab omni Salzburgensis Ecclesiae Praesulum subje-  
 „ctione, ac Ditione absolvimus, et honore Metro-  
 „politano sublimamus. Et sicut modernis tempori-  
 „bus sanctae memoriae Agapitus Papa terminos ea-  
 „rumdem Parochiarum ab invicem distinxit, sic et  
 „ipsi diffinimus: ita quoque, ut S. Salzburgensis Ec-  
 „clesia superioris Pannoniae Episcopus habeat suffra-

„ganeos, quibus usque huc sui Pontifices praeesse  
 „videbantur, cum tanta, talique Dioecesi, quali hac-  
 „tenus in inferiori usi sunt Pannonia. Sancta autem  
 „Laureacensis Ecclesia *in inferioris Pannoniae, ac*  
 „*Maesiae Regiones, quarum Provinciae sunt Avaria,*  
 „*atque Maravia, in quibus septem Episcoporum Paro-*  
 „*chiae, antiquis temporibus continebantur, sui que An-*  
 „*tistites A - Episcoporum deinceps habeant potesta-*  
 „*tem, cum tanta, talique Dioecesi, quali hactenus*  
 „*in superiori usi sunt Pannonia. Quibus utique jam*  
 „*praeceptis insuper injungimus, ut juxta beati Gre-*  
 „*gorii decretum, Anglorum A - Episcopis directum,*  
 „*alter illorum, qui prior sit in ordinatione tempore,*  
 „*ipse etiam, quoad vivat, prioratum teneat et in*  
 „*ordine. Penitus enim determinatis utriusque Eccle-*  
 „*siae Dioecesibus, omnique exclusa altercandi occa-*  
 „*sione, canonica sub districtione interdicens, ut*  
 „*neuter earumdem Ecclesiarum A - Episcopus inva-*  
 „*dere alterius Parochiam praesumat, vel quibus-*  
 „*cunque jurgiis, aut disceptationibus, super diffini-*  
 „*tis a Nobis modo rebus, alter alterum sollicitare*  
 „*audeat. His igitur sedatis, Venerabilem Confra-*  
 „*trem nostrum Pilgrimum A - Episcopum, Canonicis*  
 „*litteris munitum, Sedi sanctae Laureacensis Eccle-*  
 „*siae inthronizavimus, palliumque ei secundum an-*  
 „*tiquum ejusdem Ecclesiae usum direximus; atque*  
 „*in provinciis Avariae, Regionum quoque inferioris*  
 „*Pannoniae, sive Maesiae, et in contiguis sibi Schla-*  
 „*vorum Nationibus circumquaque manentium, no-*  
 „*stram apostolicam auctoritatem, et vicem exercere*  
 „*committimus, et delegamus: quatenus illic more*

„Antecessorum suorum Sanctae Laureacensis Ecclesiae Archi-Epporum, habeat potestatem Presbyteros, et Eppos ordinare, atque constituere, et ex praedictis gentibus sua sancta praedicatione parare Domino plebem perfectam.“

Ex his triplicis ordinis Litteris consequitur: si vetusti septem illi Eppatus, quorum Eugenius P. Pilgrinus, et Benedictus P. meminerunt, in Regionibus, quae tardius Hunnia, seu Avaria, et Moravia appellabantur, tempore Romanorum, et Gepidarum exstiterunt, quod e Lectione certum esse ait Eugenius P. dubitandum prorsus non esse, ad eandem aetatem initia Nitriensis Eppatus esse referenda: cum eo tempore Fritigil Reginam Marcomanorum vixisse, et Marcomanos, eam Regionem, quae tardius Moravia dicebatur, insidentes, ad Christum adductos fuisse, ex coaevo Scriptore Paulino constet.

## §. 3.

### Sunnias primus Episcopus.

Si Romanorum, Gepidarumque tempore Nitriensis, seu Nitriensis Episcopatus exstitit, per Fritigildam Marcomanorum Reginam institutus: (§. 4) prudenter dubitari non potest, huic, et alteri per eam fundatae Episcopali sedi, illos datos fuisse Episcopos, qui a S. Ambrosio fidei Praecones in Marcomaniam missi, in conversione illius gentis felice cum successu operabantur. Viri hi fuerunt Fretella, et Sun-

nia s nomine , ambo Discipuli S. Doctoris Ambrosii, quorum praedicatione et ministerio factum est , ut Fritigil Regina conatus illorum adjuvante , et Rex , et maxima pars Populi Marcomanorum , sacro lavacro abluta , Religionem Christianam susceperit. Post hanc gentis conversionem illos primos fidei Praecones , ea in parte , ubi Evangelicae Doctrinae semina sparserant , ad tutandam , colligendamque in horrea caelestis agricolae segetem , Episcopos , et Fretellam quidem Olomucii ; Sunniam vero Nitriae constitutos , et ab A-Episcopo Laureacensi , cujus Metropolitanae Jurisdictioni subjecti erant , sacros fuisse , plures Scriptorum commemorant. Viri hi , dum in Conversione gentis Marcomanorum operabantur , ad S. Hieronymum , in SS. Scripturis interpretandis versatissimum , dederunt Litteras , quibus eidem quasdam e Libro Psalmorum difficultates proposuerunt ; ad quas S. Doctor etiam respondit Epistola ad ipsos data , quae inter Illius Epistolas est numero 115.

At vero ex hac ipsa Epistola arguit Samuel Timon (Im. V.H.) viros hos non fuisse Episcopos. „ Neque audiendi sunt , inquit , qui Fretellam , et Sunniam , ad quos D. Hieronymus Epistolam dedit , incogitantes dicunt fuisse Antistites , alterum quidem Olomucensem , alterum Nitriensem. “ Ego vero existimo , neque incogitantes esse , qui id adfirmant ; neque audiendum esse Timonem , absque fundamento negantem. Si enim ea in Regione , ubi Olomucium , et Nitria existit , jam tempore Romanorum , et Gepidarum , quod aevo Fritigildae respondet , Episcopatus instituti fuerunt , Laureacensi Metropolitano subjecti , quod e Lectione

certum esse, compererat Eugenius II. P: si praeterea ex Divi Hieronymi Epistola ad Sunniam, et Fretellam data certum est, hos ea in Regione Apostolatus munere functos, Praeconesque Evangelicae Doctrinae fuisse; ane incogitantes eos dicamus, qui apostolicos hos Viros, gente ad fidem conversa, primos in neo-conversa gente Episcopos creatos fuisse affirmant? — incogitantes omnino, ait ille: quia „Viri isti neque Pontifices, neque Marcomani natione erant. D. Hieronymus illos Getis adnumerat, qui tamen Getas, vel Gothos a Marcomanis, et Quadis optime distinguere noverat.“ En! gravissimi ponderis argumentum. Pontifices fuisse, dum ad gentem barbaram, cultui falsorum Deorum deditam, missi fuerant, in conversione ejus operaturi, nemo est, qui asserat. Primum enim Grex, Christo fidelis, parari; dein huic Pastores dari oportebat. Attamen munere apostolico in convertenda gente, etsi nondum Episcopi essent, functos fuisse, ipsa D. Hieronymi Epistola docet „vere, inquit, in Vobis apostolicus, et propheticus sermo completus est: in omnem terram exivit sonus eorum.“ Illos autem neque postea, dum Regina, Rex, populusque Christo credidit, fuisse Episcopos, unde Timoni notum est, aut quo argumento persvadebit? an non credibilius est, gente pene tota ad Christum conversa, ad conservandam in ea, firmandamque fidem institutos fuisse Episcopatus, atque his datos fuisse Antistites, viros illos a S. Ambrosio missos, quorum apostolicis laboribus conversio gentis facta fuit? quando historia omnium neo-conversarum gentium docet, eas mox post sui conversionem

et proprios accepisse Episcopos, et ad Sedes Eppales prae caeteris dignissimos fuisse reputatos, qui in earum conversione munere apostolatus defungebantur. — Ast: Marcomani non erant. Ita sane; natione Marcomani non erant, nec esse potuerunt. Qui enim Praecones et Doctores fidei constitui potuissent ex illis, qui docendi primum, in fide instituendi, aut roborandi erant? Erantne Apostoli, Viri apostolici, primi Praecones Evangelii ex illis gentibus oriundi, quibus Evangelium annuntiarunt? Anne conversio hungarorum per hungaros facta? — Dein: quod Sunnias et Fretella per D. Hieronymum Getis adnumerentur: quid inde? fuerint reipsa origine Getae: istud S. Ambrosii providentiam commendat, dum e numero Discipulorum suorum tales delegit, qui gnari erant Linguae illius gentis, ad quam convertendam missi fuerunt. In regione enim illa, ad quam destinati erant, Sarmatica seu Slavica Lingua, vigebat: et quamvis Quadi et Marcomani originis Svevicae fuerint; immixti Sarmatis, imo his, postquam per continua bella vires eorum attritae fuissent, in societatem cooptatis, ex quotidiano commercio Sarmaticam Linguam et ipsi quoque loquebantur. Getae vero, quibus Sunnias et Fretella adnumerantur, erant perinde Sarmaticae seu Slavicae originis, quod constat ex Jornande, qui ipse Geta, de rebus Geticis scribens, ait: „Venedos, Autos, Slavinos ab una stirpe Getica generatos, tria jam nomina reddidisse.“ Et Theophilactus de aetate Mauriti Imp. scribens haec habet: „Getae, seu, quod idem est, Slavini, Thraciae proxima devastant,“ atque alibi ait: „Sla-

vos esse eos, quos antiqui Getas dixere.“ Unde, dum S. Hier. in cit. Ep. scribit: „quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua hebraicam quaereret veritatem,“ non aliam, quam Slavicam, seu Sarmaticam intellexit, ab Joanne quoque P. VIII. serius in litteris ad Methodium, barbaram compellatam, „audimus, inquit, quod Missas cantes barbara seu Slavina lingua.“ — Etsi igitur non iverim inficias, Sunniam et Fretellam Getas fuisse; illi tamen non ex nativo solo, sed ex Terra, ubi praedicationis munere fungebantur, Regione Quadorum et Marcomanorum, ad Germaniam pertinente, D. Hieronymo Quaestiones biblicas proposuerunt, quod ex ejusdem S. Doctoris responsoria Epist. patet, ubi ait: „dorientibus, imo contendentibus Graecis, ipsa Germania spiritus S. eloquia scrutatur.“


Dominicus Valarsius Presbyter Veronensis, qui nobis opponitur, sententiae nostrae non adversatur. Illæ enim Coment. in Ep. D. Hier. ad Fretellam et Sunniam, non tam Episcopatum illorum impugnat, quam potius id agit, ut eundem ad annum 407 retrahat. Refert videlicet Epist. S. Hieronimi ad annum 403, et subjungit: „nuperus author Moraviae Sacrae constituit Fretellam, alias Fredericum Olomucensem fuisse Praesulem, seu Juliomontii; Sunniam vero Nitraeviae, ex Eugenii II. Epist. et Aventini L. II. Nam ut caetera bonis conjecturis munivisse videatur, certe in eo fallitur, quod ab anno 396 eos Episcopos jussos fuisse tradit: dixisset post annum 407; siquidem cum hanc ad eos epistolam Hieronymus scriberet, in nulla Ecclesiastica Dignitate illos meruisse,

facile ex contextu apparet.“ Non negat Valarsius Fretellam Olomucensem, et Sunniam Nitraviensem fuisse Episcopum; imo opinionem hanc bonis conjecturis firmatam esse asserit; sed in anno erratum fuisse, substituendumque annum 407 putat. Mea etiam opinione anno 396, quo viri isti ad Frigidildam missi erant, Episcopi non erant: eorum tamen Episcopatum arbitror usque ad annum 407 non posse retrudi; quia verisimile non est, Principe cum Populo ad fidem converso, neo-fundatam Ecclesiam tamdiu Praesulibus carnisse. Quae Valarsius ex contextu litterarum Divi Hieronymi desumpsit, rem minime evincunt. Nam S. Doctor etsi Fretellam et Sunniam aperte non vocet Episcopos, eos tamen in Regione suae mansionis apostolicum munus gerere asserit: et si datam ad illos Epistolam per Firmium Presbyterum misit, hoc ipso eos in Dignitate Ecclesiastica constitui agnovit: quia in more positum fuit, Episcopos missione Presbyteri, aut alicujus Clerici honorare. Caeterum tota Valarsii difficultas innititur chronotaxi. Supponit quippe Litteras a Divo Hieronymo scriptas fuisse anno 403, aut forte, ut semet exprimit, anno 403. Cur illas ad hunc annum referendas putet, eam addit causam; quia in Epist. ad Laetam, quae anno 403 scripta est, S. Doctor haec habet: „De India, Perside, Aethiopia, Monachorum turbas quotidie suscipimus: deposuit pharetras Armenus; Hunni discunt Psalterium:“ quibus postremis verbis, addit Valarsius, non alios, quam Fretellam, et Sunniam, sive hunnis finitimos, credimus indicari.“ — Hunni quidem seu in Dacia, seu in Pannonia, postquam

hanc occuparunt, finitimi erant Regioni, ubi Fretella, et Sunnias Doctrinae Evangelicae semina sparserunt: fallitur tamen, dum verbis Hieronymi per Hunnos Fretellam, et Sunniam indicari putat: quia bene noverat D. Hieronymus Hunnos a Getis distinguere; ideo in cit. Epist. post verba recitata subjungitur: „Getarum rutilus et flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria: ideo contra non aequa pugnant acie, qua pari Religione confidunt.“ Idem vero S. Doctor Fretellam et Sunniam non Hunnis, sed Getis adnumerat, de quibus in eadem Ep. ad Laetam scribit, „quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua hebraicam quaereret veritatem?“ Sed si ultro etiam admittatur, in Epist. ad Laetam Fretellam, et Sunniam indicari: sequiturne inde, quia haec Epistola an. 403 scripta fuit, illam quoque ad Fretellam et Sunniam eodem tempore scriptam fuisse, et Episcopatum illorum usque ad annum 407, prout Valarsius infert, retrahendum esse? Haec ad difficultatem Valarsii. — Quamdiu Sunnias Nitriae Episcopalem Sedem tenuerit? num aliquem, et quem habuerit Successorem? in tam remota antiquitate erui non potest. Superveni-entibus Attilanis Hunnis videtur Episcopatus intercedisse, ac ideo vix ullum habuisse Successorem, Marcomanis e Sedibus suis aliorum demigrantibus.



NITRIA, UT NUNC EST.



*Engraving of Nitria, as it is at present. From a drawing by J. J. Smith, Esq. in the possession of the Hon. the Earl of Sandwich. Published by J. Smith, Esq. in the Strand, 1784.*

## S E C T I O I I .

De restaurato apud Moravos  
Episcopatu Nitriensi.

## §. I.

## Moravorum Conversio.

Quemadmodum a morte Attilae Pannonia per vagantes, Gothos, Gepidas, Longobardos, Avares occupata, discerptaque fuit: ita ubi Marcomani, Sardi, caeteraeque nationes trans Istrum habitantes sedes suas reliquissent; (Sec. I. §. 1.) primum gentem Rugii apud utramque Danubii rippam sese contendentes, Vindobonae Regni sui sedem fixerunt, quae urbs ab illis Faviana, aut Fabiana appellata, magiore tempore hoc nomen retinuit. Sed hos Odoacer Herulorum Rex, qui Momillo Augustulo de throno Occidentalis Imperii deturbato, Romae dominabatur, magna clade affectos, dispulit. Egressa dein a Sarmatione alia gens Sclavorum, vacuas ultra Danubium terras insedit, quae Moravorum, et Maraharum; ipsa vero Regio Moraviae, et Marahaniae nomen accepit. Sub id tempus Gepidarum Regnum in Pannonia everterunt Longobardi, et ab his in socie-

tatem vocati Avars, qui primum Pannonia Sirmiensi, et postquam Longobardi ad occupandam Italiam a Narsete evocati fuerunt, reliqua etiam potiebantur, usque tempora Caroli Francorum Regis, cui Magni nomen a rerum gestarum magnitudine inditum. Hic et Avars, et Marahanos suo Imperio subiecit. Marahani quidem ultro se illi in fidem dederunt. Cum Avaribus diuturno bello dimicandum fuit. Occasionem praebeuit armorum societas, quam praestiterunt Tassiloni Bojoariae Duci, qui Francorum jugum excutere ausus est. Occupatis, ac disjectis illorum Hringis (quo nomine veniebat genus munitio- nis circa millia passuum quadraginta in ambitu complexum, undique sepimento decussatim inciso, lentoque vinimine tectum) post decennale bellum tandem victi, debellatique, Caroli Imperio se submiserunt. — Thudunus magnae inter suos auctoritatis, et potentiae e Principibus se primus in fidem Caroli permisit, missa Legatione, Christiana Sacra se amplexurum pollicitus, et Aquisgranum accedens, cum omnibus, quos secum adduxerat, christianis Sacris fuit initiatus, licet stabilis in promissa fide non manserit. Qui eum in Principatu secutus est, Theodorus, omnia ex voluntate Caroli se facturum promisit; susceptis Christianorum Sacris, cum ob impetitionem vicinorum Sclavorum, in pristinis sedibus se sustinere non potuisset, a Carolo impetravit possidendam cum suis Terram inter Sabariam et Car- nuntum. Ne vero suscepta evangelicae veritatis semina suffocarentur, imo ut tam apud hos, quam et Marahanos in laetam segetem excrescerent, Carolus

**Arnons** Episcopi Juvaviensis (Salisburgensis) curae credidit, cui in hunc finem Leo III. P. Pallium A-Episcopale misit, et Jurisdictionem Metropolitanam attribuit in Pannoniam, et Moraviam. Nam urbe Laureaco per Avaros eversa, et sede Episcopali Patavium translata, Jurisdictio, antea Laureacensibus tributa, desiisse videbatur, Valdemaro Pataviensi et Laureacensi Episcopo Jus suum nusquam quaerente. Postquam autem Valdemaro in sede Laureacensi, et Pataviensi successit Uroldus: hic Arnone segnius in conversione Avarum et Moravorum operante, rem hanc magnis animis, eximioque Zelo per se, suosque Sacerdotes adgressus fuit, et quum prosperum habuisset successum, vetustas Episcopales sedes in locis, ubi Romanorum, Gepidarumque aetate jam existebant, Laureacensis Metropolitanae Jurisdictioni obnoxiae, instauravit; videlicet: Favianensem, Speculo-juliensem, Nitriavensem, et Vetvariensem; atque his Antistites, ut de caeteris taceam, Nitriavensi Alevinum praefecit; Jurisdictionemque Metropolitanam, quam sui Antecessores, Laureacenses Episcopi habuere, in Provinciis: Pannonia seu Avaria, et Moravia, sibi a Pontifice Eugenio II. confirmari postulavit. Pontifex per suas Litteras superius descriptas (Sec. I. §. 5) factum Uroldi non tantum probavit; verum etiam Ecclesiae Laureacensi Jus Metropolitanum, quod Uroldi Decessores sibi collatum habebant, restituit, ac confirmavit. Unde evenit, ut deinceps continuae Lites inter Laureacenses, et Salisburgenses, quibus non pridem antea Leo III. Metropolitanam Dignitatem contulerat, viguerint, et

ambarum Ecclesiarum Episcopi Jurisdictionem Metropolitanam in eas Provincias sibi vendicaverint.

Quantum conversionem horum Populorum attinet, feliciores progressus facti fuerunt apud Avares, quam Slavos Marahanos. Nam in Avaria Theodorus Chaganus cum parte Populi sui sub Carolo M. dimissa avita gentili superstitione, sese Christianorum caetui addixit; quod exemplum brevi postea caeteri secuti sunt. Apud Marahanos, teste Scriptore Anonymo hist. Conv. Carentanorum, primus fuit Princeps Privinna, qui baptismum recepit. Hujus occasio fuit ista: Sub Caroli M. Successore Ludovico pio Moymarus alterius partis Moraviae Princeps, inito cum Bulgaris foedere, ab obsequio Regis Francorum defecit, et alterum Principem Moravum Privinna, in Francorum fidelitate constantem, Ditione sua exturbavit. Hic apud Ratbodum (Ratibor) termini Danubiani, et limitum Pannoniae francicae Comitem, sive Marchionem, perfugium quaerens, spondit se velle Christiana Sacra amplecti. Postquam a Salisburgensi A-Episcopo baptizatus fuit, accepto lustrico nomine Brunonis, auxilio ejusdem confinarii Comitis, et auctoritate Ludovici pii, in Ditionem suam fuit restitutus, ubi dein in Proprietate sua, loco Nitervo, ut idem anonymus scribit, seu Nitriae, quae corrupto illo vocabulo indicatur, Ecclesiam aedificavit, per Juvaviensem A-Episcopum circa annum 828, in honorem S. Emerami Martyris consecratam. Cum autem idem Princeps, sive quod a suis, qui Francorum Dominatum permoleste ferebant, urgeretur; sive quod fluctuantis animi esset, a fidelitate Regis Francorum

Ludovici recedere videretur, a Confiniorum Comite Ratbodo, seu Rasticz impetitus fuisset, una cum filio suo Koczel (Heczil) ad Bulgaros confugit, auxilia petiturus: his non impetratis, ad Ratimarum Slavorum ad Dravum in Dalmatia Ducem sese contulit. Et quia hic eum recipiendo, paris perfidiae suspicionem incurrerat, misso Exercitu uterque comprehendi, et ad Ludovicum adduci debuisset: verum Ratimarum fuga ad Bulgaros periculum declinavit: Privinna autem ad Salachonem Carentaniae, et Pannoniae Saviae Comitem se recepit; ubi singulari suo zelo in convertendis Carentanis Slavis se adeo commendavit; ut per Salachonem, Ratbodo primum conciliatus, et a Clero Salisburgensi Imperatori et Regi Ludovico fuerit majorem in modum commendatus: tunc (scribit Anon. hist. Conv. Carent) „praestitit Rex Privinnae aliquam inferioris Pannoniae in beneficium partem circa fluvium, qui dicitur Sava: tunc caepit ibi habitare, et munimen aedificare in quodam nemore et palu Selledae fluminis, et circumquaque congregare populos, ac multum ampliari in terra illa.“ Munimentum, quod aedificavit, Moosburg, vel Mósburg seu Castrum paludarum dicebatur; et quia, postquam terram illam, quam ei Ludovicus dedit prius in beneficium, dein audito eo, quam sit erga Dei servitium, et suum benevolus, testante eodem Anon. scriptore, concessit illi in proprium, congregavit Populos, cumprimis Slavos, et Moravos populares suos, in eam; ideo haec Privinnae Deditio Moraviae minoris, et a Castro Moosburg, vel Mósburg, Maesiae quoque nomen, ad Moraviam generaliter extensum, accepit. Ubi

Terra illa Privinnae data primum in beneficium, dein in proprietatem, fuerit sita, non eadem omnium est sententia. — Hanzizius, et cum illo Stephanus Katona, Terram illam Partes inferioris Styriae, Zagoriensis item, et Varasdinensis Provinciae complexam fuisse putat; et Castrum ab illo aedificatum intra Cillejam et Petovium collocat, hodierno fortasse Marburgo respondens. — Belius vero Comp. Geog. et auctor hist. Sabar. existimant, Tractum Terrae Privinnae juxta hist. Conv. Carent. non in Carentania, aut Pannonia Savia, sed in Pannonia inferiore, quae ab Arabone fluvio incaepit, assignatum fuisse, et per fluvium Sava, non flumen Savum, sed Szala intelligendum esse; atque Principem Privinna fundatorem fuisse Civitatis Szalapurgae, in Diplomate Arnulfi de anno 886 Szalapingen, nobis Szalavár vocitatae, cum Castro Moseburg, seu Castro paludarum, hungaris Balatonvár, in ruinis haerente: filium vero ejus Kótz el sive Hetzil prope Civitatem Szalapurgam in quodam nemore et Palusede fluminis, seu palude Szalae, unde germanica Blatensee, hungarica Balaton lacus denominatio originem habuerit, aedificasse Ecclesiam, hodieque Kózdám, seu Kozeldám (Kozeli Ecclesia) a vicinis appellatam, in qua requiescere dicebatur corpus S. Adriani M. ab S. Stephano R. in Abbatiam S. Adriani M. Ord. Bened. de Insula Szala conversam, et dotatam.

## §. 1.

## Magnaë Moraviaë Regnum.

Moymaro Moravorum Principe (§. præc.) sive mortuo, sive expulso, Ludovicus Rex Ratislaum (Raszticz) prioris nepotem, Moravis præfecit. Dum Ludovicus vixit, pacem coluit: verum ab Illius morte, filiis Ludovici Pii inter se dissidentibus, et Regno Caroli M. inter hos diviso, Moravi hoc Dissidio ad suam libertatem recuperandam usuri, Pannoniam, quae cum Bavaria et Norico Ludovico germanico obtigerat, invadere, molestareque attentarunt. Orto ob id bello, Ratislaus, qui parte ab una a Ludovico, altera a parte a Bogore Duce Bulgarorum, Ludovici foederato, premebatur, in angustias redactus, se recepit ad arcem suam *Dovina*, in ardua, praealtaque rupe ad confluentem Danubii et Moravae extructam, nunc *Divén* dictam, eo tempore a latinis, *Speculam julii*, forte propterea appellatam, quod ex ea partes in omnes velut e sublimi quadam specula prospectus esset. In hac tam viriliter restitit, ut inde nec exturbari, nec vallata occupari potuerint, copiaeque foederatorum rebus infectis redire fuerint coactae. Hinc Moravis animi, spesque crevere libertatis ac independentiae suae a Germanis revindicandae. Ut his Ratislaus feliciter possit resistere, *Zventiboldum*, qui passim *Svatoplucus* appellatur, Nepotem in Consortem Regni, bellique assumpsit. Huic sese mox obtulit occasio. Carolomanus cum Patre Ludovico dissidens, arma corripuit, cui se adjunxit Ratislaus: ast minus prospero successu.

Quare Byzantium ad Orientis Imperatorem Michaellem Legatos expedit, tum ut auxilio sibi adesset; cum etiam, ut aliquos Fidei Praecones in Moraviam mitteret. Hos, ut postea dicitur, obtinuit quidem; non etiam auxiliares Copias: consecutus nihilominus, ut Bogoris Bulgarorum Dux, svasu Imperatoris Byzantini, a foedere Ludovici recederet, et in partes Ratislai inclinaret. Verum dum haec agebantur, Carolomanus Patri conciliatus, ex amico hostis factus, infesta signa in Moraviam intulit, atque tam Ratislaum, quam et Svatoplucum bina clade adeo attrivit, ut Svatoplucus sibi, rebusque suis consulturus, fidei Carolomani, Regisque germanici sese commiserit: quod dum Ratislaus intellexisset, tam moleste tulit, ut nepoti Svatoplucum insidias vitae struxerit. Hic itaque Regi germanico suae subjectionis, fidelitatisque daturus specimen, Ratislaum proditorie interceptum, Carolomano tradidit, Ratisbonam abductum, atque concessa per Ludovicum vitae venia, effosis oculis Monasterio inclusum, ubi infelicem vitam anno 871 finivit. Sed et Svatoplucus, qui gratia Ludovici germaniae Regis se Ducatum Moraviae obtenturum speraverat, spe hac frustratus, penes aulam Regiam in speciosa quadam captivitate fuit detentus: quod ille quidem animo non iniquo ferre videbatur; et ut simulatione sua magis falleret; cum veste, germanicos etiam mores induit, externeque simulavit animum adversus gentem suam inimicum. Hoc modo fefellit germanos. Contigit enim, ut detento in Captivitate Svatoplucum, Moravi Ducem suum periisse rati, quemdam Presbyterum, ejus propinquum, no-

mine Sclagamarum, vi illata, sibi Principem constituerint. Quo audito Svatoplucus, irarum plenus, simulata fidelitate, Regem obtestatus fuit, ut sibi contra perfidos exercitum ducere, deque illis vindictam summere liceat. Venia hac obtenta, germanico, et bojoarico milite stipatus, sub specie debellandi Sclagamari, Popularibus suis bellum declaravit. Ubi in Moraviam perventum est, scribit Annalista fuldensis: „caeteris Castra metantibus, urbem antiquam Raszticis ingressus, statim Sclavisco more, fidem mentitus, et Juramenti sui oblitus, non ad expugnandum Sclagamarum, sed ad ulciscendam Contumeliam a Carolomano sibi illatam, vires, studiaque convertit. Bojoarios nihil mali suspicantes, et minus se observantes, cum exercitu in Castris aggressus est, et multos ex eis vivos comprehendit, caeteris pene omnibus occisis, exceptis his, qui prius se prudenter de Castris subtraxerant.“ Atque hinc novum bellorum Moravos inter, et Bojoarios gestorum Seminarium ortum est. Svatoplucus, qui se Slavici Patriae Liberatorem a jugo germanico, libertatisque restauratorem annunciavit, eam invenit adhaerentiam, ut e longius remotis Provinciis Slavicis plurimi, Examinum instar, ad illum convolarint; quibus adaucto exercitu, tam prospere pugnavit, ut Ludovicus Pacem obtulerit, qua Slavo Principi non tantum Moraviam, verum Pannoniae quoque Partem jure feudatario erga exile Tributum, annue pendendum, contulit. Paci initae non diu supervixit Ludovicus, anno 876 mortuus, Regnum Noricum, seu Bojoaricum filio Carolomano reliquit. Hic quatuor duntaxat annis re-

gnavit, nullaque legitima Sobole relicta, frater ejusdem Ludovicus Regnum Noricum obtinuit. Arnulfus vero Carolomani ex Pellice filius, voluntate Patris Ducatum Carentaniae, et Partem Pannoniae inferioris fuit consecutus. Ludovicus post biennium mortuus, Ditionum suarum haeredem reliquit Carolum Crassum. Arnulfus diu cum Svatoplucō coluit amicitiam, quae rupta fuit propter Arnōnem, quem Rex Carolus Marchionem, seu confinii Comitem nominaverat, neglectis potentibus rivalibus Vilhelmo, et Engiscalco, quos Arnulfus protexerat. Per hos Arnō bello petitus, et exturbatus fuit. Svatoplucus, qui Carolo fidelitatem, ut debebat, sponderat, vicem Arnōnis, Marchionis a Regē Carolo nominati, dolens, ejusque injurias ulturus, irrupit in Pannoniam, et ad Arabonem usque populabundus processit, fuis ac profligatis copiis, quas ei Arnulfus, et foederatus illius Dux Bulgariae opposuerat. Bello per biennium gesto, quum nulla esset spes praepotentis Marahani in ordinem redigendi, Carolus Rex cum eo pacem inivit, relicta eidem parte Pannoniae, quam occupaverat; quod Arnulfus, ad quem ea pertinebat, aegro animo tulit, reluctari tamen nusquam ausus, inimicum animum tantisper suppressit. Sed brevi postea, dum anno 887. Bojoarii et Alemani, deserto Carolo Crasso, Arnulfum sibi Regem elegissent, hinc Carolo Crasso mortuo Imperatoriam Dignitatem ambiciose quaesivisset, e re sua esse arbitrabatur, potentis Slavorum Principis amicitiam quaerere; quae habito inter eos Conventu, fuit etiam confirmata. Postquam dein Arnulfus, agente Svatoplucō, in Comitibus Tri-

buriensibus fuisset Imperator electus, gratiam eidem redditurus Imperator, non modo Pacem a Carolo Crasso initam firmam esse jussit, verum etiam, ut amicitia stabilior persisteret, Jus suum in Ducatum Boëmiæ eidem cessit. Ita ortum est amplissimum illud, Germanis formidabile, Magnæ Moraviæ Regnum, quod præter Moraviam, cum magna hodiernæ Silesiæ parte, Territorium inter Vistulam et Albim a Slavis insessum, Boëmiam, Partem modernæ Austriæ, quæ olim ad magnam Germaniam pertinebat, insuper magnam partem hodiernæ Hungariæ, olim Pannoniæ, ambitu suo complectebatur.

### §. 3.

#### Cyrillus, et Methodius Moravorum Apostoli.

Quamvis Religio Christiana apud Moravos adhuc sub Carolo Magno, qui eam Ditionem sibi subjecerat; dein baptizato Principe Privinna, zeloque Urolfi Laureacensis et Pataviensis Episcopi fuerit adeo jam dilatata, ut quatuor Episcopatus per Urolfum institui debuerint, inter quos Nitraviensem fuisse constat: postquam Episcopi, quos Urolfus constituerat, e vivis excessissent, sive quod Patavienses Episcopi Metropolitanica Jurisdictione, quam Salisburgenses Archiepiscopi agnoscere recusabant, non contenti, Jura Dioecesana exercere in Moravia coeperint, et ad vacantes Sedes Episcopos non ordinaverint: sive ideo, quia Moravienses a Jugo francico, et germanico semet liberare cupientes, a morte Caroli Magni sub

Ludovico Pio, ejusque filiis, gravibus bellis fuerint impliciti, quibus durantibus, Episcopis Pataviensibus accessus non patuerit; factum fuit, ut apud Marahanos Religio Christiana non parum detrimenti fuerit passa. Quamobrem Princeps Ratislaus seu Raszticzius Byzantium ad Michaellem Imperatorem Legationem misit, auxiliares quidem Copias contra Ludovicum Germaniae, et Bojoariae Regem, simul etiam viros apostolicos petituram; per quos gens sua in Religionis Christianae Doctrina, quam a germanis haustam, non satis intelligeret, uberius institueretur. Erant hoc tempore, quo Legatio venerat, Constantinopoli duo Fratres germani, Thessaloniczenses origine, ambo pii aequae ac docti. Methodius videlicet senior natu, monachalem vitam in monte Olympi professus; et junior nomine Constantinus in sacris et profanis Disciplinis egregie versatus, apud Ecclesiam Sophiae, Bibliothecae Praefectus, passim Philosophus appellatus. Ambo in Chazarorum conversione antea jam versati. Scilicet Chazari tauricam peninsulam colentes, a graecorum Imperatore Michaelle per Legatos petierunt, mitti sibi virum sapientem, qui suo judicio discernere possit, utra Religio, Judaeorum vel Saracenorum, melior esset; cum ab utrisque ad Religionem suam amplectendam urgerentur. Imperator Constantinum Philosophum delegit, qui germanum suum Methodium in laboris apostolici socium sibi adscivit. Profecti ad Chazaros, Chersonesae substitere, tum ut Chazarorum linguam condiscant; cum etiam, ut levarent corpus S. Clementis Romani, qui ibidem sub Trajano Imperatore

**Martyr occubuit. Levato, et secum absportato sacro pignore, in Chazariam delati, Judaeorum, et Sarcenorum placitis, quae Chazaris obtrudere volebant, refutatis, Chaganum, cum Bohiladis, multosque de Populo ad Christum adduxerunt, et per Baptismum Ecclesiae Christianae aggregarunt, Constantinopolim iterum reversi. Itaque binis his viris, dum Legatio Ratislai venisset, Michael Imperator instituendorum Moravorum provinciam detulit, eosque ad sanctum hoc Opus perficiendum designavit. Missione acceptata, Constantinus Philosophus, propria jam doctus experientia, quantum momenti habeat ad felicem gentis cujuspiam conversionem, linguae apud eam usitatae exacta notitia, inveniendis primum Slavici alphabeti litteris animum adjecit; dein adjutorio Methodii, initium Evangelii S. Joannis in Slavicum transtulit. Versione Constantinopoli viris linguae hujus gnaris probata, iter in Moraviam via, quae brevissima videbatur, per Ditionem Bulgarorum, ubi multos ad Christum converterunt, ingressi. Annus erat supra octingentesimum sexagesimus tertius, ut vult Pagius, vel, ut contendit Assemanus, sexagesimus sextus, quo in Moraviam pertigerunt, cum gaudio a Ratislao, et Populo excepti. Quatuor pene annis apostolico munere functi, Principem, Primores, et Populum in fide jam olim suscepta partim firmarunt, partim eos, qui ab illa desciverant, ad Christum adduxerunt, usi in suis Institutionibus, et Lythurgia, lingua Slavica, genti propria, in quam Libros Sacros novi foederis, Librosque lythurgicos pro majore Populi utilitate transtulerunt. Atque istud est, quod Bojoa-**

rios, Germanosque vehementer offenderat, quasi nempe in Regione, quae Laureacensi Metropolitanae Jurisdictioni obnoxia est, Ritus graecae, seu orientalis Ecclesiae inducerent, propagarentque. Querelis hac de re ad Nicolaum I. P. perlatis, veritus, ne, quod apud Bulgaros evenerat, id etiam in Moravia contingat, Litteris suis Constantinum, et Methodium Romam vocavit, illorum orthodoxiam exploraturus. Non morabantur Viri sancti iter ingredi. Nicolao interea ad aeternitatem translato, ab Illius Successore Adriano II. eo humanius excepti, quod Corpus S. Clementis M. secum attulissent. Postquam Doctrinae, gestique apostolici muneris rationem reddidissent, plene probata eorum Orthodoxia, zeloque dignis encomiis celebrato, ad sanctum opus proseguendum redire in Moraviam jussi fuere. Ast: Constantinus vitae Monasticae studio ductus, Romae Monachum induit, accepto Kyrili, seu Cyrili nomine. Methodius vero a Pontifice in Moravensium et Pannonensium Archi-Episcopum ordinatus, Moraviam repetiit; ubi caractere, munereque Episcopali insignitus, in quibusvis Ecclesiis Lythurgiae celebrationem Slavica lingua induxit; quod exemplum tam illi Slavi, qui in Ditione Privinnae concessa in inferiore Pannonia, sedebant, quam et Carentani fuerant secuti. Hac re Bojoariae, et Germaniae Episcopi magis irritati, sanctum Virum Calumniis onerarunt, quod novitiam, ab orthodoxa alienam spargeret doctrinam: quo audito, ipse Princeps Svatoplucus adeo fuit conturbatus, ut Methodii fidem caeperit habere suspectam, et misso Presbytero quodam Joanne,

cujus opera in Legationibus usus fuerat, consuluerit Joannem VIII. P. quidve agendum sibi esset, edoceri petierit; qui eidem respondit per Litteras hunc in modum:

„Twéntaro de Maravva.

„Scire volumus, quia Nos, qui per Dei gratiam  
 „beati Petri Apostolorum Principis vicem tenemus,  
 „pio amore Vos, quasi Carissimos filios amplectimur,  
 „et paterna dilectione amamus, nostrisque assiduis  
 „precibus Vos omnes Jesu Christo Domino commen-  
 „damus: orantes semper pro vobis, ut Deus omni-  
 „potens, qui Corda vestra illuminavit, et ad viam ve-  
 „ritatis perduxit, in bonis operibus confirmet, et ad  
 „finem in recta fide, bonaque actione decoratos vos,  
 „atque incolumes dignetur perducere. Quod autem,  
 „sicut Joanne Presbytero vestro, quem nobis misi-  
 „stis, referente, didicimus, in recta fide dubitetis:  
 „monemus Dilectionem vestram, ut sic teneatis, sic  
 „credatis, sicut Sancta romana Ecclesia ab ipso Apo-  
 „stolorum Principe didicit, tenuit, et usque finem  
 „saeculorum tenebit, atque per totum Mundum quo-  
 „tidie sanctae fidei verba, rectaeque praedicationis  
 „semina mittit; et sicut Antecessores Nostros, san-  
 „ctos videlicet apostolicae sedis Praesules, Parentes  
 „vestros ab initio docuisse cognoscitis. Si autem ali-  
 „quis vobis, vel Episcopus vester, vel quilibet Sa-  
 „cerdos aliter annunciare, aut praedicare praesum-  
 „serit, zelo accensi omnes, uno animo, unaque vo-  
 „luntate Doctrinam falsam abjicite, stantes, et te-

„nentes Traditionem Sedis apostolicae. Quia vero  
 „audivimus, quia Methodius vester Archi-Episcopus  
 „ab Antecessore Nostro, Hadriano scilicet Papa or-  
 „dinatus, vobis directus, aliter doceat, quam coram  
 „S. Sede apostolica se credere et verbis, et litteris  
 „est professus, valde miramur: tamen propter hoc  
 „direximus illi, ut absque omni occasione ad Nos ve-  
 „nire procuret; quatenus ex ore ejus audiamus,  
 „utrum sic teneat, ac credat, sicut promisit, aut non.“  
 Data est haec Epistola XVIII. Kal. Jul. Indict. 12.  
 anno 879. Inter Epistolas Joannis P. 89 alias 194.

Twentarus, cui inscripta est, non alius est,  
 quam Svatoplucus; ut contextus ostendit, et ex  
 alia Epistola ad Svatoplucum data, colligitur. Forte  
 in primigenio Codice scriptum fuit per abbreviatio-  
 nem Zwent: quo denotabatur Zwentibaldus.  
 Transcriptor vero prima littera corrupta, additis ul-  
 timis syllabis Twentarum efformaverit. Memoratae  
 in his Litterae ad Methodium datae sic sonant:

„Reverendissimo Methodio Archi-Episcopo Pan-  
 „noniensi Ecclesiae.

„Praedicationis tuae Doctrinis populum Domini  
 „tibi quasi spirituali Pastori commissum salvare, in-  
 „struereque cum debeas, audivimus quod non ea,  
 „quae Sancta Romana Ecclesia ab ipso Apostolorum  
 „Principe didicit, et quotidie praedicat, in docendo  
 „doceas, et ipsum populum in errorem mittas. Unde  
 „his Apostolatus Nostri litteris tibi jubemus, ut omni  
 „occasione postposita, ad Nos de praesenti venire  
 „procures; ut ex ore tuo audiamus, et cognoscamus,  
 „utrum sic teneas, ac praedices, sicut verbis, ac

„litteris te Sanctae romanae Ecclesiae credere promissisti, aut non: ut veraciter cognoscamus doctrinam tuam. Audimus etiam, quod Missam cantes in barbara, hoc est, in Sclavonica lingua: unde jam litteris Nostris per Paulum Episcopum Anconitanum tibi directis, prohibuimus, ne in ea lingua Sacra Missarum solennia celebrares, sed vel in latina, vel graeca lingua, sicut Ecclesia toto orbe terrarum diffusa, et in omnibus gentibus dilatata, cantat. Praedicare vero, aut sermonem in populo facere tibi licet: quoniam Psalmista omnes admonet, Dominum gentes laudare; et Apostolus: omnis, inquit, lingua confiteatur, quod Dominus Jesus in gloria est Dei Patris.“ Data ut superior de eodem anno et Die. Inter Epist. Joannis P. 90. alias 195.

Methodius itaque Romam alterum vocatus, assumpto Vichingo Alemano, Presbytero, ad Episcopalem Cathedram Nitriensem destinato, pluribusque aliis per Svatoplucum eidem adjunctis, eo libentius profectus est, quo certius de integritate Doctrinae suae persvasus, datam sibi occasionem gratulabatur, plura cum Cyrillo Fratre conferendi. Ast Romam delatus, Cyrillum ad superna abiisse intellexit: Pontifici autem, et convocato Concilio ita se probavit, ut et Doctrinam ejus per omnia orthodoxam, atque conformem Doctrinae Romanae Ecclesiae declaraverit, et simul usum linguae Slavicae in celebratione Missae, ac sacrae Lythurgiae indulserit: Vichingum Ecclesiae Nitriensi Episcopum consecraverit, ac in Moraviam remissos Svatoplucum per has Litteras commendaverit:

„Dilecto Filio Sfantopulcro glorioso Comiti.

„Industriae tuae notum esse volumus, quoniam  
 „Confratre Nostro Methodio Reverendissimo Archi-  
 „Episcopo Sanctae Ecclesiae Moravensis, una cum  
 „Semisisno fideli tuo, ad limina SS. Apostolorum Pe-  
 „tri et Pauli, Nostramque Pontificalem praesentiam  
 „veniente, didicimus tuae Devotionis sinceritatem,  
 „et totius Populi tui desiderium, quod circa Sedem  
 „apostolicam, et nostram Paternitatem habetis. Nam  
 „Divina gratia inspirante, contemtis aliis Saeculi  
 „Principibus, beatum Petrum apostolici ordinis Prin-  
 „cipem, Vicariumque illius habere Patronum, et in  
 „omnibus adiutorem, ac defensorem pariter cum No-  
 „bilibus Viris, fidelibus tuis, et cum omni populo  
 „terrae tuae, amore fidelissimo elegisti; et usque ad  
 „finem sub ipsius, ac Vicarii ejus defensione colla-  
 „submittens, pio affectu cupis, auxiliante Domino,  
 „utpote filius devotissimus, permanere. Pro qua sci-  
 „licet tanta fide, ac devotione tua, et populi tui,  
 „Apostolatus nostri Ulnis extensis, Te quasi unicum  
 „filium amore ingenti amplectimur, et cum omnibus  
 „fidelibus tuis Paternitatis nostrae gremio, veluti oves  
 „Domini nobis commissas, recipimus, vitaeque pa-  
 „bulo clementer nutrire optamus, atque nostris assi-  
 „duis precibus omnipotenti te Domino commendare  
 „studemus; quatenus SS. Apostolorum suffragantibus  
 „meritis, et in hoc saeculo adversa omnia superare,  
 „et in Coelesti postmodum Regione cum Christo,  
 „nostro Deo, valeas triumphare. Igitur hunc Metho-  
 „dium, Venerabilem Archi-Episcopum Vestrum in-  
 „terrogavimus, coram positis Fratribus nostris, Epi-

„scopis, si orthodoxae fidei Symbolum ita crederet,  
 „et inter Sacra Missarum solennia caneret, sicuti  
 „Sanctam Romanam Ecclesiam tenere, et in Sanctis  
 „universalibus Synodis, a SS. Patribus secundum  
 „Evangelicam Christi Dei nostri auctoritatem pro-  
 „mulgatum, atque traditum constat. Ille autem pro-  
 „fessus est, se juxta evangelicam, et apostolicam Do-  
 „ctrinam, sicut Sancta romana Ecclesia docet, et a  
 „Patribus traditum est, tenere, et psallere. Nos au-  
 „tem illum in omnibus ecclesiasticis Doctrinis, et uti-  
 „litatibus orthodoxum, et proficuum esse reperientes,  
 „Vobis iterum ad regendam commissam sibi Dei Ec-  
 „clesiam remisimus, quem veluti Pastorem propriam  
 „ut digno honore, ac reverentia, laetaque mente re-  
 „cipiatis, jubemus: quia nostrae apostolicae aucto-  
 „ritatis praecepto Archi-Episcopatus ei privilegium  
 „confirmavimus, et in perpetuum, Deo juvante, fir-  
 „mum manere statuimus; sicut Antecessorum nostro-  
 „rum auctoritate omnia Ecclesiarum Dei Jura, et pri-  
 „vilegia statuta, et firmata consistunt; ita sane, ut  
 „juxta Canonicam traditionem omnium negotiorum  
 „ecclesiasticorum curam habeat ipse, et ea, velut Deo  
 „contemplante dispenset. Nam populus Domini illi  
 „commissus est, et pro animabus eorum hic reddi-  
 „turus erit rationem. Ipsum quoque Presbyterum,  
 „nomine Vichinum, quem Nobis direxisti, ele-  
 „ctum Episcopum consecravimus Sanctae Ecclesiae  
 „Nitrensis, quem suo Archi-Episcopo in omni-  
 „bus obedientem, sicut Sancti Canones docent, esse  
 „jubemus; et volumus, ut pariter cum ipsius Archi-  
 „Episcopi consensu, et providentia, alterum Nobis

„apto tempore utilem Presbyterum, aut Diaconum  
 „dirigas, quem similiter in alia Ecclesia, in qua Epi-  
 „scopalem Cathedram noveris esse necessariam, or-  
 „dinemus Episcopum: ut cum his duobus a nobis or-  
 „dinatis Episcopis praefatus Archi-Episcopus vester  
 „juxta Decretum apostolicum per alia loca, in quibus  
 „Episcopi honorifice debent, et possunt existere, post-  
 „modum valeat ordinare. Presbyteros vero, ac Dia-  
 „conos, seu cujuscunque ordinis Clericos, sive Scla-  
 „vos, sive cujuslibet gentis, qui intra Provinciae tuae  
 „fines consistunt, praecipimus esse subjectos, et obe-  
 „dientes in omnibus, jam dicto Con-fratri nostro,  
 „Archi-Episcopo Vestro, ut nihil omnino praeter  
 „ipsius Conscientiam agant. Quod si contumaces, et  
 „inobedientes existentes, scandalum aliquod, vel  
 „schisma facere praesumserint, et post primam, et  
 „secundam admonitionem se minime correxerint, qua-  
 „si zizaniorum seminatores ab Ecclesiis, et finibus  
 „Vestris auctoritate nostra praecipimus procul esse  
 „abjiciendos, secundum auctoritatem Capitulorum,  
 „quae illi dedimus, et vobis direximus. Litteras de-  
 „nique Sclavonicas, a Constantino quodam Philosopho  
 „reperitas, quibus Deo laudes debite resonent, jure  
 „laudamus, et in eadem lingua Christi Domini nostri  
 „praeconia, et opera, ut enarrentur, jubemus: neque  
 „enim tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum  
 „laudare, auctoritate sacra monemur, quae praecipit,  
 „dicens: Laudate Dominum omnes gentes, laudate  
 „eum omnes populi. Et Apostoli repleti Spiritu San-  
 „cto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc  
 „et Paulus, coelestis quoque tuba insonat monens:

„Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus  
 „Christus in gloria est Dei Patris. De quibus etiam  
 „linguis in prima ad Corinthios Epistola satis, et ma-  
 „nifeste nos admonet, quatenus linguis loquentes Ec-  
 „clesiam Dei aedificemus. Nec sanae fidei, vel doctri-  
 „nae aliquid obstat, sive Missas in eadem Scavo-  
 „nica lingua canere, sive sanctum Evangelium, vel  
 „Lectiones Divinas novi, et veteris Testamenti bene  
 „translatas, et interpretatas legere, aut alia horarum  
 „officia omnia psallere: quoniam, qui fecit tres lin-  
 „guas, hebraeam scilicet, graecam, et latinam, ipse  
 „creavit et alias omnes ad laudem, et gloriam suam.  
 „Jubemus tamen, ut in omnibus Ecclesiis terrae ve-  
 „strae, propter majorem honorificentiam, Evange-  
 „lium latine legatur, et postmodum Scavonica lingua  
 „translatum, in auribus populi, latina verba non in-  
 „telligentis, annuncietur, sicut in quibusdam Eccle-  
 „siis fieri videtur. Et si tibi, et Judicibus tuis placet,  
 „Missa latina lingua magis audire, praecipimus, ut  
 „latine Missarum solennia tibi celebrentur.“ Data est  
 mense Junio Indict. XIII. anno 880. Inter Epist. Joan-  
 nis P. 107. alias 247.

Exspectari quidem poterat, postquam Methodii  
 Doctrinae integritas et Hadriano, et Joanni Pontifici  
 probata, zelusque Ejus justis Encomiis celebratus  
 fuit, destituros tandem illos, qui Virum Sanctum in-  
 juriosis Calumniis affecerunt: non destitere tamen.  
 Questus propterea apud Eundem Pontificem, conso-  
 latorias has Litteras a Pontifice eodem meruit acci-  
 pere:

„Methodio Archi - Episcopo pro fide.

„Pastoralis sollicitudinis tuae curam, quam in  
 „lucrandis animabus fidelium Domino Deo nostro ex-  
 „hibes, approbantes, et orthodoxae fidei te culto-  
 „rem strenuum existere contemplantes, nimis in eo-  
 „dem Domino jucundamur, et ei immensas laudes,  
 „et gratias agere non cessamus: qui te magis ac magis,  
 „in suis mandatis accendat, et ad Sanctae suae Eccle-  
 „siae profectum ab omnibus adversitatibus eripiat.  
 „Verum auditis per tuas litteras variis casibus, vel  
 „eventibus tuis, quanta compassione tibi condolueri-  
 „mus, ex hoc advertere poteris, in quo te coram no-  
 „bis positum, sanctam Romanae Ecclesiae Doctri-  
 „nam, juxta SS. Patrum probabilem Traditionem,  
 „sequi debere monuimus, et tam symbolum, quam  
 „rectam fidem a te docendam, et praedicandam sub-  
 „didimus, nostrisque apostolicis litteris glorioso Prin-  
 „cipi Ssentopulcro, quas ei asseris fuisse delatas,  
 „hoc ipsum significavimus, et neque aliae litterae  
 „nostrae ad eum directae sunt, neque Episcopo illi  
 „palam, vel secreto aliud faciendum injunximus, et  
 „aliud a te peragendum decrevimus: quanto minus  
 „credendum est, ut Sacramentum ab eodem Episcopo  
 „exegerimus, quem saltem levi sermone super hoc  
 „negotio allocuti non fuimus. Ideoque cesset ista  
 „dubietas, et Deo cooperante, sicut Evangelica et  
 „Apostolica se habet Doctrina, orthodoxae fidei cul-  
 „tum fidelibus cunctis inculca; ut de labore tui certa-  
 „minis Domino Jesu Christo fructum afferas abundan-  
 „tem, et gratia ejus remuneratus mercedem recipias  
 „competentem. Caeterum de aliis tentationibus, quas

„diverso modo perpressus es, noli tristari; quin potius hoc secundum Apostolum omne gaudium prorsus existima: quia si Deus pro te, nemo esse poterit contra te: tamen cum Deo Duce reversus fueris, quidquid jam dictus Episcopus contra suum Ministerium in te exercuit, utramque audientiam coram nobis discussam adjuvante Domino, legitimo finitrademus, et illius pertinaciam Judicii nostri Sententia corripere non intermittemus.“ Data est decimo Kal. Aprilis 881. Indictione decima quarta. — Inscripta est Epistola ad Methodium pro fide; hoc est, pro testimonio orthodoxae fidei, et recte factorum, in quibus sugillabatur Methodius a suis inimicis.

#### §. 4.

### An Graecum Ritum secuti?

Cyrillum et Methodium Moravorum Apostolos, etsi natione, et origine graecos, dum in Moravia Apostolatus munere fungebantur, Ritum Romanae Ecclesiae, non autem graecae secutos fuisse inde evincitur, quod ante eos Christianam Religionem edocti fuerint Moravi opera Uroli, suos haberint Episcopos, Speculo-juliensem, Nitraviensem, subjectos Laureacensi Metropolitano; invenerint illic Tempia, more latinorum constructa, quorum unum Nitriae Adalramus Salisburgensis consecravit; templa vero vasis, vestimentis, supellectile ad sacrum Ministerium necessaria, more latino fuerint instructa; Populo Ritus graecus vix de fama notus

fuerit. Quis credat, viros sanctos et prudentes repente cuncta mutare voluisse, Populum ad insuetos mores transferre tentasse; jejunia, Dies festos more graeco servare; S. Communionem Ritu graeco in pane fermentato summere, aliaque Sacramenta pari Cerimonia percipere docuisse, veteresque consuetudines dedocuisse; templa, vasa sacra, vestimenta ad graecum modum transformasse, aut transformare potuisse. Quid quod ambo apud Nicolaum P. de eo, quasi in Moravia Ritum graecum, novitiamque Doctrinam propagarent, accusati, eaque de causa Romam vocati, Hadriano P. sese probaverint, diluerintque ea, quae sibi per injuriam objiciebantur; dein Methodius ab eodem Pontifice in Moraviae Archi-Episcopum fuerit consecratus, Ritu utique Ecclesiae Romanae; non graeco Ecclesiae orientalis. Quis autem sibi pervaserit, Episcopum Ritu latino ordinatum, Ritu graeco uti voluisse, aut potuisse apud Populum, cui jam antea praefuerunt Episcopi latini, Pataviensi Metropolitanae subjecti? Quis credat Joannem VIII. P. dum Methodius alterum Romam vocatus fuerat, instituto coram Fratribus, ut in sua Epistola ad Svatoplucum scribit, examine; eundem in dignitate Metropolitanae confirmaturum, remissurum, et usum linguae Sclavonicae admissurum fuisse, si ab Institutis Ecclesiae Romanae devium invenisset: remisit autem, et in Dignitate confirmavit, Principique Svatoplucum, quem calumniosae Bojoariorum querelae vacillantem reddiderunt, eundem commendavit; quia, ut in Litteris suis ait, Illum in omnibus Ecclesiasticis Doctrinis, et utilitatibus orthodoxum, et proficuum reperit, Sym-

bolum fidei tenentem, quod Sancta Romana Ecclesia tenet, et in sanctis universalibus Synodis, a SS. Patribus traditum fuisse constat. Non aliud fecit Methodius, praeterquam quod retento quidem Ritu Ecclesiae Romanae, Latinae linguae Slavica substituerit; quod ipsum Pontifex non modo non improbat, verum ultro etiam indulget: quia nec sanae fidei, aut in suis Litteris, nec Doctrinae obstat, sive Missas in Sclavonica lingua canere, sive S. Evangelium, vel Lectiones Divinas N. et V. Testamenti bene translatae, et interpretatae, legere, aut alia horarum officia psallere: quoniam qui fecit tres linguas hebraeam, graecam, et latinam, ipse creavit et alias omnes ad laudem, et gloriam suam. Evidentissimum denique argumentum est, Methodium observasse Ritus Ecclesiae Romanae, et Occidentalis, quod Photius Patriarcha Constantinopolitanus, Schismatis graecorum auctor, hoc ipso tempore sedi suae redditus, Methodium a graeco Ritu descivisse tam iniquo animo tulerit, ut tam hunc, quam et Vichingum Nitriensem Episcopum exauctoratos, excommunicatosque declaraverit; ac Methodio quidem Agathonem Bulgariae Metropolitanam in Archi-Episcopali Dignitate; Vichingo autem in Nitriensi Episcopatu Gorasdam quemdam suffecerit: quorum neuter a Moravis, Ritui latino adhaerentibus, agnitus, susceptusque fuit.

---

## §. 5.

Magnae Moraviae, et Episcopatus  
Nitriensis fata.

Amicitia, quae Arnulfo, dum Imperatoriam Dignitatem quaerebat, cum Svatoplucō interceserat, diuturna non fuit. Imperator enim Marahanum Principem, quod et insolentem, et infidum reputaret, nisi livis oculis potuit intueri. Dum itaque Provincias suo Imperio subjectas, Incursionibus molestaret, bello eundem adgredi constituit: sed cum tam potentē, ac formidoloso hoste propriis duntaxat viribus decertare non ausus, de alieno auxilio prospiciendum sibi esse existimavit. Sub hoc tempus Arpadus cum hungaris e bello bulgarico, ad quod per Orientis Imperatorem Leonem sapientem, pacto foedere, fuerat invitatus, victor redux, per Arnulfum, audita bellicosae gentis fama, fuit vocatus in armorum societatem contra Svatoplucum. Fortissime resistente Marahano Principe, cruentum bellum fuit. Sub hoc Vichingus Nitriensis Episcopus, qui plus Germanis adhaeserat, et propterea Methodio multas molestias facessiverat, ad partes Arnulfi se recepit, Cancellarius Illius primum factus; dein mortuo Engelmario Pataviensi Episcopo, ad eam Sedem, potentia Imperatoris, promotus. In hoc bello Svatoplucus a Tybisco per hungaros, a fronte per Imperatorem Arnulfum pressus, iterataque Clade prostratus, propudiosam cum Imperatore Pacem, qua Moravia Germanicō Regno clientelaris facta est, con-

fecit: Hungaris non alio reportato emolumento, praeterquam quod illis via in Pannoniam sit patefacta, quam, durante hoc bello per Paczinacitas Sedibus suis in Atelkuz deturbati, postea occupare adgressi fuerunt. Svatoplucus pace inglorie confecta, seu mortem praesagiendo, seu decedere de throno meditando, Regnum suum inter tres filios partitus, maximum natu magnum Ducem constituit, cui reliquos subesse voluit. Ita enim Constant. Porphyr. scribit: „Moraviae Princeps Sventoplucus, fortis terribilisque Populis finitimis fuit, filiosque habuit tres, et fatis cedens, Regionem suam in tres partes divisit, filiisque singulis suam portionem tradidit. Maximum natu Principem magnum faciens, reliquos vero duos, sub ejus potestate constituens.“ Alii: ut Cosmas Prag. Aeneas Sylv., Dubravius, narrant: Svatoplucum fatis pressum, Dominatui, mundanisque nuntium misisse; clam e Regno disparuisse; subintrasse Nemus vicini ad Nitriam montis Zobor, ubi viri quidam coelestem in spelaeo vitam duxerunt, cum his poenitentiae veste indutum, prorsus incognitum, vitam duxisse, atque tum solum, cum animam ageret, quis esset, manifestasse. Quidquid ejus sit: gravissima dehinc Moraviae imminebant mala, quae paucis exponam.

---

## §. 6.

## Post Svatopluci mortem.

Regno Moraviae inter Svatopluci filios subdiviso; Pannonia, velut nobilissima magnae Moraviae portio, filio natu maximo obtigisse videtur. Ortis inter fratres disidiis, opportuna hungaris oblata fuit occasio Pannoniam invadendi; et natu maximo filio, qui in Pannonia dominabatur, vel caeso, vel defuncto, duo superstites graviora adhuc jurgia periculosissimo tempore, quod neuter alteri subesse vellet, fovebant. „Postea, scribit Annalista fuldensis ad an. 898, inter duos fratres gentis Marahensium, Moymirum videlicet, ac Zentobolchum (Svatoplucum jun.) eorumque populum dissensio, atque discordia gravissima exorta est, ita, ut si alter alterum suis viribus insequi, atque comprehendere valeret, capitalem subiret sententiam.“ Ad componendas has dissensiones Arnulfus suos Duces in Moraviam misit. Sed et Arpadus his Dissensionibus in rem suam usus, Marahanensium Ditiones invasit. Quum Marahanenses hinc Arnulfus per suos Duces, inde Arpadus per suos milites premeret, isti tantis hostibus impares, ut theatrum belli ad Ditiones Arnulfi transferant, seque ab utroque hoste liberent, ad fraudes conversi, cum hungaris ejusmodi societatem iniverunt, ut Capitibus ad eorum morem attonsis, illis se miscuerint, illos in vastanda Pannoniae parte, quae Juribus Arnulfi subjecta, nondum ab Arpado subacta fuit, adjuverint, illis denique

viam ad populandam Carentaniam, et Italiam aperuerint. Hungaris Italiam vastantibus, Episcopi Bojariae Pacem Marahanensibus obtulerunt, ut ab iis liberi, Longobardiam intrare, resque S. Petri contra Hungaros defendere possint. At illi non tantum Paci non aquieverunt, sed etiam novum iis periculum apud Pontificem iniquis criminationibus suis creaverunt. Nam ut exosum Germaniae jugum excuterent, ab Joanne IX. P. multis Precibus efflagitarunt, ut suos Moravis daret Antistites, ne cum Bavaris, qui hungaros, cum quibus nefario Sacramento per Canem, et Lupum foedus sanxerunt, ad Italiam vastandam immiserunt, communione Sacrorum jungi debeant. Joannes P. Hungarorum in Italiam excursionem commotus, fidem pene Calumniis Marahanensium adhibuit, minacesque Litteras ad Episcopos Bavariae dedit; misit etiam Legatos in Moraviam ad ordinandos Episcopos, Joannem Archi-Episcopum, Benedictum, et Danielelem Episcopos. Sunt, qui putant Methodium eorum adhuc superstitem, in Dignitate Metropolitana per Legatos confirmatum fuisse; quod credibile prorsus non est. Nam ille dudum antea in Episcopum consecratus, et per Joannem VIII. P. in Metropolitana dignitate confirmatus, nova seu ordinatione, seu confirmatione haud egebat. Sed nec fuisset necesse tres Episcopos pro ordinandis novis Episcopis mittere, si Methodius in vivis fuisset: quia cum illo duo alii ad satisfaciendum praescripto Ritui, et formae Consecrationis suffecissent. — Per hos Pontificios Legatos quatuor Episcopos fuisse ordinatos, ex querelis Bavariae Episcoporum evincitur. Inter

hos ad **Cathedram Episcopalem Nitriensem**, quae per **Vichingi** transitum ad **Sedem Pataviensem**, legitime vacabat, **Episcopum** fuisse ordinatum, nullum potest esse dubium: illius tamen nomen ad posteritatis memoriam transmissum non est. **Evigilarunt** ad hoc, sed sero, **Episcopi Bavariae** cum **Juvaviensi Archi-Episcopo**, qui has **Litteras**, quibus calumnias per **Moravenses** in se coniectas refellunt, ad **Joanem IX. P.** dederunt anno 898.

„**Summo Pontifici**, et **universali Papae**, non  
 „**unius Urbis**, sed **totius Orbis**, **Domino Joanni**, **Roma-**  
 „**nae Sedis Governatori** magnifico, **humillimi Pa-**  
 „**ternitatis Vestrae filii**, **Theotmarus Juvaviensis**  
 „**Ecclesiae Archi-Episcopus**, **Valdo Frisingensis**,  
 „**Erchenpaldus Eystadensis**, **Zacharias Saebon-**  
 „**nensis**, **Tutto Ratisponensis**, **Richarius Pa-**  
 „**taviensis Ecclesiae Episcopus**; nec non et uni-  
 „**versus Clerus**, **Populusque Christianus** per totam  
 „**Noricam**, quae et **Bavaria**, **conversatur**, pro-  
 „**sperum** in **Salvatore nostro** profectum, **Catholicae**  
 „**Pacis augmentum**, et **Regnum optamus aeternum**.  
 „**Antecessorum vestrorum Decretis**, et **Catholicorum**  
 „**Patrum institutis** plenissime instruimur, in omni-  
 „**bus nostro Ministerio sacerdotali** obstantibus, **Ro-**  
 „**manum appellare Pontificem**, ut, quod ad unitatem  
 „**concordiae**, et ad **custodiam** pertinet **Disciplinae**,  
 „**nulla dissensione violetur**; sed ab ipso **summa Pro-**  
 „**visione decernatur**. Nequaquam enim credimus,  
 „**quod coacti** quotidie audimus, ut de illa **sancta**, et  
 „**apostolica Sede**, quae nobis **sacerdotalis Mater** est  
 „**dignitatis**, et **origo Christianae Religionis**, **proflu-**

„xerit quippiam perversitatis, sed doctrina, et au-  
 „ctoritas Ecclesiasticae rationis. Sed venerunt, ut  
 „ipsi promulgarunt, de latere Vestro tres Episcopi,  
 „videlicet Joannes Archi-Episcopus, Benedictus, et  
 „Daniel Episcopi in terram Schlavorum, qui Ma-  
 „ravi dicuntur, quae Regibus nostris, et populo no-  
 „stro, nobis quoque cum habitatoribus suis subacta  
 „fuerat, tam in cultu Religionis, quam in tributo  
 „substantiae saecularis: quia exinde primum imbuti,  
 „et ex paganis Christiani sunt facti. Et idcirco Pa-  
 „taviensis Episcopus Civitatis, in cujus ditione  
 „sunt illius tempore populi, ab exordio Christiani-  
 „tatis eorum, quando voluit, et debuit, illuc nullo  
 „obstante intravit, et synodalem cum suis, et etiam  
 „ibi inventis conventum frequentavit, et omnia, quae  
 „agenda sunt, potenter egit, et nullus ei in faciem  
 „restitit; etiam et nostri Comites, illi terrae confi-  
 „nes, placita saecularia illic continuaverunt, et quae  
 „corrigenda sunt, correxerunt, tributa tulerunt, et  
 „nulli eis restiterunt, usque dum incessente corda  
 „eorum diabolo, Christianitatem abhorrere, et o-  
 „mnem justitiam detrectare, belloque lacescere, et  
 „obsistere saevissime caeperunt adeo, ut via Episco-  
 „po, et Praedicatoribus eo non esset, sed libitu suo  
 „egerunt, quae voluerunt. Nunc vero, quod nobis  
 „grave videtur, et incredibile, in augmentum inju-  
 „riae jactitant, se magnitudine pecuniae id egisse,  
 „qualia de illa Episcopali Sede nunquam audivimus  
 „exisse; neque Canonum Decreta id sanxisse, ut tan-  
 „tum Schisma una pateretur Ecclesia. Est enim  
 „unus Episcopatus in quinque divisus.

„Intrantes enim praedicti Episcopi in nomine Vestro,  
 „ut ipsi dixerunt, ordinauerunt in uno, eodemque  
 „Episcopatu unum Archi-Episcopum, si tamen in  
 „alterius Episcopatu Archi-Episcopium esse potest,  
 „et tres suffraganeos ejus Episcopos, absque scientia  
 „Archi-Episcopi, et consensu Episcopi, in cujus  
 „fuere Dioecesi. Cum in Conc. Africano Cap. 20 de-  
 „cretum sit, ut plebes, quae in Dioecesibus ab Epi-  
 „scopis retinentur, quae nunquam Episcopos habue-  
 „runt, nonnisi cum voluntate ejus Episcopi, a quo  
 „tenentur, proprios accipiant Rectores, vel Episco-  
 „pos. Et item in eodem Concilio Cap. 65. ut plebes,  
 „quae nunquam habuerunt proprios Episcopos, nisi  
 „ex Concilio plenario uniuscujusque provinciae, et  
 „Primatis, atque consensu ejus, ad cujus Dioecesim  
 „eadem plebs pertinebat, minime accipiant. In De-  
 „cretis Papae Leonis Cap. 15. scriptum est: Nulla  
 „ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui a Pro-  
 „vincialibus Episcoporum, Metropolitanis iudicio, non  
 „consecrantur. Idem Cap. 1059: si indignis quibus-  
 „que, et longe extra sacerdotale meritum constitu-  
 „tis, pastorale fastigium, et gubernatio Ecclesiae de-  
 „tur, non est hoc consulere populis, sed nocere;  
 „nec praestare regimen, sed augere discrimen. Et  
 „in eodem Cap. post pauca: Difficile est, ut bono  
 „peragantur exitu, quae malo sunt inchoata princi-  
 „pio. Et in Decreto Papae Caelestini Antecessoris  
 „Vestri Cap. 22. continetur: ne alicui locus conce-  
 „datur Sacerdoti in alterius injuriam. Antecessor Ve-  
 „ster, Zventibaldo Duce imperante, Vichin-  
 „gum consecravit Episcopum, et nequaquam in il-

„lum antiquum Pataviensem Episcopatum transmisit,  
 „sed in quamdam neophitam gentem, quam ipse Dux  
 „domuit bello, et ex paganis Christianos esse para-  
 „vit. Cum autem eisdem Schlavis locus familiaritatis  
 „apud Legatos vestros dabatur, accusabant nos, et  
 „diffamabant in multis, et verbis mendacibus insta-  
 „bant; quia nemo eis vera respondebat, dicentes:  
 „Nos et cum Francis, et Alemanis scandalum, et  
 „discordiam habuisse; cum hoc falsum esse ex hoc  
 „convincitur, quia amicissimi nostri sunt, et chari-  
 „tative Cooperatores, et etiam cum ipsis impacatos  
 „esse accusabant.

„Quod non nostra culpa exigente, sed sua pro-  
 „tervia faciente, ita fatemur esse, quia quando Chri-  
 „stianitas illis caepit vilescere, et insuper debitum  
 „Tributum senioribus nostris Regibus, et Principi-  
 „bus eorum solvere respuerunt, et in servitium re-  
 „ciderunt. Idcirco jure proprio tributarios habere  
 „debuerunt, et debent, et si velint, nolint, regno  
 „subacti erunt. Quapropter oportet vos abs alto  
 „speculari, et moderaminis temperiem pro omnibus  
 „tenere, ne peior pars confortetur, et melior infir-  
 „metur. Progenitores namque serenissimi Senioris  
 „nostri, Ludovici videlicet Imperatoris nostri, et  
 „Reges ex Christianissima Francorum gente prodierunt:  
 „Mojmari vero Schlavi a paganis, et ethnicis vene-  
 „runt; illi potentia imperiali Romanam Rempublicam  
 „sublimarunt, isti damnaverunt; illi Christianum  
 „regnum confortarunt, isti infirmaverunt. Illi toto  
 „mundo spectabiles apparuerunt, isti latibulis, et  
 „Urbibus occultati fuerunt; illorum consilio aposto-

„lica Sedes pollebat, istorum Persecutione Christia-  
 „nitas dolebat. In omnibus his juvenculus Rex no-  
 „ster, nulli Praedecessorum suorum inferior, secun-  
 „dum virtutem a Deo sibi datam, sanctae Romanae  
 „Ecclesiae, et Vobis summo Pontifici, cum omnibus  
 „Regni sui Principibus adjutor optat esse firmissimus.  
 „Omne namque Regnum, divinitus sibi commissum  
 „ad Dei servitium, suumque adjutorium unum vult,  
 „et operatur. Unde et pace viget, et concordia gra-  
 „tulatur, atque ad Vestram Paternitatem, sicut Pa-  
 „tris sui se pertinere laetatur. Quod nos praefati Schla-  
 „vi criminabantur, cum Ungaris fidem Catholicam  
 „violasse, et per canem, seu lupum, aliasque ne-  
 „fandissimas, et ethnicas res Sacramenta, et pacem  
 „egisse, atque, ut in Italiam transirent, pecuniam  
 „dedisse; si vobis coram posito ratio inter nos agi-  
 „taretur ante Deum, qui cuncta novit, antequam fi-  
 „ant, et coram Vobis, qui vicem ejus apostolicam  
 „tenetis, eorum falsitas manifestaretur, et nostra in-  
 „nocentia probaretur. Quia enim Christianis nostris,  
 „longe a nobis positis, semper imminebant, et per-  
 „secutione ipsos nimia affligebant, donavimus illis  
 „nullius pretiosae pecuniam substantiae, sed tantum  
 „linea nostra vestimenta, quatenus eorum feritatem  
 „aliquatenus molliremus. Talia namque ut praescri-  
 „psimus, juxta malitiam cordis sui argumentantes,  
 „et Pontifices vestros ad injuriam nostram incitantes  
 „adeo, ut directa nobis Epistola, quasi a apostolica  
 „Sede, haec omnia improperebant, atque inter alia  
 „divino gladio feriendos dignos dicebant. Impletur  
 „enim in nobis, quod quidam Sapiens ait: Justus

„tulit crimen iniqui. Ipsi enim crimen, quod a nobis  
 „falso semel factum imposuerunt, multis annis pere-  
 „gerunt. Ipsi multitudinem Ungarorum non modicam  
 „ad se sunserunt, et more eorum Capita suorum  
 „Pseudo-Christianorum penitus detonderunt, et su-  
 „per nos Christianos immiserunt, atque ipsi super-  
 „venerunt, et alios captivos duxerunt, alios occi-  
 „derunt, alios ferina carcerum fame, et siti perdid-  
 „erunt, innumeros vero exilio deputaverunt; et no-  
 „biles Viros ac honestas mulieres in servitium rede-  
 „gerunt; Ecclesias Dei incenderunt, et omnia aedi-  
 „ficia deleverunt, ita, ut in tota Pannonia nostra,  
 „maxima provincia, tantum una non appareat Ec-  
 „clesia, prout Episcopi a Vobis destinati, si fateri  
 „velint, enarrare possunt, quantos dies transierunt,  
 „et totam terram desolatam viderunt. Quando vero  
 „Ungaros Italiam intrasse comperimus, pacificari cum  
 „eisdem Schlavis, teste Deo, multum desideravi-  
 „mus, promittentes eis propter Deum omnipoten-  
 „tem, ad perfectum indulgere omnia mala contra  
 „nos, nostrosque acta, et omnia reddere, quae de  
 „suis nostros, constaret habere; quatenus ex illis se-  
 „curos nos redderent, et tamdiu spatium darent,  
 „quamdiu Longobardiam nobis intrare, et res S. Pe-  
 „tri defendere, populumque Christianum divino ad-  
 „jutorio redimere liceret. Et nec ipsum ab eis ob-  
 „tinere potuimus; et post tanta maleficia haberent  
 „beneficia, et sunt falsi accusatores, qui semper fue-  
 „runt Christianorum persecutores. Si quis in toto  
 „mundo aliorsum nos oberasse, et justitiae resti-  
 „tisse probare conetur, veniat praesens, et eum lu-

„dificasse, nosque de hac re sentietis purissimos esse.  
 „Idcirco singuli, omnesque monendo precamur, ne  
 „ullo modo alicui falso de nobis aliquam suspicio-  
 „nem referenti, creduli sitis, antequam opportunitas  
 „exigat, ut hujus rei gratia missus de Vestra Celsi-  
 „tudine nobis, aut a nostra parvitate directus appa-  
 „reat vobis. Communis gemitus, et generalis dolor  
 „angustat, quos Germania, et tota tenet Norica,  
 „quod unitas Ecclesiae dividitur scissura. Est enim,  
 „ut praemisimus, unus Episcopatus in quinque divi-  
 „sus. Vosque virtute ex alto induti, et apostolica  
 „potestate armati, juxta Prophetam: Quod fractum  
 „est, alligate; quod infirmum, consolidate; quod  
 „abjectum reducite; ut deinceps Populus et fidei in-  
 „tegritate gratuletur, et sancta Ecclesia tranquilla  
 „devotione laetetur.“

Theodmarus, alias Dietmarus Salisbur-  
 gensis Archi-Episcopus, qui post mortem Methodii  
 Jurisdictionem Metropolitanam in totam Pannoniam  
 Sedi suae revindicare volebat, per ordinatum in Mo-  
 ravia ab Legatis Pontificis Archi-Episcopum, et Epi-  
 scopos impedimentum passus, in has querelas erupit;  
 et Moguntinum quoque Archi-Episcopum Hathonem,  
 ut Intercessorem ageret, induxit; qui anno 900. has  
 ad eundem Pontificem Joannem dedit Litteras:

„Domno sanctae et apostolicae, et universalis  
 „Romanae Ecclesiae Papae Hatho indignus Praesul  
 „Moguntiensis Ecclesiae cum universis Suffraga-  
 „neis, nostrae exiguitati adjunctis, debitum oratio-  
 „nis obsequium, et fidelem servitutem. Noverit igi-  
 „tur sublimitas Sanctitatis Vestrae, quod nulla fra-

„trum unanimitas sanctae Romanae Ecclesiae potestati  
 „subjecta fidelior, atque devotior, ac subjectior ap-  
 „paret, quam nos, qui Vestrae Dominationi, et Ca-  
 „piti omnium Ecclesiarum, omni mentis intentione  
 „subjicimur, plurimum gaudentes in Domino, et in  
 „dono gratiae ipsius, quod per Vestram Sanctita-  
 „tem, et sapientiam magnifice, et amplissime Sedes  
 „ejusdem Ecclesiae dilatatur in Religione Divina,  
 „et in hoc instantissime precibus incumbimus, de-  
 „precantes Divinam Clementiam, ut ad altiora sem-  
 „per conscendere Vos, et de die in diem meliora se-  
 „ctari, atque perficere concedat. De caetero Vestrae  
 „Clementiae innotescimus, Seniores nostrum Arnol-  
 „fum Imperatorem de hujus vitae exilio migrasse.  
 „Sed quod quamdiu in hoc mundo subsistimus, per  
 „incerta ferimur, nescientes ubi quorundam animae  
 „post hanc lucem mansionem recipiant; vestris quasi  
 „provoluti vestigiis subnixae poscimus, ut animam  
 „ipsius, vestrae auctoritatis potestate, a vinculis pec-  
 „catorum absolvatis: quia quaecunque solveritis su-  
 „per terram, erunt soluta et in Coelo. Tali vero Do-  
 „mino Rectore, et gubernatore amisso, in nostris  
 „partibus vacillavit navis Ecclesiae. Quem regem  
 „eligeret, parvo tempore inscia mansit, et quia ti-  
 „mor magnus aderat, ne solidum regnum in partes  
 „se scinderet, Divino, ut credimus, instinctu fa-  
 „ctum est, ut filius Senioris nostri, quamvis parvis-  
 „simus, communi consilio Principum, et totius Po-  
 „puli consensu, in Regem elevaretur, et quia Reges  
 „Francorum semper ex uno genere procedebant, ma-  
 „luitimus pristinum morem servare, quam nova in-

„stitutione insidere. Sed cur hoc sine vestra jussione,  
 „et permissione factum sit, vestram haud dubita-  
 „mus latere prudentiam; nulla scilicet alia causa  
 „actum constat, nisi, quia paganis inter nos, et Vos  
 „consistentibus, impeditum est iter nostrum ad san-  
 „ctam Matrem nostram Romanam Sedem, ita, ut  
 „nec Legati a nostra parvitate ad vestram dignita-  
 „tem dirigi potuissent. Sed quia tandem occasio, et  
 „tempus advenit, quo nostra epistola vestris obtuti-  
 „bus praesentaretur, rogamus nostram communem  
 „constitutionem Vestrae Dominationis benedictione  
 „roborari. Insuper etiam pietati vestrae intimamus,  
 „quod Fratres, et Patres, et Co - Episcopi nostri Ba-  
 „varienses se apud nos conquerentes, et alta suspiria  
 „trahentes, gemebant, qualiter Maravenses Populi,  
 „Francorum potestati rebelles, jactent, se ab illorum  
 „consortio esse divisos, et seorsim Metropolitano  
 „gloriantur a vestra concessione esse sublimatos: cum  
 „nunquam Metropolitana Sedes inter illos haberetur,  
 „sed semper illorum Provinciae, et Dioecesi cohae-  
 „rerent. Dolebant se etiam apud nos, quod quorum-  
 „dam machinatione magna infamia circa Vestram Cel-  
 „situdinem sint denotati; scilicet ut cum paganis  
 „foedus, et pacem inirent, et ipsi pagani consilio eo-  
 „rum agerent tam multa nefaria et illicita. De his o-  
 „mnibus consilium a nobis quaerentibus Bavariensibus  
 „Episcopis, justum respondimus esse, frâtrum solatio  
 „semper adhaerere; quia Propheta inquit: ecce quam  
 „bonum, et quam jocundum habitare fratres in unum.  
 „Illi vero non in unum habitant, qui fratrum se so-  
 „latio subtrahunt, aut insidias fratribus praeparant.

„Nos illorum tristitiae compatientes, nolumus  
 „illis Consilium de talibus objectionibus praebere,  
 „priusquam ad Vestram interrogationem per Episto-  
 „lam nostram veniremus. Semper nos scimus Carna-  
 „les Spirituales solere persequi, et malevolos benevo-  
 „los infamare, et lacerare. Praevidere ergo summo-  
 „pere debent omnes, qui Sacerdotes Domini perse-  
 „quuntur, tam occulte, quam manifeste, ne ad il-  
 „los pertineat, quod Propheta dicit: cogitaverunt  
 „malitias in corde suo, tota die constituebant praelia,  
 „exacuerunt linguas suas, sicut serpentes ven. asp.  
 „sub lab. eor. Et paulo post: cadent super eos car-  
 „bones, in igne dejicies eos. Et iterum: Vir linguo-  
 „sus non dirigetur in terra. Virum injustum mala  
 „capiant in interitu. Et per Jeremiam inquit Domi-  
 „nus: omnes in sanguine judicantur; unusquisque  
 „proximum suum tribulat; omnes in malum manus  
 „suas praeparant. Non debent enim alieni Episcopo-  
 „rum aut accusatores, aut iudices fieri. Unde de  
 „Loth est scriptum: ingressus es, ut advena, num-  
 „quid ut iudices. Accusator autem Episcoporum nul-  
 „lus sit servus, aut libertus, nullaque persona su-  
 „specta, aut infamis; repellantur omnes inimici, et  
 „omnes laici. Isti Fratres et Co-Episcopi nostri Ba-  
 „varienses, veraces Dei Cultores, et boni Pastores,  
 „pervigili custodia custodiunt gregem sibi commis-  
 „sum, ne lupi rabies aliquam sancti gregis oviculam  
 „rapiat in praedam suam. Stant pro muro Domus  
 „Israel, ne aliqua vis inimica firmamentum Ecclesiae  
 „dissolvat. Qui tales inquietat, et sua malitia impu-  
 „gnat, licet praesentem, futuram tamen non evadet

„poenam, quia scriptum est: qui vos tangit, tangit  
 „pupillam oculi mei. Haec autem omnia perscripta  
 „Vobis ideo dirigimus: quia estis Caput totius sanctae  
 „Ecclesiae, quaecunque per orbem diffunditur, et  
 „solamen maerentium, quaecunque tristia nobis con-  
 „tulerunt, membris vestris: quia ipsi sanctissimi Pa-  
 „stores Christi superius dicti, in nulla re a Catholica  
 „fide deviantes, sed eandem sanctis operibus, et  
 „ecclesiasticis officiis ornantes, apud nos conqueren-  
 „tes postulaverunt, ut Vestrae notitiae manifesta fa-  
 „ceremus: quia et illi per se ipsos Vobis eadem in-  
 „notescere, vita comite promittant. Unde poscimus,  
 „ut Vestra Consolatio illorum maerorem ad laetitiam  
 „reformet, et semper talia membra summo Capiti,  
 „quod estis vos, se gaudeant adhaerere. Illi autem  
 „Maravenses, ut nostris auribus illatum est, in occa-  
 „sionem superbiae suae assumunt; quia a Vestra  
 „concessione dicunt se Metropolitanum suscipere, et  
 „singulariter degentes, aliorum Episcoporum con-  
 „sortia refutant; si hac confidentia diutius inflantur,  
 „usque sanguinis effusionem, ut multi arbitrantur,  
 „prosiliunt. In quantum praesumimus, admonemus,  
 „quatenus vestra auctoritas, priusquam hoc contin-  
 „gat, ad humilitatis viam, illos corrigendo, deponat,  
 „ut tandem cognoscant, cui dominatui subjici debe-  
 „ant. Nos siquidem debitores esse cognoscimus, si  
 „quid a sanctae Matris, Romanae Ecclesiae scilicet,  
 „contigerit elabi, Vos inde certificari, ut Vestra po-  
 „tentia ad rectitudinis lineam perducatur. Quod si  
 „Vestra admonitio illos non correxerit, velint, no-  
 „lint, Francorum Principibus colla submittent; et

„credimus absque effusione sanguinis, et mutua cae-  
 „de, ex utraque parte tunc posse bene contingere.  
 „Iterumque Vestrae dignitatis auribus replicamus,  
 „quod tam Episcopi, quam laici Bavarienses, in re-  
 „ligione Christianitatis nulla gente inferiores esse  
 „probantur: neque unquam Franci absque illorum  
 „auxilio, aut in ecclesiasticis rebus, aut in bellicis  
 „negotiis nominatim, vel fama dignum aliquid per-  
 „egerunt; sicut neque illi absque istis.“

Querelae, Dissensionesque istae finem accepe-  
 runt tunc primum, cum se Hungari in terras illas in-  
 fuderunt, et Moraviam sui juris effecerunt.

### §. 7.

#### Episcopi Nitrienses sub Moravis.

Primus, qui Marahanis ad Fidem Christi con-  
 versis, Ecclesiam Nitraviensem rexit, occurrit sub  
 initium saeculi noni *Alevinus*, ab Uolfo Laureacensi,  
 seu Pataviensi Archi-Episcopo ordinatus; ad quem  
 qua Nitraviensem Episcopum caeteros inter directae  
 fuerunt Litterae Eugenii II. P. supra (§. 5. Sec. I.) de-  
 scriptae. Quamdiu Ecclesiae Nitriensi praefuerit,  
 ignotum. Post hunc *Methodius* cum fratre Constan-  
 tino Philosopho ad preces Ratislai (Rasticz) a Michaele  
 Byzantino Imperatore in Moraviam missus, eam  
 scribitur Regionis partem excolendam suscepisse, in  
 qua Urbs Nitria constituitur; altera parte, in qua  
 Olomucium est, Fratri Constantino relicta. Dum hi  
 Apostoli Romam primum evocati fuissent, et Con-

stantino sub Cyrilli nomine , in monasterio remanente , Methodius ab Hadriano P. in Archi-Episcopum Moraviae ordinatus, in Marahaniam rediisset, nulli quidem Sedi stabiliter affixus, mansionis suae locum Nitriam quidem delegit, omnem tamen Regionem, Apostolatui suo commissam peragraturus, Legem evangelicam docuit, doctosque in ea confirmavit; donec alterum Romam vocatus, assumpto Presbytero Vichingo, hic in Episcopum Nitrensem a Pontifice Joanne VIII. ordinatus, eidem Methodio suffraganeus datus fuit. Erat *Vichingus* Nitriensis Episcopus natione Alemanus, antea Presbyter Salisburgensis, haud dubie a suo Archi-Episcopo, cui cum Laureacensi circa Metropolitanam Jurisdictionem Lis fuerat, missus, ad suum Jus illic conservandum. Videtur gratiam Svatopluci emeruisse, atque per hunc Principem cum Methodio, jam designatus in Episcopum Nitriensem, Romam fuisse missus; qui postea suo Archi-Episcopo Methodio plures facessivit molestias, de quibus apud Pontificem Joannem VIII. questus est, ut ex consolatoriis hujus Pontificis ad Methodium datis Litteris (§. 3. Sect. II.) colligitur. Credibile est, viro Alemano origine, displicuisse usum Linguae Slavicae, quem in Sacrorum celebratione Methodius in omnibus Ecclesiis induxit, Vichingus autem, ut adhiberet, homo Alemanus induci non poterat; qui, nescio, quae secreta a Pontifice mandata se habere commentus, contra, ac Methodius agendum censeret, agebat. Enatis post mortem Svatopluci inter ejus filios dissensionibus, ortoque bello, Vichingus relicto Episcopatu, Arnulfo Impe.

ratori adhaesit, electus anno 895 Cancellarius ipsius, atque mortuo Engilmaro, Pataviensi Episcopo, auctoritate Imperatoris et Regis Arnulfi eam Sedem consecutus; quod Theotmarus, (alias Dietmarus) Juvaviensis Archi-Episcopus tam moleste tulit, ut coacto suorum suffraganeorum Concilio, Eundem Sede sua dejecerit, et Richarium substituerit. Qua de re in Conc. Germ. saec. noni haec habentur: „Engilmarus Pataviensis Episcopus obiit, in cujus locum Vichingus quidam Alemanus contra instituta Patrum, prius Marahanensis ab Apostolico destinatus Episcopus, Rege concedente, successit. Sed non multo post a Deotmaro Archi-Episcopo, caeterisque suffraganeis suis, contra voluntatem Regis, Canonicali iudicio abjectus, ac Richardus (Richarius) ad eandem Sedem Episcopus in id ipsum tempus ordinatus est.“ Sed Vichingus, Regis Protectione tutus, in ea Sede mansit, quamdiu Arnulfus in vivis fuit. Post hujus mortem, renovata sententia, de ea dejectus. In Cathedra Nitriensi Illi successit *Anonymus* quidam per Legatos Joannis IX. P. in Moraviam missos (§. 6. Sect. II.) constitutus, et ordinatus: cujus ut nomen, ita tempus, quamdiu praefuerit, prorsus incognitum est: Hungaris non multo postea Moraviam occupantibus.

### S E C T I O III.

## De Statu Episcopatus Nitriensis post occupationem per Hunga- ros factam.

### §. I.

#### Sub Ducibus Hungariae.

Dissidiis filiorum Svatopluci (Sect. II. §. 6.) in rem suam usi Hungari, Duce Arpado primum quidem eam Pannoniae partem, quae ad magnam Moraviam pertinebat; dein a morte Mojvari Moraviam quoque inde a Grano (nam inter Tybiscum et Granum Salanus cum Bulgaris eotum consederat, per Hungaros depulsus) usque Vagum et Moravam amnes, in suam redegerunt potestatem; veteribus Incolis non quidem exturbatis, sed suo Dominatui subjectis. Quod Anonymus Belae Notarius insinuare videtur: enarrans enim §. 37. occupationem Nitriae Civitatis per Arpadi Duces, qui captum Zuburium Moravorum Ducem in vicinum excelsum montem duci, suspendique curarunt, a die illo Zubur nuncupatum; subjungit „propter hoc factum omnes homines illius patriae timuerunt eos, et omnes Nobiles

filios suos in obsides eis dederunt, et omnes Nationes illius terrae se subjugaverunt usque ad fluvium Vag; acceptisque secum infidelibus (captivis) reversi sunt ad Ducem Arpad, qui accepto Juramento infidelium, terras, in diversis locis, praedictis infidelibus, de partibus Nitriae ductis, assignavit, ut ne aliquando infideliores facti, repatriando nocerent sibi fidelibus in Confinio Nitriae habitantibus.“

Hac occupatione apud veteres Incolas, qui novis Dominis, cultui falsorum Deorum deditis, fidelitatem sponponderant, Religionem Christianam, quae in illa Regione ad id tempus florebat, non leviam passam fuisse detrimenta, omnes juxta mecum sentient: existimandum tamen non est, illos seu sua sponte in gratiam novorum Dominorum a fide Patrum suorum descivisse, seu per occupatores terrae ad eam descendendam violente adactos fuisse. Anonymus ille Episcopus, qui non pridem ante occupationem Nitriae per Legatos Joannis IX. P. ordinatus fuit (Sec. II. §. 6.) haud dubie omnem impenderit operam per se, suosque Presbyteros, ne Christiana Religio intercidat. Sed neque illo e vivis sublato, curam Religionis neglectam fuisse, inde luculentum est, quod hanc Leo VII. P. Gerardo Laureacensi, misso eidem Archiepiscopali Pallio, speciatim commendaverit. Hungari vero sub primis Ducibus, postquam in Pannonia Sedes fixissent, spoliorem aviditate, cruenta bella diu, multumque per utrumque Imperium circumferentes, multitudinem captivorum Christianorum in Hungariam adduxerunt; pro his aequae, ac veteribus Incolis Christianis, Sacerdotes continuo e Bavaria missos,

nexumque hunc unice per irruptionem hungarorum in Bavariam tantisper interruptum fuisse, e Litteris Piligrimi constat. Hinc factum est, quod Nitriae, ubi per Arpadum veteres Incolae, postquam fidelitatem spondidissent, et obsides dedissent, in suis Sedibus relictis fuerunt, penes Ecclesiam S. Emerami M. semper praesto fuerint jam plures, jam pauciores numero Presbyteri, qui rem sacram curabant. Mitigatis per Christianos, quorum, teste Piligrimo, major pars Populi fuit, feris Hungarorum animis, inprimis dum Dux Geyza, mitioris animi Princeps praesse coepit, hic, ut scribit Chartucius, etsi paganismi erroribus adhuc esset implicatus, coelestis attamen gratiae luce adpropinquante, cum omnibus vicinis circumquaque Provinciis de Pace coepit accurate tractare, ante omnes cum Ottone I. Imp. hungaris maxime formidando. Otto ita comparatum Geyzae animum observans, Legatum ad eum misit Brunonem Verdensem Episcopum, quod e Litteris ejusdem, ad Pilgrimum Pataviensem Episcopum datis, constat. Bruno id impetravit, ut paulo postea Geyza Legationem miserit ad Imperatorem, qua statueretur praeceptum, cunctis Christianis Ducatum suum intrare volentibus, hospitalitatis et securitatis gratiam exhiberi. Clericis, et Monachis concessit suam etiam praesentiam adeundi, quibus voluntarium libenter aditum praebens, orthodoxae fidei semen coepit germen emittere. In hoc statu Pilgrimus Laureacensis, seu Pataviensis Archi-Episcopus ipsis hungaricis petentibus, Canonicos, Clericos, Monachosque in Hungariam, Legem Christi annun-

ciaturos misit. Neque minus, quam fidei Praecones, a Pilgrimo missi, in Conversionem Hungarorum incubuere illi Christiani, qui seu vetustiores hungaris in Pannonia, et Moravia incolae, seu ex aliis Christianis provinciis in captivitatem illuc tracti, majorem populi partem efficiebant. Hi enim, ubi liberum Christianae Religionis exercitium a Geyza concessum fuit, palam Religionis officia agere, Ecclesias, sacrasque aedes desolatas restaurare, novas aedificare, sicque rem Christianam pro modulo suo promovere non omittebant. Quae omnia Pilgrimus in sua ad Benedictum VII. P. Epistola, quam supra (Sect. I. §. 6.) exscripsimus, haud obscure testificatur. Qui ipse, postquam a Pontifice in Metropolitana Dignitate confirmatus, in Provinciis Avariae, Regionumque inferioris Pannoniae, et Moraviae, ad Hungariam pertinentibus, Apostolicam vicem exercendam a Summo Pontifice ea cum potestate accepit, ut habeat Jus Presbyteros et Episcopos ordinandi, et constituendi; hoc Jure usus, pro eo, quo Vir sanctus propagandae Religionis Christianae flagrabat, studio, in regione Slavorum, antiquitus Moravia, ubi plerosque reperit Christianos, Collegium Sacerdotum, qui penes Ecclesiam S. Emerami M. Nitriae ministerio sacro fungebantur, auxit, illisque seniore praesesse jussit, seu Praepositum nominavit, et Jurisdictionem, quam ex vetere Ecclesiae Instituto, et sacerorum Canonum Disciplina Presbyterorum Collegium exercebat, vice et auctoritate Summi Pontificis sibi delegata, confirmatam, per seniore, sive Praepositum, tamquam Vicarium exercendam com-

misit. Hac occasione idem Vir apostolicus, haud dubie annuente Duce Geyza, in Castro Poseniensi Collegium Sacerdotum cum Praeposito instituisse videtur, cui ex Jure sibi per Pontificem delegato, Jurisdictionem ea in parte, quae deinceps sub nomine Provinciae et Comitatus Poseniensis veniebat, exercendam attribuit. Atque hic status perseveravit usque ad tempora S. Regis Stephani.

## §. 2.

Num S. Rex Stephanus Nitriensem Episcopatum condiderit, vel instauraverit?

Stephanus primus Hungariae Rex, vivente Patre Geyza per Pragensem Episcopum Adalbertum baptizatus, mox atque regimen adiit, ardenti animo totus in Christianae Religionis propagationem, gentisque suae Conversionem incubuit: quam ut in perpetuum stabiliret, de hierarchia constituenda sollicitus, teste Chartuiczio Ditionem sibi subditam in decem partes, velut totidem Dioceses, partitus est; quibus singulis singulos praeficeret Episcopos, Metropolitana Sede in principe eorum Regni Urbe, Ducumque domicilio, Strigonii collocata. Novorum Episcopatum Erectio absque scitu, et assensu Summi Pontificis nequibat perfici: hoc igitur, caetera inter, scopo, Legationem Romam misit, Sedem apostolicam tenente Sylvestro II. P. cui obeundae delegit Astricum, seu Anastasium, designatum jam Colocensem

**Episcopum.** Pontifex audita Legatione, cunctis, quae petebantur, subscripsit; **Episcopatus** ratos habuit; imo suas illi vices in ordinandis, disponendisque Ecclesiis detulit. Hac instructus Potestate, **Episcopatus**, prout animo destinaverat, instituit, non uno, eodemque tempore omnes, sed ut adjuncta ferebant. Cum **Chartuiczius** non designet, quinam decem illi **Episcopatus** fuerint; et plurium litterae foundationales nusquam existant: ideo inter **Scriptores** non convenit seu de eó, quinam illi decem **Episcopatus** a **S. Stephano** erecti fuerint, seu de tempore, quo unusquisque eorum sit conditus. Caeterum missa hac controversia, ad praesentem scopum haud pertinente, id unum indagandum: fueritne vetustus **Episcopatus Nitriensis**, qui ab occupata per **Hungaros Moravia**, in qua ille situs fuit, suis destituebatur **Antistitibus**, per **S. Regem Stephanum** restitutus, et instauratus?

Non negaverim, nihil hanc in rem certi statui posse; verisimilia tamen, et credibilia proferam argumenta, quae svadeant, eundem **Episcopatum** ab **S. Rege** fuisse instauratum. Et quidem: **Capitulum Ecclesiae Nitriensis** ab antiquissimis temporibus, quasi per manus traditum, pro certo habet, **Episcopem Nitriensem** a **Stephano** fuisse suo vigori restitutam, **Praeposito Besztrito** in **Episcopum** nominato; sed prius **S. Regem** coelis illatum fuisse, quam potuisset eandem dotare, certisque limitibus circumscribere. Qua in re **Nitriensis Capituli** auctoritas, et traditio non videtur temere esse spernenda, aut rejicienda; cum illud tempore **S. Regis** exstiterit, nec deinceps

unquam desierit. Ipse Rex Stephanus se, dum ad Castrum suum Nitra venisset, reperisse novem S. Romanae Ecclesiae Sacerdotes Presbyteros, qui se Capitulares Canonicos Ecclesiae B. Emerami M. nominabant, narrat in suis Donationalibus de anno 1006, quas Nitriense Capitulum in antiquissimo apographo habet, sequentis Tenoris:

„Nos Stephanus Dei miseratione, et apostolicae  
 „Sedis gratia Hungarorum Rex. Universis damus ad  
 „notitiam per hanc nostram ordinationem: quod ubi  
 „Divina Nobis assistente benignitate, in omnibus  
 „Regni nostri partibus veram, et unicam salvificam Jesu  
 „Christi fidem stabilire modis omnibus adnitere-  
 „mur; venimus ad Castrum nostrum Nitra, ubi in-  
 „dicibili cordis nostri solatio, quia extra quamlibet  
 „expectationem, accidit nobis, quod novem S. Ro-  
 „manae Ecclesiae Sacerdotes Presbyteros invenimus,  
 „qui se Capitulares Canonicos Ecclesiae B. E-  
 „merami Martyris, in dicto Castro Nostro Nitra si-  
 „tuatae, nominabant, et dictae Ecclesiae, ac Populo  
 „usque ex partibus Marcomanorum illuc confluenti,  
 „inseriebant, Laudes Divinas ad instar novem Cho-  
 „rorum Angelorum assidue decantantes: quibus Nos  
 „ultra associati, Diebus pluribus consallere, ve-  
 „niamque peccatorum nostrorum, ac verae fidei lu-  
 „men, robur, ac incrementa deprecari non destiti-  
 „mus. Et quia dicti Sacerdotes Presbyteri, Capitu-  
 „lares Canonici, nullam stabilem haberent fundatio-  
 „nem, sed liberis tantum populorum tributionibus  
 „providerentur; ne per curam conquirendi victus a  
 „Divino obsequio abstraherentur, donavimus ipsis

„vicum cum hospitibus intra Suburbium et Castrum  
 „ad defluxum minoris fluminis Nitra existentibus, ac  
 „directe ad Nos, et dictum Castrum spectantem, cum  
 „omni macellatione, educillatione, Foro publico,  
 „reliquisque servitiis, datiis, obventionibus, et cur-  
 „ribus. Similiter etiam donavimus vicum parvum  
 „Tormos trans decursum majoris fluminis Nitra, ex  
 „parte inferiore radicis fontis S. Martini constitutum,  
 „cum omnibus hospitibus, et territorii ejusdem Vi-  
 „neis, comodo, usu, et Dominio, cum montano Ju-  
 „re, ac Decimis, usque ad viam planam, montem  
 „Zobor per latus dividentem, donec perveniatur ad  
 „aliud fontem Gyurkova nominatum, secundum cu-  
 „jus rivuli defluxionem terminantur ipsae Vineae, us-  
 „que dum reflexo tramite veniatur ad tertium fon-  
 „tem juxta viam Darás sub radice Vinearum: abinde  
 „per defluxum aquae fontis illius usque ad adversum  
 „Civitatis Nitra, ubi cumulus est, et arbor de quer-  
 „cu prostat. Ab hac recte Orientem versus ad Syl-  
 „vam majoris Tormos, ubi transiliendo aquam palu-  
 „dosam, per medium cespitem intra utrumque Tor-  
 „mos progreditur ad viam Pochranicza, et ex hac  
 „directe ad viam planam, montem Zobor per latus  
 „dividentem. Item donavimus ipsis decimas vini, et  
 „frumenti Civitatis Nitriensis, vici Parucz, Molnos,  
 „Kónyók, Kereskiny, et Gyurkova. Et ut tanto  
 „amplior haec Donatio nostra habeatur, ordinavimus,  
 „ut praesentes et futuri Sacerdotes Presbyteri Eccle-  
 „siae B. Emerami M. de Castro Nitra, Capitulares  
 „Canonici in omnibus tam Synodalibus, quam Regis,  
 „et Regnicolarum Conventibus ab Ecclesia, et Capi-

„tulo Strigoniensi, per Nos in Metropolitanum ere-  
cto, statim secundum locum teneant, et vocem  
„habeant.“

Equidem non ignoro, harum litterarum fidem ob insolitum titulum per quosdam vellicari: ast meminisse oportet, in apographum quoquo modo titulum illum irrepere potuisse, quod in aliis etiam apographis haud raro observamus, quin propterea fidedignitatem amittant. Dein ad has ipsas Litteras, scite observavit doctissimus Transylvaniensium Praesul C. Ignatius Batthyány Leg. Eccl. L. 1. „non possumus ait, negare, titulum: apostolicae Sedis gratia, prorsus insolitum esse; si tamen Sylvestri litterae, ut nunc habentur, interpolatae non sunt, non videtur mirus esse titulus; utpote quum thronum hungarici Regni conscensuro, approbatio Sedis apostolicae necessaria sit; neque Episcopi haec suis adscribebant titulis, nisi, ubi confirmatio Electionis primae Sedi reservari coepit. Accedit, quod Geyza in privilegio Ecclesiae Nitriensis, deinceps proferendo, ad sanctorum Progenitorum suorum concessionem provocet; nisi ergo mihi concedas quosvis Divos Reges passim sanctos vocatos, confiteri debebis, Privilegio huic nostro fidem esse tribuendam“ opinione mea eo certiore, quod in Privilegialibus Colomani R. Abbatiae S. Ipoliti de Zobor (inf. §. 5.) instituta Reambulatione, tam vici per has Donationes attributi, velut Capitulares, quam et designatae metae occurrant: ac insuper Capitulum Nitriense per eam Donationem collata Jura absque ulla contradictione continuo possederit, possideatque; Ecclesiam autem in Donationalibus

memorata B. Emerami M. in Castro Nitra tempore S. Stephani exstitisse, aliunde etiam, ex coaevo teste Mauro, primum Ord. S. Benedicti Monacho, dein Episcopo Quinque-Ecclesiensi constet, qui in vita SS. Eremitarum Zobriensium Zoroardi, et Benedicti (inf. §. 6.) memorat illos Nitriae in Basilica S. Emerami M. fuisse sepultos.

Si igitur Canonici Capitulares tempore S. Stephani in Castro Nitra exstiterunt; si continua successione deinceps ad nostram usque aetatem perstiterunt; quis traditioni per manus acceptae de instaurato per eundem Regem Episcopatu Nitriensi omnem fidem abneget? cum id scire et potuerint, et debuerint. Videtur nempe S. Rex, qui pluribus Diebus in suo Castro Nitra cum his Presbyteris Canonicis, quos ibidem reperit, diversatus fuit, ab illis haud dubie de Episcopatus antiquitate, deque Vicaria administratione edoctus, simulque de ejus necessitate propter veteres Incolas Slavos Christianos, per Arpadum suis in sedibus confirmatos, convictus, ad eum instaurandum animum adjecisse, et Praepositum Besztritum Episcopum jussisse, ut in aliis etiam Episcopalibus Sedibus factitatum fuisse legimus, donec animi propositum perficere potuerit. Quia vero S. Rex toto vitae suae tempore novis erigendis Episcopatibus, ubi non perinde atque Nitriae rebus sacris prospectum fuit, occupabatur, priusque ex hac vita decessisset, quam Episcopatum hunc dotasset, limitibusque circumscripsisset, inde factum est, ut a morte Besztriti iterum in Praeposituram, Vicariamque administrationem reciderit.

Voluisse Stephanum, praeter Metropolim Strigoniensem, et decem Episcopatus, duodecimum etiam (fortasse ideo, quia Transylvania accesserat) fundare, et erigere, luculentum est ex S. Gerardi Biographo, qui S. Regem, quum Gerardo, dudum antea electo Episcopo, Morisanum, seu Csanadiensem Episcopatum, postremo conditum, tradidit, his verbis loquentem inducit: „*molestavi te homo Dei in hoc tempore importuno: Voluntatis quidem meae fuit, duodecim Episcopatus, quos in Regno meo facere decreveram, Episcopis implere; sed retardatus fui aliorum voluntate, quorum, ut vere arbitror, satanas cooperator fuit: nunc ergo tibi Episcopatum tradimus.*“ Crediderim, per duodecimum Episcopatum, quem Stephanus erigere volebat, Nitriensem esse intelligendum, pro quo Praepositum Besztertum nominavit Episcopum, ut Gerardum ad Morisanum, multo ante, quam eum erexisset, et tradidisset: sed secuta post traditum Gerardo Episcopatum, non multo post morte S. Regis, illum imperfectum mansisse, ac ideo a morte Beszterti, ut praemiseram, in Vicariam administrationem iterum rediisse.

In hanc sententiam ut abeam, facit et istud: quod credere prorsus nequeam, Regem sanctum, qui tanto zelo Christianam Religionem apud Populum suum propagatam, eamque per erectionem Episcopatum stabiliter in omnibus Regni sui partibus conservatam voluit, vastissimam et populosissimam Regni sui partem, cis Danubium sitam, a flumine Morava usque terram Scepusiensem, tot, tamque patentes latissime Comitatus, absque Sede Episcopia

intra hos constituta, reliquisse; hancque Regni partem, ubi Religioni a Gentibus trans Carpatum habitantibus, magna sui parte idololatriis, grave impendebat periculum, curae Strigoniensis Archi-Episcopi, remotissime trans Danubium residentis, ad quem seu locorum distantia, seu viarum pericula, montium interjacentium impedimenta, et fluminum discrimina attendantur, persaepe nullus, semper difficillimus patebat aditus, commissam, et Dioecetano ejus territorio adjectam fuisse. Id quod factum omnino fuisset, nisi admittatur, sanctum Regem per Instaurationem Nitriensis Episcopatus, huic parti Regni sui prospicere voluisse. Recte animadvertit RR. Ganóczy, Divum Regem pro sua pietate, et studio conservandae Religionis haud prospecturum fuisse, si Episcopatum Nitriensem, olim tam florentem, tamque vetustum neglexisset. „Opinione quidem mea, scribit Ille in Dis. de S. Lad. non sat castigate, ne dicam irreligiose, de sanctissimo Rege sentiunt, qui affirmare non verentur, S. Stephanum novos Episcopatus incomparabili zelo condidisse; vetustissimum vero, et quondam florentissimum, qualis procul dubio Nitriensis erat, sed iniquis conversionibus collapsum, neglexisse.“ Sunt idcirco non pauci tam e vetustioribus: quam recentioribus rerum hungaricarum Scriptoribus, uti Thuróczius, Bonfinius, Péterfyus, Desericius, Kollárus, Stiltinus, alii, qui affirmant, Episcopatum Nitriensem a S. Rege fuisse instauratum: contrariam opinionem tenente Prajo, cum Samuele Timón, in Sp. Hier. et in Diss. ac Diat. contra Ganóczium. Ejusdem cum

Prajo opinionis est noster criticus Historicus Steph. Kato na, qui conjecturis Praji tantum tribuit, ut non vereatur asserere, evictum ab illo esse, S. Stephanum Episcopatus Nitriensis nec conditorem, nec instauratorem fuisse. Videamus itaque illa invicta argumenta: Judicium prudenti Lectori esto relictum.

### §. 3.

#### Praji argumenta examinantur.

Primum, et quod putat, invictissimum, argumentum desummitur a Lege Colomani Regis Dec. L. 1. Cap. 22do ubi statutum legitur: „*Judicium ferri et aquae in aliqua Ecclesia fieri interdiciamus, nisi in Sede Episcopi, et majoribus Praepositis, ut Posonii, et Nitriae.*“ Ex hac lege, inquit, certum est, Episcopatum Nitriensem his temporibus non exstitisse.“ — Verissime: si ad tempus latae legis referatur. Sed hallucinatur Vir doctus, dum prosequitur: „quare Timon bene infert, non fuisse Sedem Episcopiam Nitriae aevo S. Stephani.“ Si ita argumentari licet, nihil erit in omni antiquitate certum, quod non possit hac ratione negari. Pari argumentatione certum etiam foret, Episcopatum Nitriensem, quia ex adversarii sententia tempore S. Stephani non exstitit, nec ante ejus aetatem exstitisse. Quorsum haec argumentatio, si esset legitima, ducat, facile intelligitur. Quis est, qui ignoret, quot, quantaeve mutationes intra decursum unius pene Saeculi contingere soleant? — Ast: quaerit ulterius „quis eam ante

Colomanum abolevit? ego pariter quaero: quis eandem Episcopem, ante S. Stephanum haud dubie florentem, cui praefuisse Alevinum, Vichingum Episcopos certo constat; abolevit? Quomodo id contigerit, Ganóczius quidem designavit, qui, postquam Péterfii (Conc. H. P. I) sententiam hanc attulisset, „arguunt aliqui ex eodem Capitulo (22do) Nitriensem Episcopatum sub haec tempora nondum exstitisse; quum Praepositura major dicatur. Sed obstant argumenta alia. Admiserim, tempore Colomani fuisse Praeposituram, vel potius Vicariatum Episcopi, idque iniquitate bellorum, agrum Nitriensem vastantium, quo Episcopatum Nitriensem a S. Stephano seu restauratum, seu fundatum, per intervalla annorum aliquot cum Episcopi dignitate quievise probaretur,“ subjungit: „Haec scitissime. Vastarunt per vices varii hostes Dioecesim Nitriensem, bona, et fundos Episcopatus everterunt, templa profanarunt adeo, ut, si Episcopus Nitriensibus datus fuisset, is pro dignitate sua vivere haud potuisset. Eapropter exspectandum erat, dum sua rediret Dioecesi malacia; villae, et possessiones vindicarentur; ac tum demum Ecclesia suum reciperet Antistitem, interea vero per Vicarios gubernaretur.“ — Praeius has esse dicit arbitrarias conjecturas, omni pondere carentes, easque acerbe perstringit. Immerito quidem: cum ipse quoque non aliud pro tuenda sua opinione, quam conjecturas, in medium proferat. Ego hanc, quam Duumviri isti, plures inter litterarias concertationes, agitabant controversiam, studiose missam facio, propterea, quia sententiam pro-

pugno, ab utroque diversam. Neque enim ob hostiliter vastata, et direpta Episcopatus per S. Stephanum instaurati, bona, et latifundia, Episcopem a morte Beszterti, rursus in Praeposituram et Vicariam administrationem recidisse sentio; verum id potius statuo, Episcopatum absque Dotatione, unde Episcopus suam tueri potuisset Dignitatem, relictum, recidere in pristinum, videlicet in Praeposituram, et Vicariam administrationem a morte Beszterti, quem S. Rex ex Praeposito Episcopum fecerat, debuisse. Ab hac Sententia ut discedam, me Colomani Lex adeo non movet, ut potius putem me in ea praesidium habere. Provoco adversarios, velint causam, eamque sufficientem assignare, cur Colomani Lex Jus ferendi iudicii per ferrum et aquam praeter Sedes Episcopales, his solum duabus Praeposituris Poseniensi, et Nitriensi indulgeat? cur caeteras excludat, ipsam adeo Praeposituram Albaregalensem, quam S. Rex ab se fundatam, maximis exornavit libertatibus, Juribus, et Privilegiis? — cur binas has Praepositorum Poseniensem et Nitriensem vocet majores, et hoc vocabulo a caeteris discriminet? cum alias stylo usitato Cathedralium Ecclesiarum Praepositorum hoc nomine soleant insigniri, et a Collegiatarum, ut vocantur, Ecclesiarum Praepositorum distingui. Dein: cur Lex has Praepositorum Episcopatibus propemodum suppare faciat, atque ut his, ita illis iudicium ferri et aquae concedat? — Haec temere, et absque sufficiente causa facta esse, cum ratione nemo affirmaverit. Quae vero illa? — non alia certe, quam quod penes

has Praeposituras fuerit exercitium Episcopalis Jurisdictionis. Hanc ob causam, uti puto, et vix fallor, Albricus, Decreti compiler, vir religiosus, in sacris Canonibus, quod ipsum Decretum ostendit, versatissimus, Colomani legem ita concinnavit, ut inde appareat, duabus his Praeposituris, velut majoribus, Jurisdictione Episcopali praeditis, Judicium ferri et aquae, Sedibus Episcopalibus ob sacrae Jurisdictionis exercitium competens, negari nusquam potuisse. Scilicet, binae hae Praepositurae cum suo Canonico Collegio, in Regno vetustissimae, aetatem S. Stephani antecedeant. Et Nitriae quidem S. Rex, ut ipse de se testatur, reperit jam novem Presbyteros Sacerdotes, qui se Ecclesiae B. Emerami M. adeoque illius antiquae, et Cathedralis Canonicos dicebant, et Capitulum non Collegiatum, sed Cathedrale constituebant; quod ex oblationibus fidelium victitans, postquam pia Regis liberalitate aliquam Dotem pro sua sustentatione accepit, stabiliter deinceps in haec usque tempora perseveravit, quin unquam desierit: eidem Capitulo ex vetusta Ecclesiae Institutione, et sacrorum Canonum Disciplina non modo Jus fuit, verum obligatio etiam incumberebat, nullo Episcopo existente, in ea Dioecesis parte, quae ex Episcopatu, per varias vicissitudines discerpto, superfuit, Jurisdictionem exercendi, et Vicariam administrationem habendi. Quemadmodum autem hoc Jure, per Piligrinum, a summo Pontifice auctoritate et Potestate ad ordinandas in Pannonia, et Regione Slavorum Ecclesias, et instituendos Episcopos instructum, confirmato, Capitulum medio sui

Praepositi usque ad aetatem Regis Stephani usum fuit, quod ipse S. Rex in suis litteris supra descriptis innuere videtur: ita etiam a morte Beszterti Episcopi, ex SS. Canonum Disciplina, Jurisdictione rursum utebatur usque Colomanum, et Legem sub ipso latam. Eapropter in hac Lege Praepositura major vocatur, et perinde, ut Sedibus Episcopalibus, ita illi Judicium ferri et aquae indulgetur.

Quod autem ad Praeposituram Poseniensem attinet: eam sub Colomano florentem fuisse, ex eadem Lege certum est. Quo fundatore instituta? id docere nos hactenus potuit nemo. Haud tamen dubitarim, aetate S. Stephani antiquiorem esse; institutam cum suo Canonicorum Collegio in Castro Poseniensi, Duce Geyza consentiente, a Piligrimo Metropolita Laureacensi, seu Pataviensi, dum Is in Hungaria Praedicationis munere functus, et a Benedicto VII. P. Potestate ad ordinandas Ecclesias, constituendos Presbyteros, et Episcopos ornatus fuerat. Missis enim ad praedicandum Sacerdotibus, et Canonicis, Posenii, in ipso quasi limite, voluit Canonicorum Collegium cum suo Praeposito esse, quod Seminarii instar esset Praeconum Evangelii, per quos et infideles Hungari converterentur, et veteribus Incolis Christianis, terram illam, quae modo sub nomine Comitatus Poseniensis venit, colentibus prospiceretur, Praeposito Jurisdictione Episcopali in eum Terrae Tractum attributa; quam Is, dum in Castro Poseniensi cum suo Canonicorum Collegio substitit, exercuerat. Emericus Rex apud Pontificem Innocentium primus egit anno 1204 de hac Praepositura e Castro in Urbem trans-

ferenda; Provincia inquirendi in causas petita translationis Archi-Episcopo Strigoniensi per Pontificem delata. Quod argumento est, Praeposituram istam Pontificia auctoritate per Pilgrinum fuisse institutam. Hanc dein erga preces ipsius Praepositi translationem Honorius P. anno 1221 concessit. Translata in Urbem Praepositura cum suo Capitulo, Archi-Episcopo Strigoniensi subjecta, et subtracta Jurisdictio Episcopalis, in Archi-Diaconalem mutata fuit. Nihilominus exercitae Jurisdictionis vestigium haud obscurum, hodie in eo superest, quod Posoniensis Praepositus non sit primus inter pares, ut est in aliis Capitulis, sed sit caeterorum ejusdem Collegii membrorum Praelatus, cui Canonicam vovent obedientiam; et illius Districtus nunc Archi-Diaconalis, ubi ejus Antecessores olim Episcopalem exercebant Jurisdictionem, modo sit natus, ut dici solet, Archi-Diaconus. Hanc ob causam, videlicet, ob exercitam Episcopalem Jurisdictionem haec quoque Praepositura in Lege Colomani appellatur Praepositura major, eique Judicium ferri et aquae conceditur. Neutri enim harum Praepositarum, in Colomani Lege commemoratarum, Judicium istud, Episcopalibus Sedibus tributum, negari poterat; ne illi, qui earum spirituali Jurisdictioni suberant, hocce Judicio, quod in Ecclesia propriae, ac competentis Jurisdictionis institui debebat, eo priventur, destituanturque. Si itaque rationem, causamque perlatae Legis attendamus, in propatulo est, per eam, sententiam meam adeo non infirmari, ut roboretur potius, ampliusque firmetur. Videamus reliqua.

## §. 4.

## Continuantur.

Reliqua Praji argumenta, quibus suam tuetur, eam vero, quam propugno, opinionem evertere conatur, ad haec reducuntur. Imo ait Nitriensem Ecclesiam post Colomanum Regem e Collegiata in Cathedrali fuisse evectam. — Quam vere id asseratur, ex iis, quae mox diximus, liquet. Cathedrali fuisse, suosque habuisse Antistites extra omne dubium est. Quis ergo eam, et quando de gradu suo dejecit, et ex Cathedrali Collegiatam fecit? — Lex Colomani, inquit, aperte distinguit inter Sedem Episcopi, et majores Praeposuras. — Quid inde? ergone propterea Ecclesia, quae antea Cathedralis fuit, in Collegiatam mutata est? — Quod sub generali expressione Sedium Episcopaliū non fuerit comprehensa, sed sub Praeposurae majoris nomine specificè designata, Providentiam legis commendat. Ecclesia Nitriensis a morte Beszterti, adeoque a longissimo tempore destituebatur Episcopo, et per Praepositos Vicarios administrabatur: an non fuisset incertum, competatne illi Judicium ferri et aquae, si sub generali expressione Sedium Episcopaliū fuisset comprehensa, et non designata specificè eo nomine; quo nota fuit? oportebat igitur eam distinctim a Sedibus Episcopaliū, sub nomine Praeposurae, aut Vicariatus exprimere, ut quisque sine haesitatione intelligat, illi aequè, ac Sedibus Episcopaliū Judicium ferri et aquae competere. In

quem vero finem competiisset, si nullos habuisset Jurisdictioni suae obnoxios? Dein:

Quaerit 2do Cur Capitulum Nitriense non habeat Praepositum, ut caetera Episcopatum Capitula? hujus non aliam putat esse causam, quam istam, quod pars illa, ex qua Episcopatus Nitriensis conflatus est, antea Archi-Diaconatus Nitriensis, vel Trenchiniensis, a Dioecesi Strigoniensi avulsus fuerit, novo inde Episcopatu Nitriensi erecto, et Praeposito Capituli ad eam dignitatem promoti. Inde etiam ait evenisse, cur Episcopatus iste exigua parte Comitatus Nitriensis, tum unica Provincia Trenchiniensi definiatur: — cur item totus fere Comitatus Nitriensis sit in Dioecesi Strigoniensi: credibile enim non esse, ut S. Rex profusissimus in res sacras, tam arctos limites huic Episcopatu posuerit, ut ex Comitatu, a quo et Episcopatum nominari, et in quo Civitatem Episcopi esse voluit, vix aliquid haberet. Teste namque Chartuicio „ipse Rex (Stephanus) Episcopia nuper incepta, tam videlicet Archi-Episcopalem, quam omnes Ecclesias, amplissimam singulis assignans Dioecesim, regulariter disposuit.“ Expendamus singula.

Capitulum Nitriense ad novissima tempora caruisse Praeposito, certum est. Obsolevisse hanc dignitatem, quia in Episcopum traducta est, haud negavero, si intelligatur, illos, qui Praepositi erant, eousque, donec Ecclesia propriam pro Episcopo Dotem accepisset, consuevisse eligi Episcopos, adeoque cum Praebenda, et dignitate Praepositorum junxisse Episcopalem, et quia ab eminentiori Dignitate

Episcopali nomen gerebant, Praepositi, et Vicarii nomenclationem desiisse. Si vero intelligatur, Praepositi Dignitatem in Episcopum ita fuisse translatam, ut ea suppressa, Praepositurae Dotatio pro Dote Episcopi, fundationeque ipsius Episcopatus destinata, concessaque fuerit, atque hoc modo Praepositalis Dignitas in Capitulo desierit, obsolveritque, id quidem nunquam admisero, velut omnibus adjunctis repugnans. Quidquid enim Capitulum usque Colomanum Regem, in villis, Decimis, aut aliis redditibus habuit: id omne ex Donatione S. Regis in communem usum, et novem, qui tum erant, Canonorum Provisionem accepit, quin aliqua pars pro Praeposito seu distinctim collata, seu separata fuisset. Praeter Portionem e communis mensae, ut dici solet, redditibus, Praepositura usque aetatem Geyzae II. nullam habuit fundationem, aut Dotationem. Reditus vero tam exiles fuere, ut vix sustentandae tot Canonorum vitae sufficerent. Ex hac communis mensae Dotatione, eaque in se pertenui, partem aliquam descriptam, et pro fundando, dotandoque Episcopatu conversam fuisse, quis credat? quis praeter ea apud animum suum sibi persvadeat, si post Colomanum, ut inveteravit opinio, quispiam Regum nostrorum Episcopatum hunc condidit, illum, quisquis fuerit, absque constituta Dote, ex redditibus Praepositurae, cum diminutione tenuis Dotationis Capituli fundasse; postquam Regum nostrorum liberalitas in dotandis Ecclesiis notissima est? — Sed non opus est multis argumentationibus, dum res ipsa pro se loquitur. Dotationem, quam Capitulum

ex pia liberalitate S. Regis accepit, eam integram hodieum possidet, quin ex ea ullo unquam tempore, quaequam pars separata fuisset, et Episcopo attributa. Aliam vero Donationem usque Geyzam II. nullam accepit: evidens proinde est, ex Praepositura eo sensu, quasi haec cum sua Dote in Episcopum translata fuisset, Episcopatum non esse fundatum; hacque de causa Praeposituram post Colomanum Regem desuisse.

Alterum: videlicet eam Partem, ex qua Episcopatus conflatus est, antea fuisse Archi-Diaconatum Nitriensem, vel Trenchiniensem a Dioecesi Strigoniensi avulsum, et in Episcopum conversum, omni pariter caret fundamento, nec est aliud, quam infundata conjectura. Nemo unquam demonstraverit, Partem eam, quae Dioecesim Nitriensem constituit, exceptis pauculis Parochiis Comit. Nitriensis, recentius sub Augusta Maria Theresia, ut suo loco dicetur, adjectis, Jurisdictioni Strigoniensi fuisse obnoxiam, et ad Territorium Dioecesis ejusdem pertinuisse. Pervestigetur quantumcunque Tabularium Ecclesiae Strigoniensis, ejus rei nullum reperietur vestigium: minutissime evolvantur in suis pulveribus sepulta Acta, pronissime victas dabo manus, si ostendi poterit, Archi-Diaconatum Trenchiniensem, vel hujus nominis Comitatum, ad Strigoniensem aliquando pertinuisse Dioecesim. Et si non pertinuit unquam, quomodo dismembrari, et in Episcopum erigi potuit? Comitatus Trenchiniensis semper et continuo ad Dioecesim Nitriensem pertinebat, quae olim quidem sub Principibus Marahanis amplissima, per occupa-

tionem hungarorum, hostilemque vastationem dis-  
 cerpta, ea in parte, qua superstes mansit, a vete-  
 ribus Incolis Slavis, quos Hungari occupatis pro se  
 locis in planitie positis, ad montosa retruserunt,  
 culta, per Capitulum, illiusque Praepositum,  
 tamquam Vicarium administrabatur. Ad hanc ita  
 discerptam Dioecesim, quam S. Rex in meliorem or-  
 dinem redigere, certis limitibus circumscribere, sta-  
 bilique Dote providere voluit, Besztritum Prae-  
 positum, nominavit Episcopum, morte ereptus  
 prius, quam, quod animo proposuerat, perficere po-  
 tuisset. In hoc statu a morte Beszterti mansit sub  
 Vicariali rursum administratione, donec sub Colo-  
 mano, aut posteriore quopiam Regum nostrorum,  
 absque nova erectione, aut limitum designatione,  
 suos iterum accepit Episcopos: quod inferius §. 7.  
 uberius ostendam.

Agnosco omnino gravitatem argumenti, quod  
 tum ab angustis, et intra unum pene Comitatum  
 Trenchiniensem coarctatis Dioecesis limitibus; tum  
 inde etiam petitur, quod ex Comitatu, a quo (re-  
 ctius a Civitate) Episcopatus Denominationem habet,  
 et in quo Civitas Episcopi sita est, vix aliquid ha-  
 beat, sitque totus fere in Dioecesi Strigoniensi. Sed  
 hoc argumentum gravi suo pondere non me, verum  
 adversarios premit, imo pene opprimit. Juxta meam  
 opinionem S. Rex Stephanus Episcopatum Nitrien-  
 sem neque de novo condidit, neque limitibus qui-  
 busdam circumscripsit, verum ad antiquam Dioe-  
 cesim, sub administratione Vicarii Praepositi consti-  
 tutam, per occupationem Hungarorum discerptam,

Besztriturum nominavit Episcopum interea etiam, donec eam per litteras fundationales Dote providere, et per designandos limites in meliorem ordinem redigere potuerit; humanis exemptus prius, quam id perfecisset. A morte Besztriti Episcopatus non dotatus, in pristinum statum sub Vicarii Praepositi administrationem ex SS. Canonum Instituto recidit, mansitque, donec sub Colomano, aut post hunc sub alio quopiam Regum nostrorum, citra novam Erectionem, Dotationem, aut Limitum designationem, suos iterum accepit Antistites. In hac mea sententia omnis Difficultas, quae a coangustatis limitibus, irregularique Positu petitur, suapte evanescit, et quomodo id contigerit, clara sunt omnia. Viderint autem Adversarii, qui statuunt, Episcopatum post tempora Colomani conditum, erectumque fuisse, quomodo sese extricent: quamcunque in partem se vertant, extricabunt nunquam, quod inferius §. 7mo uberius exponam.

Jam ex his, quae diximus, consequitur, ea, quae ex Chartuicizio nobis opponuntur, nostrae Sententiae non adversari. Ille enim de novis Episcopatibus, a S. Rege fundatis loquitur, quibus amplissimam assignatam fuisse Dioecesim commemorat. His Episcopatum Nitriensem accenseri eo minus posse censemus, quod eundem imperfectum reliquerit. Haec ad argumenta, quibus RR. Katona tantum ponderis tribuebat.

## De Abbazia S. Hippolyti in Monte Zobor.

Quamvis S. Rex Stephanus Episcopatum Nitriensem non potuerit perficere: reliquit tamen Nitriae aliud suae in res sacras liberalitatis monumentum, fundato Monasterio, seu Abbazia S. Hippolyti M. in monte Zobor. Mons iste in Territorio Nitriensi situs, Castro ejusdem nominis ab ortu solis objectus, atque e longinquo conspicuus est. Nomen habet, si anonymo Belae Regis Notario credimus, a Zuborio Duce Moravorum, qui contra Zuardum, Cadusam, et Hubam Duces Arpadi, Nitriam tuitus, captus, et in sublimi hoc monte suspensus, illi nomen dedit. In hujus montis nemoribus, addensisque sylvis, sub Principibus Moravis viros quospiam fuisse, qui coelestem in spelaeo vitam duxerunt, hisque Svatoplucum, poenitentiae veste indutum, non agnitum, semet junxisse, ex Cosma Pragensi superius (Sect. II. §. 5.) commemoravimus. Verisimile est, Regem Stephanum, dum in Castro suo Nitra versaretur, horum Eremitarum accepisse notitiam, animumque adjecisse ad fundandum illic Monasterium Ordinis S. Benedicti, ut dispersos per montem Eremitas sub regula S. Benedicti, et obedientia Abbatis colligeret. Fundatorem hujus Monasterii fuisse S. Stephanum, ut certum est, ita incertum, quo anno fundatum sit. Primum, qui Abbatis munere, Stephano regnante, functus est, fuisse Philippum, ex coaevo scriptore Mauro, antea Monacho, dein Abbate, ac subseque Episcopo Quin-

que - Ecclesiensi, Biographo SS. Andreae Zoroardi, et Benedicti constat. Monasterium hoc a morte S. Stephani varias subivit vicissitudines. Bona illius, quae ex Donatione S. Regis habuit, vastata, et direpta, quae dein per Godefridum Abbatem magno labore perquisita, ad ejus Preces Rex Colomanus hisce Litteris Privilegialibus, quarum autographum in Tabulario Ecclesiae Nitriensis exstat, confirmavit:

„Temporibus gloriosissimi Colomani Regis, quem  
 „Deus inaestimabili temporalis, et aeternae gloriae  
 „sanctitatis gratia perfuderat, et illustris Viri Lau-  
 „rentii Strigoniensis Archi-Episcopi, quum ego Go-  
 „defridus Zoburiensis Ecclesiae Abbás omnia praedia,  
 „hominesque ejus Ecclesiae in Pace possiderem —  
 „Seditione Atha Ducis Moravensium sedata, ipsa  
 „praedia magno labore in unum collegissem, homi-  
 „nesque Ecclesiae, qui praesumptuose se liberos esse  
 „assererent, ipsi Ecclesiae dictante Justitia coram  
 „praefato Rege, atque praedicto Archi-Episcopo, et  
 „aliis Principibus suis reparassem terminum etiam  
 „terminorum illorum, ut pestilentia totius erroris  
 „vitaretur, summa diligentia a senioribus hominibus,  
 „qui etiam magnum errorem inter praedicta praedia  
 „notificaverunt, perscrutabar. Quum igitur ego Go-  
 „defridus, prout potui, requisivissem Colomanum  
 „Regem victoriosissimum, et Laurentium Archi-Epi-  
 „scopum, Regnique Principes Cosm — videlicet, et  
 „Moysen, qui testimonium perhiberent veritati, hu-  
 „militer adiens, censurae regalis praesentiae, ma-  
 „gnam fore errorem inter praedicta praedia mani-  
 „festavi. Tunc vero Rex, plenus gratia, testimonio

„praedictorum Comitum Venerabiles Viros in Pristal-  
 „dos mihi constituens, videlicet Cepham Curialem  
 „Comitem, Comitem Moysi, aliumque Bathona nomi-  
 „ne, terminos cunctorum praediorum S. Ypoliti per  
 „ipsos signari praecepit; postea vero, ne annorum  
 „elapsu plurimorum, et eorandem praedecessorum  
 „ignavia pertorperet, ut praesens testatur pagina,  
 „testimonio Venerabilium Virorum intitulari jussit.  
 „In villa Muctynio Saltus Debrei terra S. Ipoliti est.  
 „In villa Yruch issol alter terminus terre est. Bol-  
 „lerad pyrus ejus terminus terre est. Durada ejus  
 „sylva cum villa Bus est terminus terre, sylva vero,  
 „quae est juxta Veza villam, tota S. Ipol — et ipsa  
 „terminus terre in monte Bezy, cum villa Streca,  
 „ibi alter terminus terre est. Piscina Lac tota S.  
 „Ipoliti est, in prato Wra alter terminus est cum  
 „villa Zumboc. In altera villa Zumboc, ubi alter  
 „terminus est; de villa Crali est terminus quidam  
 „fons, qui vocatur Forras, alter terminus est, qui  
 „vocatur Laprechima — alter terminus est. In villa  
 „Capusd alter terminus terre est. In villa Zumboc  
 „est terra S. Ipoliti ad unum aratrum. In Hetmeh  
 „a fraxina arbore, quae est juxta villam Durmuz  
 „usque ad villam Kymelan, in monte, qui vocatur  
 „Cosmas, ibi illius terminus terre est piscina, que  
 „vocatur piscar, ibi — que vocatur Culcse, S. Ipo-  
 „liti est; eadem vero cum villa Dorz, alter termi-  
 „nus est piscina que vocatur magna, cum villa Dor-  
 „muzo alter terminus est. In villa Torcos in valle  
 „ejus est terminus; ville Nygetye alter terminus est.  
 „In villa Ton — dividitur — altera pars est que-

„dam piscina, que vocatur Caristis, in fine illius  
 „cum villa Zemey ab eadem parte usque ad villam  
 „Maroas alter terminus est — Castellum Golgoz  
 „— Ipolitus. De — sunt due insule in aqua Wag,  
 „que S. Ipoliti sunt. In eadem villa, media pars  
 „terre est S. Ipoliti, media pars est Castrensis de  
 „villa Wedrad. In villa Dobret est quedam aqua que  
 „vocatur — Salix, que est terminus — In villa —  
 „quedam, que — terminus terre. In eadem villa  
 „est quidam fons, et fagus alter terminus est. In  
 „villa Adradye cum aqua que vocatur Bistric, ibi al-  
 „ter terminus est. In villa Lucymy est quidam ri-  
 „vus, qui alter terminus est. In villa Ranicz — juxta  
 „foveam illam fecerunt quosdam Colliculos, deinde  
 „signaverunt terminum terre. In—est quedam quercus  
 „que est alter terminus, cum speculatoribus est ma-  
 „gna quercus, que est terminus terre. De villa Gan,  
 „in villa *Episcopi* ibi est terminus illius ville. In villa  
 „Gan, que pertinet ad Galgouz, ibi alter terminus est—  
 „etc. Facta autem est hec carta anno millesimo cen-  
 „tesimo tertio decimo concurrente VII. Epacta XI,  
 „Indictione VI. regnante Colomano piissimo Rege  
 „Hungarorum, presidente Strigoniensi Sedi Domino  
 „Laurentio Metropolitano. Confirmatum est hoc Privi-  
 „legium S. Ipoliti, et sigillatum per manus Domini  
 „Manassis Episcopi Zagrabiensis, jussu predicti Re-  
 „gis. De aliis Episcopis confirmatores erant, Domi-  
 „nus Paulus Colocensis, Dominus Symon Quinque-  
 „Ecclesiensis, Dominus Wolferus Agriensis, Domi-  
 „nus Symon Episcopus Ultrasylvanus, Dominus Ma-  
 „theus Weszprimiensis, Dominus Marcellus Wacien-

„sis, Dominus Gregorius Gewriensis, Dominus Six-  
 „tus Waradinensis, Dominus Laurentius Chanadien-  
 „sis, Dominus Gregorius Jadertinus, Felicianus Prae-  
 „positus Albensis, Robertus Strigoniensis. De Comi-  
 „tibus Joannes Palatinus, Comes Saul de Bychor,  
 „Queled de Bache, Thomas Albensis, Theobaldus  
 „Symigiensis, Mercurius Princeps Ultra-Sylvanus.“  
 Harum Litterarum, vix legibilium exstat in Tabula-  
 rio Nitriensi etiam Transumptum Conventus Monaste-  
 rii S. Benedicti de juxta Gron anni 1414, ea occur-  
 rente diversitate, quod in hoc Transumpto, Privile-  
 gialibus Colomani annus 1111. concurrente sexta Epa-  
 cta VIII. Indictione IV. adscribatur. — Donavit huic  
 Abbatae anno 1240 Sanad filius Stoizlo praedium  
 suum Sarffó; super quo Donationales existunt in Ta-  
 bulario Nitriensi. Abbas Dominicus Terram Conventus  
 sui Nyárhid in concambium pro possessione Kúrth  
 dedit Comiti Erney filio Maka de Zegy, perhibente  
 testimonio hospitalis S. Stephani de Strigonio, anni  
 1297. Et Thomas Abbas cum Conventu pro Decimis  
 Possessionum Monasterii Chanadino Archi - Episcopo  
 Strigoniensi Possessionem Monasterii Keer dictam  
 cum portione Tributi penes hanc Conventionem cessit:  
 „Thomas miseratione Divina Abbas Monasterii  
 „S. Hypoliti de Zoborio, ac Conventus loci ejusdem.  
 „Omnibus Christi fidelibus tam praesentibus, quam  
 „futuris, praesentium notitiam habituris salutem in  
 „salutis Largitore. Quam labilis est memoria homi-  
 „num, et a vili, et corruptibili materia est formata:  
 „cum nihil sit certius morte, et nihil incertius hora  
 „mortis: ideo inventum fuit sacrae Scripturae re-

„medium, ut ea, quae in praesenti hominum dispo-  
 „sitione exstiterint ordinata, possint in posterum ad  
 „perpetuam rei memoriam liquido comprobari. Ve-  
 „rum cum super quarundam villarum nostrarum De-  
 „cimis de Cultello Nitriensis Dioecesis, Venerabilis  
 „in Christo Patris Domini Chanadini, praedicta gra-  
 „tia Archi-Episcopi Strigoniensis, locique ejusdem  
 „Comitis perpetui, specialiter infra memorandis,  
 „quarum villarum Decimae sibi tam de Jure scripto,  
 „quam etiam ordinario provenire debebant, una cum  
 „eodem Domino Chanadino Archi-Episcopo Strigo-  
 „niensi singulis annis concertabamus, et quaestiona-  
 „bamur. Tandem ipsius Salvatoris nostri Jesu Chri-  
 „sti auxiliante, et volente gratia, una cum praedicto  
 „Domino Chanadino Archi-Episcopo super decimis  
 „ipsarum villarum dicti Monasterii nostri propria-  
 „rum, et nunc habitarum; videlicet de Neged, de  
 „Mochunak, de Rooynicz, de Medered, de  
 „Trebethe, de Crakow, de Oztrow, de Lo-  
 „duznasew, de Apathy, cum medietate villae  
 „Lenna, de duabus villis Vestenich, inferiori,  
 „et superiori, de Udvornuk, de Lachych, de  
 „Oszuthan, de secunda Apati juxta Boymacz,  
 „de Dobratok, de Darasy, de Monostor-  
 „alyafalu, et de Wendtgy, item cum tribus ter-  
 „ris nostris desolatis, scilicet: de Syra, de Kolun,  
 „de tertia Apati, quae alio nomine Kartholecz  
 „nominabatur. Exceptis etiam illarum villarum, seu  
 „Possessionum Decimis, per nos, et per eundem  
 „Monasterium nostrum, a modo in posterum acqui-  
 „rendarum, et habendarum, quarum decimas pro

„ipso Domino Archi - Episcopo, et ejus successoribus  
 „commisimus percipere, et habere, praeter posses-  
 „siones nostras superius praenominatas, quarum de-  
 „cimas perpetuo et irrevocabiliter ad perpetuam ele-  
 „mosynam pro anima sua idem Dominus Archi - Epi-  
 „scopus et suorum successorum componendo, et or-  
 „dinando, duxit conferendas, ut nos, et nostri suc-  
 „cessores praenominatarum villarum nostrarum de-  
 „cimas in ipso cultello Nitriensi existentes, singulis  
 „annis percipiendi, et possidendi habebimus facul-  
 „tatem sine sua prohibitione aliquali; salvis tamen  
 „portionibus magistralibus, et etiam jurisdictionibus  
 „Archi - Diaconalibus, secundum antiquum modum  
 „constitutum, et ordinatum plene, et integre rema-  
 „nentibus. Nosque salubriter inducti conscientia, li-  
 „cet non praedictarum villarum nostrarum decima-  
 „tionum aequiparenciam, sed tamen aliqualem re-  
 „compensationem faciendam sibi, et suo Archi - Epi-  
 „scopatu Strigoniensis Ecclesiae S. Adalberti Mart.  
 „quamdam possessionem nostram Keer vocatam in  
 „ipso Comitatu Nitriensi existentem, contiguam, vi-  
 „cinatam possessionis dictae Ecclesiae suae Strigoni-  
 „ensis, similiter Keer nominatam, cum duodecim  
 „Jobbasyonum mansionibus, nunc in facie ejusdem  
 „habitantibus; nec non Juribus, proventibus, Juris-  
 „dictionibus spiritualibus et temporalibus, ac cum  
 „Ecclesia lapidea ad honorem beati Clementis Papae  
 „in eadem constituta, pratis, sylvis, terris cultis,  
 „et incultis, vineis, aquis, et aquarum decursibus,  
 „cum locis molendinum, et quibuslibet aliis utilita-  
 „tibus suis universis, ad eandem pertinentibus, sub

„iisdem metis, et terminis antiquis in privilegio no-  
 „stro contentis: nec non etiam portionem nostram,  
 „quam in tributo suo Nyarhid, similiter in privi-  
 „legio nostro nobis pertinere, sibi asserendo demon-  
 „stravimus, perpetuo, irrevocabiliter dedimus, do-  
 „navimus, et contulimus, tenendam et possidendam  
 „pariter, et habendam, tali obligatione mediante;  
 „quod, quodocumque temporis in processu ratione  
 „praedictae possessionis Keer, et portionis tributi  
 „de Nyarhid, per nos datae, et collatae, per ali-  
 „quos, vel per aliquem idem Dominus Archi-Epi-  
 „scopus, vel sui successores impeterentur, nos, vel  
 „nostri successores propriis nostris laboribus et ex-  
 „pensis teneremur expedire; et si expedire non cu-  
 „raremus, vel non possemus, praehabita ordinatio  
 „rescinderetur eo facto: ad quod mediantibus Litte-  
 „ris nostris cum pendentibus sigillis consignatis nos  
 „firmiter obligamus. In cuius rei testimonium, per-  
 „petuamque firmitatem praesentes concessimus no-  
 „stras litteras privilegiales, pendentibus sigillis no-  
 „stris munimine roboratas. Datum in octavis Festi  
 „Purificationis Beatae Mariae Virginis. Anno Do-  
 „mini MCCCXLIII.“

Abbatiam Zobriensem S. Hippolyti credibili-  
 tate, ut dicimus, ad fidedignitatis actus excipien-  
 dos, donatam fuisse, plures, quae hodieum super-  
 sunt, publicae Expeditiones docent. Inter varios flu-  
 ctus, quibus Hungaria tum intestinis motibus, tum  
 bellicis irruptionibus Germanorum, Moravorum,  
 Hussitarum bohemorum agitabatur, perstitisse vide-  
 tur usque tempora Regis Mathiae Corvini. Sub illius

regimine Joannes Archi-Episcopus Strigoniensis Episcopatum Nitriensem seu, ut Dlugosus in hist. bel. Pol. cum Casimiro scribit, in comendam accepit, seu per suos homines occupavit, conspirationeque cum nonnullis Proceribus contra Mathiam Regem inita, Castrum Nitriense Casimiro Polono ad suscipiendam Hungariae coronam evocato tradidit. Rem hanc describit Thuroczius Chr. P. IV. C. 67. „Domino Rege (Mathia) ea tempestate res suas erga Regnum Bohemiae sorte felici dirigente, quidam Dominorum Hungariae, hi autem maxime, quos sua benevolentia extulerat in altum, potissimi vero Domini uterque Joannes, alter Strigoniensis Archi-Episcopus, alter vero Episcopus Quinque-Ecclesiensis, in Sclavonia humili sub tecto nobilitatis geniti, regia beneficia ingrata tractantes recordatione, nedum res illius in Bohemia non perturbassent, verum et Regem ipsum Sceptro, regimineque hungarico spoliare conati, illustrem Kasimirum, Kasimiri Regis Poloniae natum, gente, et armis Polonicalibus superbum, regium in opprobrium per terram Scepes in Regnum inducere, et Castrum Nitriense illius tradidere ad manus. Hunc Dominus Rex Mathias, suspecti militis fretus praesidio, Castro in eodem obsedit, obsessumque post nimium Polonorum interitum, armis et fame adeo fatigavit, ut simul cum suis de salute desperaret, et proprii capitis damnum magis, quam rerum timere cogeretur. Et amplius Dominus Rex illum fatigasset, si in suo milite non dubitasset, ipsumque Kasimirum noctis obscuritas suae regiae obsidionis e medio non subtraxisset. Tali ergo sorte Kasimirus simul

cum suis in Hungaria militans, nedum sceptro positus fuisset hungarico, verum suo in reditu suum ad Genitorem vix propriam salutem reportavit.“ Sub hoc tempus, dum Joannes Archi-Episcopus Strigoniensis Castrum Nitra per suos homines occupatum tenebat, Fratrem Nicolao Abbate Monasterii Zoboriensis, humanis rebus exempto, per suum Castellanium dictus Archi-Episcopus, annuente ut videtur Rege Mathia, apud quem eorum adhuc fuit acceptissimus, omnia Documenta, et Donationum privilegiales Litteras, Bona Abbatiae concernentia, violente auferri jusserrat, et ipsa Bona occupaverat. Huic violento facto religiosus Vir F. Antonius de Daraj, suo et totius Conventus nomine coram Conventu Monasterii S. Benedicti de juxta Gron hanc opposuit Protestationem, ex originali Tabularii Ecclesiae Nitriensis desumptam:

„Nos Conventus Monasterii S. Benedicti de juxta Gron memoriae comendamus: quod religiosus Vir „Frater Anthonius de Daraj in suo, ac totius „Conventus Monasterii B. Ipoliti Martyris de „Zobor nominibus, et personis, ad nostram personaliter veniendo praesentiam, per modum Protestationis et Inhibitionis nobis significare curavit in „hunc modum: quod cum Divina Clementia admittente, Venerabilis et Religiosus Vir F. Nicolaus Abbas Ecclesiae praedictae Zoboriensis vitam suam „temporalem finivisset, tunc Reverendissimus in Christo Pater Dominus Johannes Divina miseratione Archi-Episcopus Ecclesiae Strigoniensis etc. eandem „Abbatiam per familiarem suum Petrum Koth Castellanium Castri Nitriensis occupari fecisset, occu-

„patamque teneri comisisset; tandem vero in poste-  
 „rum, videlicet Sabbatho proximo ante Festum ad  
 „vincula S. Petri Apostoli, idem Petrus Koth, ne-  
 „scitur quo motivo ductus, universas Litteras, et lit-  
 „teralia instrumenta, ipsam Ecclesiam concernentia,  
 „omnino, et totaliter subripiendo, in quadam la-  
 „dula depicta reposita, ad praedictum Castrum Ni-  
 „triense, sine scitu, et voluntate ejusdem Conventus  
 „Ecclesiae Zoboriensis abduxisset, abductas apud se  
 „conservaret, et teneret etiam de praesenti, in prae-  
 „judicium et damnum, ac etiam desolationem ejus-  
 „dem Ecclesiae Zoboriensis, et Conventus ejusdem  
 „valde magnum. Unde facta hujusmodi Protestatione  
 „idem Frater Anthonius in sua, ac totius Conventus  
 „praedicti nominibus, et personis, eundem Domi-  
 „num Archi-Episcopum et familiarem suum Petrum  
 „Koth ab hujusmodi Litterarum ipsarum, et Littera-  
 „lium instrumentorum detentione, et conservatione,  
 „ac possessionum ejusdem Abbatiae universarum,  
 „ubique in ambitu hujus Regni existentium occupa-  
 „tione, detentione, conservatione, ac sibi ipsis im-  
 „petratione; Serenissimumque Principem Dominum  
 „Mathiam Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croa-  
 „tiae etc. Regem a Donatione, Collatione, et alios  
 „universos et quoslibet, quovis colore quaesito, in  
 „Dominium earundem possessionum praedictae Ab-  
 „batiae Zoboriensis, ubicunque habitarum, se ipsos  
 „intromissione, impetratione, perpetuatione, et sta-  
 „tuifactione, usumque fructum et quarumlibet uti-  
 „litatum earundem perceptione, seu percipifactione,  
 „quoquomodo factis, vel fiendis, idem Frater Antho-

„nius in sua et praedicti Conventus personis prohibuisset contradicendo, et contradixisset inhibendo, nimo prohibuit, et contradixit publice et manifeste coram Nobis vigore, et testimonio Litterarum nostrarum mediante. Datum feria quinta in vigilia Mariae de nive Virginis gloriosae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo.“

Post eam occupationem Bonorum nomine Joannis Archi-Episcopi Strigoniensis factam, Monasterium in Desolationem abiit, Monachis partim emortuis, partim elapsis: Bona ad Abbatiam spectantia, et per Joannem Archi-Episcopum tenta, Rex Mathias Episcopatum Nitriensi in meliorem Dotationem dedit, contulit, ac donavit; cujus rei testimonium habetur in Vladislai praeceptorio ad Comitatum Nitriensem dimisso, hujus Tenoris:

„Vladislaus Dei gratia Rex Hungariae, Bohemiae etc. fidelibus nostris universis et singulis Nobilibus, et alterius cujusvis status et conditionis possessionatis hominibus Comitatus Nitriensis salutem et gratiam. Ex querelis fidelis nostri Reverendi in Christo Patris Antonii Episcopi Ecclesiae Nitriensis intelleximus non sine displicentia: qualiter vos Decimas eidem Ecclesiae Nitriensi provenire debentes, eidem Dno Episcopo de Bonis vestris extradari facere difficultaretis, allegaretisque, quod idem Dominus Episcopus plures Dignitates teneret, quas pro instituto Regnicolarum, sicuti debuisset, non resignasset, et per hoc Decreto novissime edito se opponeret. Sciatis autem, quod Nos Praeposituram Posoniensem, quam ipse Dominus Episcopus pos-

„sidebat , jam dudum cuidam in Italia studio litterarum operam danti contulimus. Ecclesia autem Zobriensis, quae prius titulum Abbatiae tenebat, temporibus adhuc condam Domini Mathiae Regis ea de causa Ecclesiae Nitriensi incorporata est, ut Episcopi ejusdem Ecclesiae possint, eo adjumento melius dignitatem, et statum Episcopalem conservare. Et quia Ecclesia ipsa Nitriensis adeo exiguos proventus habet, ut Episcopi ejus sine Decimarum perceptione statum suum conservare non possint: ideo Fidelitatibus Vestris etc. Praesentibus perlectis exhibenti restituti. Datum Budae Die Dominico proximo ante festum ad vincula Beati Petri Apostoli Anno Domini 1498.“ Ex authographo.

Hoc igitur anno 1498 Abbatiam S. Hippolyti non amplius exstitisse certum est. Superest nihilominus hodie dum Abbatiae istius titulus, qui Jure Patronatus Regii Viris Ecclesiasticis conferri solet. Hunc Abbatis S. Hippolyti de monte Zobor Titulum modo ex Regia Collatione habet, et gerit Reverendissimus Joannes Dertsik Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis Canonicus, Archi-Diaconus Sasvariensis, Consiliarius Regius, SS. Theologiae Doctor, penes Regiam Scientiarum Universitatem Facultatis theologiae Praeses, ac Director; Seminarii generalis junioris Cleri penes Universitatem studentis Rector, et Librorum theol. Censor Regius.

## §. 6.

## De SS. Andrea Zoëramento, et Benedicto,

Abbatiam S. Hippolyti, montemque Zobor tempore S. Regis Stephani illustrem reddiderunt Zoërandus, et ejus Discipulus Benedictus; quorum brevem biographiam scripsit Maurus, illis coevus, primum S. Montis Pannoniae Monachus, dein Abbas Pétsvaradiensis, demum Episcopus Quinque-Ecclesiensis. Ita vero Ille de Zoëramento: „Tempore eo, quo sub Christianissimi Stephani Regis nutu, nomen, et Religio Deitatis in Pannonia, rudis adhuc pullulabat, audita bona fama Rectoris, multi ex terris aliis Canonici, et Monachi ad ipsum quasi ad Patrem confluebant, non quidem causa alicujus necessitatis coacti, sed ut novum sanctae conversationis gaudium ex eorum adventu adimpleretur. Inter quos quidem S. Spiritus instinctu tactus, ex rusticitate, quasi rosa ex spinis ortus, nomine Zoërandus, hanc in patriam de terra Poloniensium advenit, et a Philippo Abbate, cujus Monasterium, Zobor nominatum, in Nitriensi territorio ad honorem S. Hypoliti M. situm erat, habitu accepto, et Andreas nominatus, eremiticam vitam agere statuit. — Quanta cordis et corporis maceratione seipsum affligeret, ex relatione sui Discipuli B. Benedicti, secum conversantis, quae audiui, paucis litteris comendare decrevi. Ego quidem Maurus, nunc Deo miserante Episcopus, tunc autem puer scholasticus (hoc nomine veniebant, qui studiis intenti in caenobiis ad monasticam vitam

praeparabantur) virum bonum vidi, sed quae esset ejus conversatio, non visu, sed auditu percepit. Ad nostrum ergo Monasterium ad honorem B. Pontificis Martini (in Monte Pannoniae) consecratum, quum jam dictus Monachus Benedictus saepe venisset, mihi haec, quae sequuntur, de ejus vita venerabili narravit. Postquam idem Beatus Vir Andreas eremi solitudinem subintravit, magna corporis defatigatione, spiritualis autem vitae corroboratione, jejunium semper observavit, tribus diebus ab omni re, quae mandari potest, abstinuit pro dilectione gratiae ipsius, qui propter homines homo factus quadraginta diebus jejunavit. Quum autem quadragesimale tempus advenisset, exemplo vitae regularis, sub qua Zozimus Abbas degebat, ubi quadraginta quinque dactilis quisque quadragesimam deduxit, ipse a Patre Philippo, a quo habitum perceperat, quadraginta naves accepit, et eo existens victu contentus, diem sanctae Resurrectionis cum gaudio expectavit. Iisdem vero, et aliis diebus licet esus ad corpus refocillandum non solum non sufficeret, verum etiam spiritum ipsum ad defectum perduceret, ipse tamen excepto tempore orationis nunquam a labore cessavit; sed accepta securi, quemdam laboraturus sylvae locum solitarium subintravit; ubi, quum prae nimio labore, et jejunii districtione, corpore et spiritu deficiente, quadam die praemortuus jaceret, quidam juvenis pulcherrimus aspectu, et visionis angelicae advenit, et superpositum vehiculo ad cellam adduxit. At extasi, in qua erat, decedente, postquam ad se reversus, quid erga eum Dei misericordia ageret,

agnovisset, supradicto Discipulo suo Benedicto, qui mihi haec narravit, professus est eadem, constringens eum cum juramento, ne ante diem obitus sui nota cuiquam faceret. Post laborem autem diurnum, corpori quietem nocturnam talem adhibuit, quae magis tormenti, et afflictionis, quam requiei nomen habere potuit. Planatum equidem truncum, et quercinum sepe circumdedit, et per ipsam sepem arundines acutas ex omni parte infixit; ipse vero in truncis sedens, tali sessorio artuum usus est reiteratione, ut, si forte corpus sopore gravatum, se in partem flecteret, arundinum acie sauciatum graviter, evigilaret. Insuper et ex ligno coronam factam Capiti suo circumponebat, ad quam quatuor in partibus quatuor lapides suspendebat, ut, si caput sopitum quomodocunque inclinaret, lapide percuteretur. Haec, quae inserta sunt, Discipulo suo, jam dicto Benedicto referente cognovi; qui et ipse Patre suo defuncto, locum eundem desertum inhabitare decrevit. — Quum per tres annos exemplo Magistri districte vitam ageret, Latrones supervenientes, et multam apud ipsum pecuniam esse sperantes, ductum ad rippam fluminis Vag, jugulaverunt, et in ipsam aquam demerserunt. Diu vero corpore ipsius quaesito, et non invento, per integrum annum visa est aquila in rippa fluminis Vag, quasi quaedam observatura, sedere, per quam de corpore certi effecti, quemdam in aquas immergi fecerunt, et sic integrum, quasi nuper obisset, invenerunt. Positus est autem ibidem Benedictus in Basilica B. Emerami M. in eadem sepultura, qua pausabant ossa S. Patris Andreae Vene-

rabilis, qui mihi de eodem beato Eremita omnia, quae scripsi jam, retulit: sed quae sequuntur, Philippus Abbas mihi Abbati constituto enarrare consuevit. — Quum igitur tempus resolutionis sui corporis immineret, indicans eis hoc, qui aderant: ne ab ullo vestimentorum suorum exueretur operimento, praecepit, donec Abbas Philippus, post quem miserat accersitum, adveniret; qui Pater adveniens, ubi corpus venerabile jam mortui jacebat, lavandum exuit, catenam aeream, viscera jam attingentem, invenit. O mira res, et inaudita! catena carnes intus putrefaciens, cute foris est obducta. Sed nesciri posset hoc genus Martyrii, nisi ad umbilicum ligati nodus appareret metalli. Soluta vero catena, dum ex corpore trahitur, sonus costarum elisarum graviter auditur; cujus catenae Partem mediam ab Abbate eodem impetratam, et usque nunc custoditam, Petitioni Ducis Christianissimi Geyzae, cum desiderio mihi pro ea instanti, negare nequivi. Sepulto quoque Viri beati corpore, quae per revelationem Abbatis Philippi cognita, digna videbantur esse memoria, notavi. Tempore quodam latrones, quorum Collegia, maxima ex parte solitudinem inhabitant, in sylva congressi sunt: quibus confligentibus unum eorum multum sauciarunt. Conflictu diremto, quam hunc vulneratum socii nequaquam in sylva dimittere voluissent, consilio inito, ad Cellam superius dicti Viri Andreae, cujus fama omnes circumquaque attigit, eum deferre statuerunt: sed quum adhuc locus longe hinc abesset, latro in via defunctus est. Corpore vero ejus ad Cellam deportato, et in

eadem posito, media jam nocte, cum ossa comendare vellent humo, subito spiritu reverso, jam mortuus resurgere coepit. Illis autem, qui aderant, valde perterritis, et prae pavore fugientibus, resuscitatus ille revocabat eos dicens: nolite fratres formidare, neque fugere; sanctus enim Zoërdus me a morte suscitavit ad vitam. Illis quippe prae gaudio plorantibus, et ut discederet cum eis, rogantibus dixit, se nunquam ab ea Cella discessurum, sed ibi in perpetuum Deo, et S. Zoërdus servituum. Fecit itaque, quod promisit, et usque ad obitum suum ibi permansit. — Aliud quoque ejus miraculum nequaquam reticere volui, quod eodem modo Abbate Philippo narrante cognovi. In Civitate Nitria quidam reus damnatus, suspensus est: qui post solutus Dei misericordia, ad Abbatem venit Philippum, et qualiter per merita beati Viri Andreae liberatus esset, indicavit. Dixit enim, quod, quum damnatus esset, semper nomen ipsius implorasset, et quum sublevaretur in patibulum, statim manibus suis beatus Vir Andreas eum sustentaverit, At illi, quum eum omnes mortuum putantes, domum reverterentur, ipse eum manu sua solutum, domum abire permisit. — Ista Maurus, qui tam Andream Zoërdum Juvenis viderat, quam Benedictum familiaris noverat, conscripsit prius, quam Geyza I. quem Ducem appellat, Rex crearetur. Ambos Viros sanctos Nitriae in Basilica S. Emerami M. sepultos fuisse memorat: eam proinde sub S. Stephano exstitisse; et quia Basilicam vocat, celebriorem fuisse, hoc quoque testimonio conficitur. Sepulchrum horum Sanctorum Ma-

thaeus Trenchiniensis, Caroli R. adversarius, sub Joanne Episcopo Nitriensi, qui Regi fideliter adhaesit, prout Timon Ep. Chr. ad an. 1312 adnotavit, depeculatus est, sacra ossa disjecit, Castrum succendit, muros disjecit; quae Episcopus quoque in pronuntiata contra illum Excommunicationis sententia, alio loco proferenda, commemorat. Reliquiae de sacris ossibus, quoad exusta non fuerunt, collectae, hodie in eadem Basilica S. Emerami M. pie, ac religiose conservantur. Pro his Reliquiare argenteum majus, formam Sarcophagi referens, fieri curavit Thomas Pálffy ab Erdód Episcopus Nitriensis, cum hac inscriptione superne incisa: „Divis Tutelaribus Ecclesiae Nitriensis Andreae et Benedicto M. M. Thomas Pálffy ab Erdód Episcopus Nitriensis Cancell. Ungar. F. F. Anno Domini 1674. in quo sacra ossa deposita sunt.“ — Jacobus Episcopus Nitriensis anno 1214 in loco, unde S. Benedictus in flumen Vagum dejectus, mersusque fuit, fundavit Abbatiam de Szkalka in honorem ejusdem S. Benedicti. — Ad locum vero antiquae Abbatiae S. Hippolyti in monte Zobor Blasius Jáklin Episcopus Nitriensis induxit S. Romualdi filios, Camaldulenses. De his uberiora in Parte altera, ubi de his Episcopis agetur.

---

## §. 7.

Quando, et a quo Rege Episcopatus Nitriensis  
instauratus, vel conditus?

Quum e Lege Colomani (cap. 22) superius recitata certum sit, eo tempore, quo Decretum compilatum fuit, anno, ut putatur, 1100 Nitriam non habuisse Episcopum; sed nec ullus Episcoporum Nitriensium in Diplomatis Regum usque ad Geyzam II. occurrat: non defuerunt, qui affirmarent, hunc Regem, videlicet Geyzam II. Episcopatus Nitriensis fuisse conditorem. Inveteravit haec opinio auctoritate Zachariae Mossóczy, qui, cum ipse esset Episcopus Nitriensis, hanc opinionem sectatus, in vita Geyzae II. quam editis Regum Decretis Edit. Tyr. de anno 1734 interseruit, haec habet: „Nitriensem Ecclesiam e Collegiata Cathedrali, Dote auctiore facta, constituit, delecto ad Episcopi munus Eduardo, primo Ecclesiae Antistite.“ — In eandem sententiam abiit Szent-Ivanyus Misc. Dec. III. „Noto, inquit, Nitriensem Episcopatum tardius esse erectum: siquidem Geyza II. Ecclesiam hanc Cathedrali fecit, ejusdem proventus novis accessionibus auxit.“ — Samuel Timon Ep. Chr. Geyzam non quidem conditorem, sed Instauratorem Episcopatus Nitriensis facit „Anno MCLVII. Bela (Geyza) Rex Nitriae veterem dignitatem Episcopalem restituit, et Possessionibus cumulat, delecto primo Episcopo Eduardo.“

In aliam sententiam abiit Cl. Pray qui eam de Geyza conditore impugnans, Spec. Hier. P. I. haec

scribit: „Caepit (Geyza) ad annum 1142 praeesse: quum tamen jam anno 1133 in litteris, ut vocant, adjudicatoriis, Nicolaus diserte Nitriensis Episcopus dicatur. Itaque erectio Episcopatus Nitriensis, si quid video, Belae caeco potius, qui ad annum 1131 ad clavum admotus est, quam Geyzae II. tribuenda videtur: quoniam anteriorem Nicolao Episcopum nemo hactenus memoriae prodidit.“

Mea opinione seu conditi, seu veteris Episcopatus Nitriensis instaurati, et resuscitati gloria, nec Geyzae II. nec Belae caeco, nec alteri cuiquam Regum nostrorum attribui potest. Quid Geyza II. praestiterit Ecclesiae Nitriensi, patet ex Illius privilegiabilibus Litteris, Ecclesiae eidem Nitriensi datis, e Transumto descriptis, hujus Tenoris:

„In nomine sanctissimae Trinitatis, et indivi-  
 „duae Unitatis. Amen. Ego Geyza, Hungariae Rex  
 „secundus Anno Regiminis XVIII. Martino Strigoni-  
 „ensis Sedis existente Archi-Episcopo, has Liberta-  
 „tes donavi Ecclesiae Nitriensi beati Emerami, ubi  
 „SS. MM. Soërdi, et Benedicti corpora requie-  
 „scunt, pro proprietate ipsorum Sanctorum. Quod  
 „populos ad Episcopum, et Capitulum pertinentes  
 „nullus Judex sub Rege positus, etiam Curialis Co-  
 „mes major possit judicare in causis quibuscunque,  
 „nisi Episcopus et Capitulum, vel eorum servitores.  
 „Etiam causas possunt judicare extraneorum quo-  
 „rumcunque ratione delicti, in pertinenciis eorum  
 „comissi, judiciario ordine per omnem modum. Qui-  
 „vis autem judex contraria faciens, ipsi Ecclesiae  
 „damnetur per Regem in quadraginta marcis puri ar-

„genti. Concessa mihi etiam B. Petri Sedis auctori-  
 „tate volo ; ut ubicunque memorata Ecclesia haberet  
 „Possessiones nunc, vel in futurum in provincia cu-  
 „juscunque Episcopi, cum Dominio terrestri habeat  
 „spirituale; quia etiam sic ordinaverunt sancti Reges.  
 „Insuper donavi SS. Martyribus praedictis censum  
 „meum Danubialem in terra Kóllek ú, ubi Zitva  
 „intra in Danubium, cum piscatura in Zitva,  
 „qui census exigatur, sicut pro Regia mensa exige-  
 „batur, a transeuntibus supra et infra in Danubio,  
 „ad reparandam ipsam Ecclesiam Sanctorum semper.  
 „Donavi etiam villam meam Modor conditionalem  
 „prope Regnum Theutonicorum, prope montem exi-  
 „stentem, ubi falcatores mei residebant. Tertiam  
 „etiam partem Seely cum piscatura, et piscatori-  
 „bus meis, ac censu fori. Et quia Ecclesia Nitrien-  
 „sis caret adhuc Praeposito, ad ordinandam  
 „Praeposituram in eadem, terram meam in Koruss  
 „mihi pertinentem, absque terra nobilium de Ko-  
 „russ, in terra mea, ubi residebant sectores ligno-  
 „rum, et cum Ecclesia per me fundata, quae est in  
 „orientali parte, et in occidentali terra conditionalis,  
 „obtuli pro honore Sanctorum ejusdem. Si quis au-  
 „tem hanc meam oblationem, super corpora Sancto-  
 „rum factam, retractare praesumserit, sub anathe-  
 „mate Jesu Christi satanae tradatur. Factum est hoc  
 „Nitriae praesentibus dicto Archi-Episcopo, Appa  
 „Curiali Comite majori, Emerico vero minori. Anno  
 „ab Incarnatione Domini MCLVIII. Epacta XVIII.  
 „Indictione XV. Barnabas Notarius signavit sigillo  
 „meo Regio.“

Si quid video, ex his Privilegialibus perspicuum esse puto, Episcopum cum Populis ad eum pertinentibus, in quos Jurisdictio tribuitur, adeoque Episcopatum existere antea jam debuisse, non ab hoc Rege fundatum; qui, sicut Ecclesiam in Koruss per se fundatam memorat, ita non intermisisset commemorare, si Episcopatus per se fundatus fuisset; nec id praetermisisset in concessis Episcopo et Capitulo Libertatibus exprimere, Capitulum ex Collegiato in Cathedrale ab se elevatum fuisse. Imo, cum dicat Ecclesiam Nitriensem adhuc carere Praeposito, non obscure innuit, ante sua tempora Praeposituram jam desiisse. Alienum praeterea est a veritate historica, Eduardum primum fuisse post Colomani tempora, Nitriensem Episcopum; cum praeter Nicolaum anno 1133, alii insuper fuerint Antistites, Eduardum antecedentes, quos in serie Episcoporum, Parte altera proferam. Non tamen penitus negavero, aliquo sensu Eduardum dici posse primum Episcopum, videlicet: a Rege delectum: cum ejus Antecessores non fuerint ex Regia nominatione Episcopi; primum praeterea fuisse, qui conjunctam non habuit cum Episcopali, Praeposituralem Dignitatem.

Qui vero Belam caecum Episcopatus Nitriensis fundatorem, aut Instauratorem faciunt, non aliud habent, habereque possunt pro sua opinione fundamentum, quam, quod in Feliciani Archi-Episcopi Strigoniensis adjudicatoriis de an. 1133, quo Bela caecus Regni gubernacula tenuit, qua Testis compareat Nicolaus Episcopus Nitriensis. Adjudicato-

riae hae, quas Kercselics in hist. Zagr. primus produxit, ita sonant:

„In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti  
 „Amen. Regnante nobilissimo Rege Ladislao, Strigoniensis vero Ecclesiae primum (primatum) Acha gubernante, et Bachiensi Archi-Episcope Fabiano existente, Beszprimiensi Episcopo Cosma, Palatino Comite Jula, Semeghiensi Comite Grab, praedictus Rex Divina gratia inspirante, horum, caeterorumque Nobilium Consilio Zagrabiensem constituit Episcopatum; videlicet ut quos error Idololatriae a Dei Cultura extraneos fecerat, Episcopalis cura ad viam veritatis reduceret. Ad instruendam ergo hujus Plebis ignorantiam, quemdam boemicum venerabilis vitae Virum Duh nomine, idoneum reperit, quem eidem Ecclesiae Pastorem per suum Capellanum Francicam delegerit; qui etiam eidem Ecclesiae officinarios de Semeghiensi, et Zalensi Comitatu ordinavit. Praeterea alter Capellanus Cupan nomine, praecepto ejusdem Regis dedit eidem Ecclesiae populum de Dumbroa cum terra et sylva appendente. Transacto igitur non parvo tempore, regnante vero Stephano (Colomani filio) praedicto, vero Francica illius Ecclesiae Episcopatum tenente, a quodam Viro, nomine Sudengna de praedicta sylva Ecclesiae injuria illata est. Quod Episcopus aegre ferens, ad Regis patrocinium confugit, qui totam causam Feliciano Strigoniensi Archi-Episcope discutiendam comisit; illius ergo Ecclesiae adversarii ad iudicium vocati, quum ad determinatum Diem venire nolissent, nec L. Pensas secundum

„legem terrae persolvere potuissent, **Archi-Episcopi**  
 „judicio praedicta sylva per **Prestaldum Isac nomine,**  
 „**Ecclesiae restituta est; ac quamdiu Francica illi**  
 „**Ecclesiae praefuit, nullus ei aliquam injuriam in-**  
 „**ferre praesumpsit. Defuncto ergo Rege Stephano,**  
 „**piissimus Bela, Divina gratia largiente, Pannoniae**  
 „**sceptra feliciter gubernanda suscepit, cujus gratia**  
 „**praedictus Francica ad Baaciensem Archi-Episco-**  
 „**patum translatus est; Zagrabiensi vero Ecclesiae**  
 „**Macelinus Hierosolymitanus Canonicus, Episcopus**  
 „**ordinatus est. Tertio ergo Episcopatus sui anno Adil-**  
 „**bert frater Kaladini Comitis Semeghiensis, Comes**  
 „**una cum Clanisa, et Petro fratre ejus, et Sudengna,**  
 „**aliisque quam pluribus ejusdem terrae melioribus,**  
 „**de praedicta sylva, in Concilio Varadinensi tempore**  
 „**Valterii Episcopi, ante Felicianum Strigoniensem**  
 „**Archi-Episcopum litigium renovavit. Cujus judi-**  
 „**cio duo Episcopi, videlicet Francica Baacensis, et**  
 „**Macelinus Zagrabiensis, salva Episcopali dignitate,**  
 „**pro justitia sanctam Ecclesiae veritatem dixerunt;**  
 „**tres vero de nobilioribus ejusdem Ecclesiae, scilicet**  
 „**Barkis, Mahal, Dersibna super sacrum Altare Va-**  
 „**radinensis Ecclesiae in praesentia Canonicorum ju-**  
 „**rarunt, Augustino Strigoniensis Ecclesiae Prestaldo**  
 „**existente. Quod factum est Anno Dominicae Incar-**  
 „**nationis MCXXXIII Epacta 23. VI. Kal. Maji. Archi-**  
 „**Episcopus vero volens suum judicium immobile per-**  
 „**manere, praedicto Isac praemonstrante, singulas**  
 „**metas renovavit, et Ecclesiae sylvam ea conditione**  
 „**restituit, ut nullus in ea omnino sine consensu Epi-**  
 „**scopi quicquam agere praesumat, vel venando,**

„vel aliquid de ea auferendo, vel intromittendo.  
 „Hujus rei testes sunt Archi - Episcopi iudicio assi-  
 „dentes, Nicolaus Nitriensis Episcopus, Eucidinus  
 „Comes Desanniae, Geuril filius Andreae Comitum,  
 „Laurentius filius Salamonis, Canonici Varadinensis  
 „Ecclesiae, Benedictus Custos, Opus Decanus, Se-  
 „bastianus.“

Nicolaum igitur anno 1133. quo Bela caecus Regni gubernacula tenebat, Episcopum Nitriensem fuisse, ex his adjudicatoriis certum est; sed non consequitur inde, seu Episcopatum a Bela conditum, aut instauratum; seu Nicolaum tunc primum, et non multo antea fuisse Nitriensem Episcopum creatum. Quia certum indicium non est, ut recte animadvertit Reverendissimus Katona Hist. Crit. tunc Episcopatum aliquem conditum esse, quando primum ejus Sedis Episcopus occurrit: ideo existimat, Episcopatus Nitriensis Institutionem et ad Stephanum II. et ad Colomanum referri posse, modo post perlatam in Comitibus anni 1100 Legem, Cap. videlicet 22dum initium defigatur. Vix enim credibile est, Belam II. initio Regni sui, quo statim bello distinebatur, ita hunc Episcopatum excitare potuisse, ut anno tertio suum jam haberet Antistitem. Ita Katona.

Suspicio, et fors non vane, Ecclesiam Nitriensem, post Legem quidem Capitis 22; sub ipso tamen Rege Colomano suum accepisse Antistitem. Lego namque in Privilegialibus de anno 1111 vel 1114 per Regem Colomanum Godefrido Abbati S. Hippolyti de monte Zobor datis pro metae termino designari villam Episcopi. „*De villa Gan in villa Episcopi, ibi est*

*terminus villae illius.*“ Si existit villa Episcopi, etiam Episcopum, sive Episcopatum oportebat existere. Et quamvis ad hoc tempus nulla facta fuerit fundatio, aut specialis pro Episcopo, vel Episcopatu Dotatio, unde conjecturare liceret, hoc tempore Episcopatum seu conditum, seu resuscitatum, et instauratum fuisse; habebat tamen Ecclesia Nitriensis adhuc ante Colomanum villas quasdam ex Donatione S. Ladislai, et Geyzae I. quod ex Privilegialibus Stephani V. Regis est manifestum. Hae in autographo Transumpto Tabularii Ecclesiae Nitriensis, hujus sunt tenoris :

„Thomas Praepositus, et Capitulum S. Strigoniensis Ecclesiae: omnibus Christi fidelibus praesentibus, et futuris, notitiam praesentium habituris, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire; quod venerabilis in Christo Pater Pascasius Divina misericordiae Episcopus Nitriensis ad nostram personaliter accedens praesentiam, exhibuit nobis quasdam litteras privilegiales Inclytissimi Principis, et Domini Domini Stephani felicis recordationis quondam Regis Hungariae illustris, petens nos cum instantia, ut, quia ipsas litteras in propria specie, propter viarum discrimina secum ferre non posset, easdem litteris nostris privilegialibus transscribi faceremus, ubi superiorem ad cautelam, quarum Tenor talis est:—

„Stephanus Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex. Omnibus Christi fidelibus tam praesentibus, quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in salutis Largi-

„tore. Ad universorum notitiam harum serie volu-  
 „mus pervenire, quod Venerabilis in Christo Pater  
 „Vincentius Dei gratia Episcopus Nitriensis  
 „fidelis noster, ad nostrae Majestatis accedens prae-  
 „sentiam, exhibuit nobis quaedam privilegia, et Jura  
 „dictae Nitriensis Ecclesiae tam Regum, quam  
 „Reginarum, ac Capitulorum super universis Posses-  
 „sionibus ipsius Ecclesiae confecta, exceptis quibus-  
 „dam privilegiis, quae in combustione Castri nostri  
 „Nitriensis, et Ecclesiae Cathedralis, per Bohemos,  
 „aemulos Regni nostri pro nobis facta, consumpta ex-  
 „stitissent; quae nos antea videntes, et examinan-  
 „tes, nostris Litteris privilegialibus feceramus confir-  
 „mari ex certa scientia; supplicans nostrae Majesta-  
 „ti, ut ipsa privilegia de plenitudine nostrae pote-  
 „statis, inquiri etiam de amissis privilegiis veritatem  
 „faciendo, nostro privilegio dignaremur confirmare.  
 „Nos habendo exinde deliberationem cum Dominis  
 „Philippo Strigoniensi, Stephano Coloczensi Archi-  
 „Episcopis, Moyss Palatino, et Aegidio Magistro  
 „Tavernicorum nostrorum, et aliis quam pluribus  
 „Praelatis, et Baronibus Regni nostri, misimus Ma-  
 „gistrum Benedictum Praepositum Orodiensem, Au-  
 „lae nostrae Vice-Cancellarium, Michaellem Comi-  
 „tem Nitriensem, cum Magistro Sixto Lectore Strigo-  
 „niensi, fideles nostros, juxta continentiam Littera-  
 „rum Capitulo Strigoniensi directarum, ut iidem  
 „nostri fideles praesente testimonio praedicti Capi-  
 „tuli, universas Possessiones, quas ad eandem Ec-  
 „clesiam Nitriensem, et Episcopatum pertinentes in-  
 „venirent, reambulando legitime, nomina reperta-

„rum possessionum in litteris dicti Capituli reporta-  
 „rent, ut ex inde certificati, Jura ipsius Ecclesiae  
 „ex certa scientia confirmare valeremus. Tandem  
 „idem Dominus Episcopus Nitriensis cum praedictis  
 „nostris fidelibus ad nostram accedens praesentiam,  
 „exhibuit nobis unam litteram clausam memorati Ca-  
 „pituli Strigoniensis, in qua nobis scribebatur, quod  
 „de nominibus, et veritate omnium possessionum  
 „dictae Nitriensis Ecclesiae, per eos inventarum,  
 „videlicet per homines nostros, testimoniumque Ca-  
 „pituli supradicti, hoc modo edocti exstitissent:  
 „quod primo accessissent ad faciem possessionum  
 „Biche, et Jeszenicze in Provincia Trenchini-  
 „ensi existentium, et ex vigore privilegiorum ejus-  
 „dem Capituli Strigoniensis, et aliorum, ipsas pos-  
 „sessiones ad Nitriensem Episcopatum pertinere, et  
 „in pacifica possessione ipsarum eundem Episcopum  
 „invenissent; et inde venientes in Trenchinium, de-  
 „cimam et tertiam partem Fori Trenchiniensis,  
 „et portus ex fundatione ipsius Nitriensis  
 „Ecclesiae ad eandem pertinere scivissent, et  
 „saepedictum Episcopum in plena esse perceptione  
 „eorundem: praeterea quasdam possessiones Szca-  
 „than, item utrasque Beluch, et utrasque Ke-  
 „resnya vocatas; ita eandem Szcathan ex do-  
 „natione scitissimi Ladislai Regis in fundationem  
 „ipsius Nitriensis Ecclesiae, absque omni contradi-  
 „ctione ad ipsam pertinere invenissent, et nunc pa-  
 „cifice possideret; post haec accessissent in Provin-  
 „ciam Posoniensem, et circa Civitatem, sive Tirna-  
 „viam, Zomboth dictam, videlicet in pede montis

„longi supra villam S. Georgii jacentis, invenissent  
 „possessionem **M o d r a** totalem cum terminis anti-  
 „quis, cum montibus et sylvis, ac aliis utilitatibus;  
 „item totalem Possessionem **Seele**, totalem cum  
 „portu, paludum piscaturis, aquis, et omnibus uti-  
 „litatibus, circumstantiis, et Ecclesia juxta fluvium  
 „**Dodvag** adjacentem ex collatione scitissimi Regis  
 „**Ladislai**, et **Geyzae** vi Dotationis foundationis  
 „esse, et fuisse, cujus memoria non exstaret, cum  
 „décimis earundem, Ecclesiae et Episcopatus **Nitri-**  
 „**ensis**, et etiam cum tributis: post haec accessissent  
 „ad possessionem **A p k a** vocatam cum fluvio **Wag**,  
 „virgultis et montibus, ac **Jobbagyionibus** quadra-  
 „ginta mansionum, et **Capella**, cum terris viginti ara-  
 „trorum, ac parte media tributis, et salis ex colla-  
 „tione **Andraeae**, et **Belae** Regum in Provincia  
 „**Nitriensi** habita invenissent pertinere ad memora-  
 „tam **Nitriensem** Ecclesiam, et esse in pacifica pos-  
 „sessione earundem: scivissent etiam in Provincia  
 „praedicta possessionem **K o r u s** vocatam cum tribu-  
 „tis, molendinis in fundationem Ecclesiae beatae **Vir-**  
 „**ginis** eidem Ecclesiae fuisse assignatam pro **Prae-**  
 „**positura** **Nitriensi**, constructa per **Dominum**  
 „**Geyzam** Regem in ordinationem Ecclesiae etiam  
 „praefatae **Nitriensis** collationi, et arbitrio **Episcopi**  
 „**Nitriensis** invenissent pertinere eandem: praeterea  
 „invenissent quamdam Possessionem **N o g f a l o w**  
 „vocatam, prope **Civitatem Nitriensem**, habitam ex  
 „fundatione dictae Ecclesiae ad **Episcopatum Nitri-**  
 „**ensem** ab antiquo pertinere, atque etiam unum pra-  
 „tium in alia parte **Nitrien** — **Monasterii S. Ipoliti**

„juxta villam ejusdem Monasterii, ad Ecclesiam Ni-  
 „triensem pertinere invenissent: dein invenissent vil-  
 „lam Tremos juxta terram Capituli ejusdem, etiam  
 „prope Civitatem Nitriensem ex alia parte fluvii exi-  
 „stentem, cum sylvis, et utilitatibus ejusdem sub  
 „terminis antiquis ex Donatione in fundationem ipsi-  
 „us Nitriensis Ecclesiae, ab antiquo pertinere ad Ec-  
 „clesiam supradictam: post haec invenissent posses-  
 „sionem Keresken majorem juxta eundem fluvi-  
 „um Nitriensem, ex donatione Dominae Elizabeth  
 „Reginae Hungariae, consortis nostrae carissimae,  
 „ad eandem Ecclesiam pertinere in Provincia supra-  
 „dicta, inter terras Civitatis Nitriensis situatam: post  
 „haec venissent ad quamdam possessionem Sitvato  
 „in Comitatu de Komarom juxta Danubium jacen-  
 „tem, vocatam, cum portu Danubii et tributo, cum  
 „piscaturis tam in Danubio, quam Sitva habitis, ex  
 „integro legitime ad eandem pertinere, et ab antiquo  
 „possedisse, et nunc possidere pleno jure, invenis-  
 „sent Ecclesiam memoratam. Et prout haec omnia  
 „in litteris dicti Capituli plene vidimus contineri,  
 „iidem nostri fideles haec omnia eadem se vidisse,  
 „et scivisse veridice retulerunt. Et quia nos sanctam  
 „Matrem Ecclesiam, per quam vivimus, et regna-  
 „mus in terris, quibus ipsam videmus immobiliter  
 „gaudere, pacifice tenemur conservare, praecipue,  
 „quia privilegia earundem possessionum ante incen-  
 „dium ejusdem Ecclesiae cum nostris Baronibus vi-  
 „deramus, una cum Praelatis et Baronibus nostris  
 „praedictis, praenotatas possessiones generaliter, et  
 „singillatim, sive Fundationis, sive legationis, sive

„mentionis titulo ad ipsam Ecclesiam pertinentes,  
 „Juris ordine observato, Devotione etiam beatorum  
 „Martyrum Zorardi, et Benedicti, quorum corpora  
 „in dicta Ecclesia requiescunt, inducti, ipsi Nitriensi  
 „Ecclesiae, et Episcopatu confirmamus, et nova Do-  
 „natione per nos facta, perpetuo valere ex certa  
 „scientia ratificamus, in plena Possessione earum-  
 „dem ipsam Ecclesiam et Episcopatum relinquendo:  
 „et quia in reambulatione dictarum possessionum  
 „ipsius nullus Contradictor apparuit Ecclesiae Nitri-  
 „ensis, singulis querulantibus super iisdem possesio-  
 „nibus perpetuum silentium amodo imponentes. Et  
 „quia Venerabiles Reliquiae SS. Martyrum praedi-  
 „ctorum propter praemissum incendium satis mise-  
 „rabiler conservantur, ideo tributum in Civitate  
 „Nitriensi pro nostra Majestate reservatum, praeter  
 „decimam, et tertiam partem ejusdem tributi, quam  
 „idem Dominus Episcopus Nitriensis ab antiquo di-  
 „gnoscitur possedisse, donavimus ad decorem SS.  
 „Martyrum praedictorum pro lampadibus continue  
 „ante praedictas reliquias lucendis, et illuminandis,  
 „perpetuo munere possidendum. Datum per manus  
 „praedicti Magistri Benedicti Orodiensis Vice-Can-  
 „cellarii, dilecti, et fidelis aulae nostrae. Anno Do-  
 „mini MCCLXXI pridie Kalendas Septembris, Indi-  
 „ctione quintadecima, Regni autem nostri anno pri-  
 „mo. Venerabilibus in Christo Patribus Domino Phi-  
 „lippo Strigoniensi, et Stephano Colocensi Archi-E-  
 „piscopis praedictis, Lamperto Agriensi, Briccio  
 „Chanadiensi, Jacobo (Jobo) Quinque-Ecclesiensi,  
 „Philippo Vaciensi, Aulae Dominae Reginae Cancel-

„lario, Lodomerio Varadinensi, Petro Transylvano,  
 „Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter guber-  
 „nantibus. Moyss Palatino, et Comite Soproniensi,  
 „ac Judice Comanorum, Nicolao Judice Curiae no-  
 „strae, Aegidio Magistro Tavernicorum nostrorum,  
 „et aliis Baronibus nostris, et honores habentibus.  
 — Nos vero justis, et legitimis petitionibus ipsius  
 „Domini Episcopi favorabiliter in hac parte inclinati,  
 „praefatasque litteras privilegiales non abrasas, non  
 „cancellatas, nec in aliqua sui parte vitiatas compe-  
 „rientes, de verbo ad verbum praesentibus inscribi  
 „facientes, sigilli nostri appositione in majorem fir-  
 „mitatem duximus consignandas, et per medium al-  
 „phabeti intersecandas. Datum in Festo Ascensio-  
 „nis Domini, Anni ejusdem MCCXCI.“

Ex his cum extra dubium sit, Ecclesiam Nitri-  
 ensem ex Donatione sanctissimi Regis Ladislai, et  
 Fratris ejus Geyzae, qui peculiaris S. Zoërdardi, in  
 Ecclesia Nitriensi sepulti, cultor fuit, cujus Cate-  
 nam, qua corpus constrinxerat, a Mauro Episcopo  
 magno cum desiderio petiit (§. 6.) villas quasdam  
 habuisse: in Privilegialibus vero Colomani Regis Zo-  
 briensi Abbati Godefrido, Possessionum ad Abba-  
 tiam pertinentium reambulatione instituta, datis, (§.  
 5.) pro meta designetur villa Episcopi: neque nova  
 aliqua Donatio Ecclesiae Nitriensi seu sub Colomano,  
 seu Stephano II. aut Bela caeco usque Geyzam II.  
 accesserit: credituque difficile, imo plane incredi-  
 bile sit, a quopiam horum Regum sine adjecta, ad-  
 auctaque Dote, unde Episcopus Dignitatem suam tu-  
 eri, sustentareque valeat, Episcopatum hunc con-

ditum, et unice ad modicos illos reditus, quos Praepositus ex pertenui Capituli Dotatione percepit, institutum fuisse, contra usitatum Regibus nostris morem, quos in dotandis Ecclesiis multum liberales fuisse, Donationes ipsae loquuntur: Sed nec ullus Regum nostrorum a Colomano usque Geyzam II, nec posteriorum quisquam sibi gloriam fundati, conditi-que hujus, de quo loquimur, Episcopatus vendicaverit, aut a Successoribus posterioribus Regibus attributam habuerit: his perpensis, absque eorum injuria, hanc illis negari, et maxima cum verisimilitudine statui posse arbitror, Ecclesiam Nitriensem, a morte Beszterti, aut si mavis, ab occupatione Hungarorum per Vicarios Praepositos gubernatam, et in Lege Colomani Cap. 22. nomine Praepositurae majoris designatam, sub ipso Rege Colomano, posterioribus Regiminis annis, in eo, quo tum erat, situ, absque nova erectione, Instauratione, Dotatione, suos rursus accepisse Antistites, et Episcopos, non ex Regum nominatione, sed ex Capituli Electione.

Hujus, ne temere a me dici putetur, rationem exponam. Nemini, vel tantillum versato in historiis, ignotum est, quanta dissensiones, litesque fuerint Sacerdotium inter, et Imperium, ob sic dictas Investituras, exercitumque per Principes Jus transferendi, nominandi Praelatos, Pontificibus Romanis Canonicas liberas Electiones vehementius urgentibus. Hae discordiae tempore Regis Colomani vigeant quam maxime. Ille teste Martino Polono, ea in apostolicam Sedem reverentia fuit, ut Jura sua restringi passus, per suos Legatos in Concilio Gvastalensi sub Paschali

**II. P. Juri Investiturae, et Translationum renunciarit. Caeperunt itaque apud nos quoque Capitulum Canonicae Electiones introduci. Hac occasione videtur usum fuisse Nitriense Capitulum, et ad eam, quae ex antiquo Episcopatu reliqua fuit, partem, vicario Jure gubernatam, Rege, ut credere par est, non impediante, nec dissentiente, elegisse Episcopum, et eum quidem, qui Praepositus fuit, ut in defectu congruae pro Episcopatu Dotationis, utramque conjungeret Dignitatem. Inde factum, ut cum Episcopi Nitrienses ob suam paupertatem in aula Regum comparere non potuerint, neque per nominationem Regiam constituti fuerint, in Diplommatibus usque Geyzam II. nulla eorum occurrat mentio: et quamvis Dotationem Rex Geyza aliqua in parte auxerit, filius ejusdem Bela III. pia compassione ductus, Tributi partem addiderit hac sua Donatione:**

„Ego Bela tertius Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramaeque Rex. Notum facio cunctis: Quod Pater meus Rex Geyza de Tributo fori Nitriensis ducentas pensas annuatim persolvendas contulerit: postmodum ego Paternae Devotionis imitator, paupertati Ecclesiae Nitriensis pie compatiens, tertiam partem ejusdem Tributi, eidem Ecclesiae ex integro concessi. — Anno Incarnationis Domini Millesimo Centesimo octuagesimo tertio.“

Gloriantur non immerito aliae Sedes Episcopales suorum antiquorum Fundatorum in iis dotandis liberalitate, ac munificentia: nec erga Ecclesiam Nitriensem parci, minusque liberales sese exhibuissent, si quis e Regibus nostris Episcopum condidisset, de

novo erexisset. Serius primum, postquam Pietate posteriorum Regum variis temporibus Donationes, quas Privilegiales Stephani V. supra descriptae exhibent, accessissent, Ecclesia Nitriensis e sua, qua diu premebatur, paupertate, potuit eluctari. Quod ipsum ostendit, originem illius foundationi, et Erectioni per quempiam Regum factae, tribui non posse; verum ad reliquias vetusti Moravici Episcopatus, qui conservata, et exercita continuo Episcopali Jurisdictione, proprio SS. Canonum sensu, non intercederat, Episcopos electos, institutosque fuisse.

Ostendunt istud, demonstrantque Episcopatus istius coarctati, nullo in nexu constituti limites, Dioeceseosque localia adjuncta. Quisquis enim e Regibus nostris inde a Colomano, dicatur fuisse Conditor, et fundator Episcopatus Nitriensis, prout Adversarii statuunt, explicari nusquam potest, quare Territorium ejus, sive Dioecesis, nullis certis limitibus circumscriptum, definitumque, et sine necessario nexu relictum fuerit? cur Nitriae Sedes Episcopi collocata, et eidem e Provincia Nitriensi, unde Episcopatum suam Denominationem accepisse Prajus contendit, vix aliquot, eaeque paucae Parochiae, et ne illae quidem, quae ipsam Urbem, Episcopi Sedem, cingebant, assignatae, ac Territorio, seu Dioecesi inclusae fuerint? cur remotus a Sede Episcopi Comitatus Trenchiniensis, per interjectas Strigoniensis Dioecesis Paraecias ita resectus, ut Episcopo de sua Sede Nitria ad eundem Comitatum nequidem aditus patuerit, nisi longiore tractu alienae, Strigoniensis videlicet Dioecesis Territorium pertranseun-

do, pro territorio, seu Dioecesi assignatus fuerit? an ita disjectam, et informem, nullis fere limitibus certis definitam Episcopem, a Regibus, quisquis ille fuisse statuatur, conditam, erectamque fuisse credamus? — Si seu utilitas, seu necessitas exigebat novum erigere Episcopatum in parte Regni, quae Cis-Danubiana dicitur, et quae tota, quanta est, in Sententia Adversariorum, ad Strigoniensem Dioecesim pertinebat: cur Nitriae, et non potius ea in parte Strigoniensis Dioecesis, quae ab Archi-Episcopi Sede, Strigonio longius remota, majorem sollicitudinem poscebat? cur non ibi, sed Nitriae erectus? — Si dicas ideo Nitriae erigendus censebatur, quia jam exstitit Collegiata Ecclesia. Audio: quaero tamen, cur, si haec fuit causa, cur illi pro territorio, seu Dioecesi non fuit datus Comitatus Nitriensis, intra quem conditus, et Nitriensis appellatus fuit? hoc rei ordo, hoc novi Episcopatus utilitas poposcisset; nec erat, quod impedire potuisset. Nam in Regis Conditoris Episcopatus Potestate situm fuit, Dioecesim, limitesque condito ab se Episcopatu designare. Strigoniensi vero Archi-Episcopo, e cujus Territorio, ut habet Adversariorum sententia, novus Episcopus institutus est, par fuit ratio, si partem suae Dioecesis per dismembrationem cedere debebat, cedere pro erigendo novo Episcopatu seu Nitriensem, seu Trenchiniensem Provinciam. Cur ergo novi Episcopatus Cathedra Nitriae collocata, et Denominatione Nitriensis Episcopatus eidem indita, praeter aliquot Parochias ex Nitriensi Provincia nihil, sed remotius dissitus Comitatus Trenchiniensis

pro Territorio, seu Dioecesi fuit assignatus? — Ideo, inquis, quia ex Archi-Diaconatu Trenchiniensi est formatus. Intellego. Sed si Archi-Diaconatus Trenchiniensis in Episcopem est conversus, quaero: cur non appellatus Trenchiniensis? cur Sedes Episcopi non est collocata in Regali Castro, Urbeque Trenchin, ubi Pastor in medio gregis curae suae commissi sedisset, eidem opportune magis invigilaturus? quare Nitriae, in Provincia, quae integra fere Strigoniensis Dioecesis est, sitae, ubi Episcopus a sua Dioecesi, ex Trenchiniensi Archi-Diaconatu, ut dicitur, formata, remotus, a grege suo sejunctus, Parochiis alienae Dioecesis undique circumseptus adeo fuit, ut cum Territorio sibi assignato in Comitatu Trenchiniensi nec immediatum nexum, nec aditum illuc haberet? Quis sibi persvadeat, Episcopatum, si de novo conditus fuit, mox in sui exordio ita, ut antiquus ejus, modernusque situs ostendit, conditum fuisse, condique potuisse? — Ab his Difficultatibus, quas Prajus Ganoczio, Episcopatus Nitriensis Erectionem S. Stephano asserenti, opposuit, sese nusquam expedient, qui post Legem Colomani Cap. 22. a quopiam Regum, Stephano II. Bela coeco, aut Geyza II. Episcopatum Nitriensem conditum fuisse propugnant.

In mea, quam defendo, sententia, hae Difficultates, in se gravissimae, evanescent; plana sunt omnia, facilemque habent explicatum. Nam si concedatur, Episcopatum Nitriensem non fuisse de novo conditum, aut instauratum, sed eundem, qua in parte ex vetusto Moraviensi superfuit, sub Praepo-

siti Vicaria administratione constitutum, absque nova Dotatione, limitumque Designatione, seu sub ipso Colomano, ut mihi videtur, seu sub Stephano II. aut Bela coeco, de quo non multum disputavero, per Electionem primos Antistites accepisse: ratio in propatulo est, cur primi Antistites ex Portione communium Capituli redditum, quam Praepositi accipiebant, sese sustentare debuerint, Paupertasque ista Episcopatus Nitriensis longiore tempore duraverit, donec Largitione variis temporibus, a pluribus Regibus facta, Dotatio ejusdem aliqua accepisset incrementa. — Inde etiam perspicuum est, cur Episcopatus iste ad angustos unius pene Comitatus Trenchiniensis limites restrictus fuerit; Sedes nihilominus Episcopi Nitriae, et ab hac Denominatio Episcopatus permanserit: quia videlicet vetustus Episcopatus per occupationem Hungarorum discerptus, magnamque stragem passus fuit, veteribus Incolis Slavis ad loca montosa retrusis, Hungaris loca plana insidentibus. Unde factum est, ut Episcopatus iste, pro veteribus Incolis Slavis institutus, adeo in limitibus suis restrictus, coarctatusque fuerit, ut unum pene Comitatum Trenchiniensem, et paucas dumtaxat Parochias in Comitatu Nitriensi retinuerit: cum Hungari postquam Fidem Christi amplexi fuerunt, non huic, Slavorum causa instituto Episcopatus, sed Strigoniensi Metropolitano sese subjecerint. Denominationem vero suam antiquam conservavit; quia, cum non fuerit de novo conditus, antiqui vero Episcopatus Sedes, et Cathedra fuerit Nitriae, atque per Capitulum, quod penes antiquam Cathedralem

**Ecclesiam B. Emerami M. sese conservaverat, ad veteris Dioecesis, in quantum Vicariali Jurisdictioni subjecta fuit, superstitem partem, primi Episcopi electi ex Praepositis fuerint, veterem etiam Denominationem, Sedemque Nitriae retinebant, retinereque debebant. Mansit proinde confusus, et irregularis limitum Dioeceseos status, qui penes novam erectionem Episcopatus locum haud habuisset. Huic primum per Augustam Dominam Mariam Theresiam occursum fuit, dum a Dioecesi Strigoniensi cum consensu summi Pontificis Pii VI. aliquot Paroecias abstraxit, et Episcopatus Nitriensi adjecit, atque per id nexum inter Paroecias Nitriensis Comitatus, cum illis, quae in Provincia Trenchiniensi sunt, restituit. Demum**

**Facile etiam explicatur, cur Capitulum Nitriense usque ad novissima tempora Praeposito caruerit. Praeposituram enim cum sua Dotatione, ut fingunt Adversarii, ad fundandam, instituendamque Episcopem esse conversam, praeterquam quod hoc absque injuria Regis, qui Episcopatum condidisse supponitur, dici nequeat, vel ideo etiam sustineri non potest, quod Praepositura a sua prima origine nullam a communi, ut dici solet, mensa Capituli usque Geyzam II. habuerit separatam foundationem, aut Dotationem, quae ad dotandam Episcopem potuisset converti. Sed quia praeter paucas villas, quas ex Donatione sanctissimi Regis Ladislai, et Geyzae I. Ecclesia Nitriensis acceperat, pro eo, ut Episcopi suam tueri dignitatem, seque sustentare potuissent, insufficientes, nulla Dotatione Episcopatus provisus**

fuit, dum Canonica Electione eidem Antistites fuit datus; ideo electo ad Dignitatem Episcopalem Praeposito, Portio illa reddituum, quam de communi Capituli mensa percipiebat, porro etiam, donec aliquae pro Episcopo Donationes accesserunt, tributa fuit; indeque factum est, ut Dignitas Praepositi cessaverit, eminentiore Episcopali eidem substituta: desideritque ea etiam de causa; quia Praepositurae annexus Vicariatus, electo Episcopo, amplius locum non habuit. Volebat quidem Geyza II. qui in suis Donationibus de anno. 1158 dicit Ecclesiam Praeposito adhuc carere, hunc iterum induci, assignata hunc in finem terra sua regali Koruss: major tamen erat Capituli paupertas, quam, ut penes hanc Donationem, ex qua sola Praepositus provideri non poterat, Praepositura in Capitulum revehi potuisset. Gloria haec relicta fuit Divae Mariae Theresiae, quae anno 1773 Dignitatem Praeposituralem in Capitulo Nitriensi fundavit; quod suo loco exponam. Videndum jam, quinam Praesules, quave serie Ecclesiam Nitriensem ad haec usque tempora rexerint, gubernaverintque.

---

# P A R S II.

## De Episcopis Nitriensibus.

---

### §. I.

**A**dgredior recensere Episcopos , qui longa serie Ecclesiam Nitriensem ad nostra tempora moderabantur. Inter hos

I. *S. Besztertus* , aliis *Bisztritus* , quem Samuel Timon Nitriensem Praepositum facit. Nicol. Schmidt, Ludovicus Du Mesnil, alii, eundem Episcopum Nitriensem vocant , a S. Rege Stephano nominatum. Fuisse Episcopum, ex Biographo S. Gerardi, et Thurocchio constat; quin meminerint, cujus Sedis Episcopus fuerit. Praeter Ecclesiam Nitriensem, quae ab antiquissimis temporibus illum , tamquam suum veneratur Antistitem, nulla est, quae Eum sibi vendicaret: ideo impetrare a me non potui, ut illustre hoc sacrum pignus ei subtraham. Dicitur circa annum 1034. postremis S. Stephani annis nominatus Episcopus, prius, quam ab Illo Episcopatus limitibus circumscriptus, et dotatus fuisset. Post mortem

Stephani evocatis contra Petrum Regem Andrea, et Leventha Regiis Principibus, qui in Polonia exulabant, ad capessendum Sceptrum; ut primum rumor in vulgus manavit, eos in patriam rediisse, seditio orta est. Ea inprimis hausti sunt Sacerdotes, et Episcopi, quos dudum Vatha seditionis Dux ad caedem destinavit. Hac occasione cum S. Gerardo, et Buldo Besztertus victima cecidit. De hac caede scribit Biographus S. Gerardi Cap. 20. „Eadem Die maxima Christianorum Strages facta est. Duo enim Episcopi (praeter Gerardum) multique viri religiosi interemti sunt, quorum numerum, et nomina sola Dei scientia collegit. Buldus enim Episcopus lapidibus obrutus, pari morte transiit ad gloriam, et Besztritus impiorum vulneribus confossus, tertio die mi-gravit a saeculo. Benetha vero Episcopus, Ducis intercessione, ex eorum manibus liberatus.“ Similia habet Thuroczius chron. P. II. Cap. 40. „Buldi quoque Episcopus lapidibus obrutus transiit ad gloriam. Besztritus autem et Benetha, quum transiissent Danubium ad Endre, et Levente, haeretici (Idololatrae) qui in ulteriore littore erant, Besztritum Episcopum vulnerarunt, qui tertia die postmodum mortuus est. Endre autem Dux interim superveniens, Benetham Episcopum a manibus eorum liberavit.“ Benetha Veszprimiensis, Buldus Agriensis Episcopus fuisse dicitur. Besztritum ex antiquissima Traditione Ecclesia Nitriensis pro suo habet: ideo in serie Episcoporum Nitriensium per me primo loco collocatus. A morte illius, Episcopatus Nitriensis, sine Dotatione relictus, in suam Praeposituram majorem, et Vica-

riatum abiit. Qua de re Ludovicus Du Mesnil ita scribit: „A S. Rege Stephano Nitriensem Episcopatum sive de novo fundatum, sive restitutum, atque primum Praesulem fuisse Besztertum, quem Christi causa trucidatum supra narravimus, plerique scriptores tradunt. Verum et illud uno ore fatentur, et veterum chartarum monumenta evincunt, secundum Beszterti mortem, nullum Antistitem Nitriensi Episcopatu imponitum; Dignitatemque Episcopalem in Praeposituram migrasse Lex Colomani Regis, corpori Juris inserta, ad annum Centesimum tertium supra millesimum id aperte loquitur: (Cap. 22) Hanc vero imminutionem Dignitatis ea de causa factam fuisse opinantur, quod postremis S. Stephani annis Episcopatus Nitriensis sit institutus, et obortis turbis sub Petro Rege, fortunae sustentando Episcopo pares interciderint.“

## §. 2.

II. *Nicolaus I.* Post Legem Colomani, Cap. 22. quae Praepositurae Majoris Nitriae meminit, Nicolaus occurrit primus Episcopus Nitriae, quin vola, vel vestigium instaurati Episcopatus uspiam appareat, detegique valeat; nominatus in publico Documento, videlicet, in Feliciani Strigoniensis Archiepiscopi adjudicatoriis, ut vocamus, de anno 1133 superius (§. 7. P. I. Sect. III.) exscriptis, sub Rege Bela caeco comparet. Inde tamen deduci non potest, hoc anno illum Ecclesiae Nitriensi praesesse caspisse.

Quo tempore praeesse caeperit, aut desierit? incertum est.

### §. 3.

III. *Saul.* Ecclesiae Nitriensi per RR. Fejér Cod. Dipl. Ind, Episcopus datus ad annum 1137, cui occasionem praebuit Documentum, quod ex Admontensi Bibliotheca Bernardus Pezsius in suo Cod. Dipl. produxit, continens foundationem Monasterii S. Petri de Chatar in Comitatu Zaladiensi, per Martinum Comitem factam, quod ita incipit:

„In nomine sanctae, et individuae Trinitatis. Notum sit omnibus sanctae Dei Ecclesiae Cultoribus, tam Clericis, quam laicis, quod Rex Bela Inclytus, in Conventu Strigoniensi, ubi filio suo Ladislao, communi Regni Consilio, Boznensem Ducatum dedit, in insula Abbatiae Monialium, ubi Ecclesia S. Mariae, Archi-Episcopo Feliciano praesidente, et caeteris Episcopis praesentibus, scilicet: Machario, Saulo, Martyrio, Petro, Waltero, Zachaeo, Macelino; et Curiali Comite Franzelo; Mathaeo Comite, Acus, Dominico, Philippo Teutonico, Dyonisio, Misca, Nicolao, Anprud, Georgio Calaensi, et advocatis fratribus cum Patribus, quorum omnem hereditatem Martinus Comes diviserat, praesente germano suo, Micusa Comite, et Alpreto Comite, etiam Amando, adoptivo filio suo, Mercurio, Aprado, Rothardo, Johanne. His nihil contradicentibus, Bela Rex concessit Martino Comiti ad placitum suum ordinare. etc.“

Ex hoc Documento, cum praeter Sauli, caeterorum annotatorum Episcoporum Sedes notae essent, videtur Vir RR. deduxisse, Saulum, quem Katona in sua hist. crit. incertae Sedis Episcopum vocat, Episcopum Nitriensem, Nicolai successorem fuisse. Si alia non habuit motiva, inde quidem Saulum Nitriensem Episcopum fuisse, eo minus mihi persvadeo, quod Paulum in Saulum errore quopiam mutatum putem. Nam in Diplomate anni 1138, quo Bela II. Praeposituram Dómóssiensem communiuit, quod incipit: „In nomine S. Trinitatis, et individuae Unitatis. Regnante Domino nostro Jesu Christo, anno autem gloriosissimae Incarnationis ejus 1138. Indictione I. Epacta XVIII. regnante vero Serenissimo, et victoriosissimo Rege Bela II. bonae memoriae Almi Ducis filio, cum Helena Regina Clementissima, anno autem Regni septimo etc. — In conclusione haec habentur: Ex ore Belae Regis, et Helenae Reginae, et omnium Episcoporum, scilicet Feliciani Archi-Episcopi Strigoniensis, Pauli Episcopi Jaurinensis, Petri Episcopi Veszprimiensis, Macharii Episcopi Quinque-Ecclesiensis, Marcellini Episcopi Vaciensis, Beskei Episcopi Tsanadiensis, Walterii Episcopi Varadinensis:“ Eorumdem ut apparet, Episcoporum nomina, cum indicatione Sedium, quibus praererant, occurrunt, sicut in priore Documento; sed loco Sauli habetur Paulus, non Nitriensis, verum Jaurinensis Episcopus. Dubium proinde manet, fueritne Saulus Episcopus Nitriensis, et a Paulo Jaurinensi diversus. Certiora dabimus de Joanne,

## §. 4.

**IV. Joannes I. a nemine illorum, qui Catalogos Episcoporum Nitriensium conscripserunt, commemoratus. Quo anno Episcopalem Sedem adierit, non constat; at vero eundem anno 1156, duobus annis prius, quam per Geyzam II. Episcopo, et Capitulo Nitriensi libertates concessae fuerant, per privilegiales anni 1158 supra (Sect. III. §. 7.) descriptas, ubi dicitur Ecclesia Nitriensis adhuc carere Praeposito, Infulas Nitrienses gestasse, docent Litterae, occasione Consecrationis Ecclesiae S. Martini in Parochia Bors, (Bars) villa Bratka, Consecratori Martyrio Archi-Episcopo Strigoniensi datae, quarum Tenor est;**

„In nomine S. Trinitatis, et individuae Unitatis.  
 „Notum sit omnibus Christianis tam modernis, quam  
 „posteris, quia dum Venerabilis Pontifex Martyrius  
 „Strigoniensis Archi-Episcopus ad Consecrandam  
 „Ecclesiam S. Martini in Parochia Bors, ab Eusidino  
 „ejusdem Ecclesie constructore rogatus venisset, sed  
 „ante Consecrationem monens Euxidinum, quod  
 „quid Ecclesie praedictae disponderetur; omnia presentans  
 „coram ipso, et suis collateralibus scriberetur,  
 „qui hoc modo concessit:

„Ego Eusidinus ob remedium anime mee haec  
 „dono Ecclesiae altari S. Crucis: omnia indumenta  
 „cum cruce deaurata Altari S. Martini, et Altari S.  
 „Stephani Regis; similiter unicuique Altari Clericum  
 „unum, unam Casulam cum optimo Aurifusio, et  
 „gemmis ornatam, planarium unum deauratum, Mis-

„sale unum, nocturnale unum, psalterium unum,  
 „graduale unum; pulsatorem unum nomine Kusid,  
 „aratorem unum nomine Methgan cum uxore, et  
 „duobus filiis, et filia; tam uxor, et filia layet in-  
 „dumenta Ecclesie; pecora sedecim, quorum octo  
 „boves; oves quinquaginta; terram, quam pariter  
 „propinguis meis caro mercatus sum, portio Asoska,  
 „dimidiam partem do Ecclesie, ut Sacerdos ejusdem  
 „Ecclesie cum Clericis, et pulsatoribus eam possi-  
 „deat; dimidiam vero filiis meis relinquo.

„Terre autem prima meta est lapidea, sita se-  
 „cus Cupuska, hinc extendit via usque Pristna flu-  
 „vium, ubi secus littus site duo arbores pirus, et  
 „populus; deinde per vallem juxta terram Manen-  
 „sium, ubi arbores tUlmi ibi ad sinistram ville Vitk,  
 „ad dextram Ecclesie usque metas ville Bosac, hinc  
 „juxta O fluvio Cupam, ubi est meta lapidea; hec  
 „omnia nec Episcopus, nec aliquis minor, preter  
 „Sacerdotem Ecclesie possideat, sed sub protectione  
 „filiorum meorum.

„Fuit idem prefatus Episcopus diligenter scisci-  
 „tans, ubi, si quis aliquid ejus dispositioni contra-  
 „dicere conaretur, nisi in ipsa dedicationis die, vel  
 „in tribus subsequentiis diebus, causam indicaret,  
 „nihil in posterum refragari presumeret; sed tamen  
 „nemo aliquid conquestus est.

„Omni etenim rite Consecratione adimpleta, per  
 „petitionem Euxidini, predictus Archi-Episcopus ei-  
 „dem Ecclesie tres villas in Parochiam concessit; vil-  
 „lam Bratka, in qua ipsa Ecclesia est sita, villam

„Leva, cum conventu hospitem ibidem comoran-  
„tium, et villam Vith.

„Verum tamen, quia plerumque quevis magna  
„dicta, vel facta, a subsequentium memoria deci-  
„dunt, ejusdem Eusidini rogatu, placuit Venerabili  
„Archi-Episcopo, ut hujusmodi sue, et Eusidini  
„Confessionis statum, ob multimodas detrahentium,  
„vel Calumniantium versutias, proprio sigillo con-  
„firmatum posteriorum memorie irrefragabiliter ob-  
„servandum relinqueret.

„Hujus rei testes sunt, qui in Christi nomine  
„ad eandem convenerant consecrationem: Vlkov S.  
„Episcopus, Johannes Nitriensis Episcopus,  
„Belos Palatinus Comes, Vikanus Borsensis Archi-  
„Diaconus, Gunfridus Canonicus, Bogdan Custos,  
„Betleen Bors serviens Regis, Johannes Frater Ko-  
„thardi; Soh, Zah, ceteri quam plures. Scripta  
„autem est hec cartula, et signata Anno ab Incarna-  
„tione Domini MC sexto Epacta XXVI, Indictione  
„III. concurrente VII. regnante gloriosissimo Rege  
„Geyza secundo, praenotatoque Martyrio Primatum  
„Archi-Episcopatus feliciter obtinente, predicto Be-  
„los Palatino existente.

„Quicumque autem filiorum meorum, vel pro-  
„pinguorum, seu quorumcunque aliorum, doni hu-  
„jus aliquid extrahere conaverit, perpetuo anathe-  
„mati subjaceat, pius, et misericors Dominus omni-  
„potens, et S. Virgo Maria, et S. Martinus, in cujus  
„nominis honorem hec dedicata est Ecclesia, et o-  
„mnes Sancti, et electi Dei contra eum agant, et a

„nostre dignitatis precepto rite excommunicatus maneat perpetuus, nisi forte emendaverit factum.“

In Tabulario Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis existit autographum Litterarum istarum a Ludovico I. anno 1347 transumptarum. Errore scribentis in dato exmissa est littera L. nam et notae Chronologicae, et Regimen Geyzae II. indicant annum MCL sextum.

### §. 5.

**V. Thomas I.** quo Numerum Episcoporum Nitriensium primus, quod sciam, auxit RR. Fejér in Cod. Dipl. provocando ad Diploma Stephani III. R. de anno 1165, quo Is Monasterio Almi Ducis S. Margarethae de Meszes tributum de Salibus confert. Illud vero hujus est Tenoris:

„Notum sit omnibus Principibus sub Ditione Regis Hungariae existentibus tam modernis, quam posteris: quod ego Stephanus Dei gratia sublimis, ac triumphator Hungarorum Rex, Geyzae illustrissimi Regis filius, paterni Regni gubernacula Deo annuente obtinens, ad remedium animae Patris mei, meaeque Saluti, et fratrum meorum providens, Monasterio Almi Ducis, in honorem S. Margarethae in Meches constructo, hanc helemosynam institui: ut quicumque deferentes sal per portam Meches transirent, de singulis curribus de uno salinorum, ad regiam partem pertinentium, unum lapidem salis praedicto Monasterio darent. Si vero contigerit, quod aliquando pro salibus praedictis denarios in

„partem Regis acceperint, de singulis curribus unius  
 „lapidis pretium, de parte Regis praedicto Monas-  
 „rio semper solvatur. Factum est autem hoc anno  
 „Dominicae Incarnationis MCLXV. anno Regni mei  
 „IV. consensu cunctorum Principum meorum, tam  
 „Episcoporum, quam Comitum; videlicet Lucae  
 „Strigoniensis Archi-Episcopi, Macharii Episcopi,  
 „Thomae Episcopi, Joannis electi; Ompud Palatini  
 „Comitis, Fulconis Comitis, Lucae Comitis, Scesu  
 „Comitis, Ananiae Comitis, Michud Comitis Praeco-  
 „num, Esau Comitis. Quod per Bicenium Notarium  
 „nostrum scribi in charta praesenti, et per Sudam  
 „Magistrum Capellae nostrae sigillo Regiae Majestatis  
 „nostrae muniri praecepimus. Si quis autem in po-  
 „sterum hoc regale beneficium a Monasterio praedi-  
 „cto retrahere voluerit, non aliter, quam hostem et  
 „dissipatorem rerum Ecclesiae, illum anathematisa-  
 „mus.“ Ex hoc Diplomate quidem patet Thomam  
 Sedis cujuscumque Episcopum fuisse; sed Nitriensem  
 Episcopum fuisse non patet. Videtur hic Thomas  
 idem esse, qui Magister Capellae nominatur in Pri-  
 vilegialibus Stephani Regis, Belae II. Regis filii, qui-  
 bus Bernardo Episcopo, et Ecclesiae Zagrabiensi,  
 terram, et sylvam Dumbruoensem restitutam confir-  
 mavit, et Privilegium inde fieri jussit coram Princi-  
 pibus Regni Michone Bachiensi Archi-Episcopo, Ni-  
 colao Garadien (Varad) Episcopo, Stephano Sunadi  
 (Csanad) Episcopo electo; Bela Bano ejus causae Ju-  
 dice, Thoma Palatino Comite, Brocha Curiali Co-  
 mite, Boricio Bano, Adriano Comite, Henrico Bo-  
 drugiensis Comite, Eusa Sunadiensi Comite. Anno

**Dominicae Incarnationis MCLXIII, Indictione XI. E-**  
**pacta XIV. Stephano piissimo Rege Hungariae, Be-**  
**lae II. Regis filio. Primo anno Regni sui, Hugone**  
**Notario, Thoma Magistro Capellae, Strigonii hoc**  
**privilegium factum est. — Thomas proinde, quem**  
**Nitriensibus Episcopis RR. Fejér adnumeravit, nisi**  
**alia suppetant, seriem Episcoporum Nitriensium in-**  
**gredi non potest.**

### §. 6.

**VI. Everardus, seu Eduardus. Hunc, a restau-**  
**rata Episcopo Nitriensi, primum fuisse volunt Epi-**  
**scopum, qui Geyzam II. Conditorem ejusdem, aut**  
**restauratorem faciunt, Mossóczii Auctoritate decepti.**  
**Quam recte? series Antecessorum ostendit. Ante**  
**annum 1168 Episcopatum vix adeptus. Primus Anti-**  
**stitum Nitriensium in Diplomatibus anno 1169. 1183.**  
**1195. 1197. legitur. Péterffy Conc. P. I. Eum cum**  
**caeteris Praesulibus Synodo Provinciali a Luca Bán-**  
**fy Archi-Episcopo Strigoniensi indictae, interfuisse**  
**scribit. A Bela III. anno 1183 tertiam partem Tributi**  
**de foro Nitriensi impetravit, (§. 7. P. I. Sec. III.) et**  
**ab Innocentio P. Confirmationem Jurium Ecclesiae**  
**suae his Litteris obtinuit:**

„Innocentius III. P. Eduardo Nitriensi Episcopo  
 — Justis petentium etc. — statuimus, ut quascunque  
 Possessiones, quaecunque Bona Ecclesiae Nitriensis  
 in praesentiarum juste, et canonice possides, aut in  
 futurum concessione Pontificum, largitione Regum,  
 aut Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis

modis , praestante Domino poteris adipisci , firma tibi , et per te Ecclesiae tuae illibata permaneant. Praedia quoque ad Ecclesiam tuam Dioecesana lege spectantia , quae propriis laboribus excolis , a solutione decimarum eximimus ; nec aliquis de laboribus tuis ausu temerario decimas exigere , vel extorquere praesumat. Nulli ergo etc. — — Datum Romae apud S. Petrum Kal. Junii 1198.“

Num ultra hunc annum vitam , regimenque produxerit? non habeo , quod dicam. In publicis actis , et Diplomatum ultra hunc annum non occurrit.

### §. 7.

VII. *Joannes II.* Quiquid Episcoporum Nitriensium Catalogos scripserunt , Joannem , hujus nominis primum vocant , ignorantes homonymum Episcopum , supra in serie positum , praecessisse. Quo anno Regimen Ecclesiae Nitriensis sit auspicatus , exploratum non est. Anno 1204 non quidem expresso nomine , sed ut moris fuit , initiali Littera J. cum caeteris Episcopis suffraganeis Metropolitanae Provinciae Strigoniensis , Postulationi Canonice Strigoniensium , qua , mortuo Ugrino Archi-Episcopo , Joannem Colocensem , ad primam Ecclesiae hungaricae Sedem transferri postulabant , contradixit ; cujus rei meminit Innocentius III. P. in Litteris ad Capitulum Strigoniense Pontificatus sui anno 7mo „Postulationi , ait , quam celebrastis de Venerabili Fratrem nostro J. Colocensi Archi-Episcopo ad Strigo-

niensem Metropolim transferendo, Venerabiles Fratres Nostri, ejusdem Metropolis suffraganei, videlicet: C. Quinque-Ecclesiensis, B. Vaciensis, R. Veszprimiensis, et J. Nitriensis 'Episcopi penitus contradicunt, per suas nobis litteras intimantes, quod V. (Vgrino) bonae memoriae Archi-Episcopo vestro, viam universae Carnis ingresso, eis inconsultis, vos habito ad invicem Consilio diligenti, quosdam de Con-Canonicis vestris ad carissimi in Christo filii Nostri H. (Heimerici) Ungariae Regis illustris praesentiam destinastis, et quem vobis praefici volebatis, nominatenus expressistis.“ — In aliis quoque Pontificis litteris de 6ta Oct. 1205. Pontif. anno 8vo fit mentio J. Episcopi Nitriensis; videlicet: Illum, nec alium praeter illum de suffraganeis Episcopis, Postulationi Calani Quinque-Ecclesiensis, loco prius postulati, ad Metropolim Strigoniensem transferendi, consensisse. In Confirmationalibus anno 1208. Andreae II. R. quibus Abbatia S. Jacobi de Lebeny Ord. S. Benedicti a Čephano de Hedervara Regni Palatino fundata, confirmatur, legitur inter Episcopos subscriptus; prout in pluribus aliis subsequorum annorum usque annum 1223; hoc enim anno Episcopi hungariae V. (Vgrinus) Coloczensis Ecclesiae Minister humilis; D. (Desiderius) Cenadiensis; R. (Robertus) Veszprimiensis; S. (Stephanus) Zagrabiensis; T. (Thomas) Agriensis; B. (Bartholomaeus) Quinque-Ecclesiensis; A. (Alexander) Varadinensis; B. (Briccius) Vaciensis; J. (Joannes) Nitriensis Episcopi referunt Honorio III. P. a Bela juniore Rege Conjugem Reginam repudiatam esse. Cum anno sequenti jam

nactus fuerit Successorem, eodem hoc anno 1223 eum e vivis excessisse existimandum est.

Carolus Péterffy C. H. P. I. interserendum putat Vilhelmum Episcopum Nitriensem; cujus nomen, ait ille, circa annum 1209. a nobis in Diplomate reper- tum est; quod tamen non produxit, nec indicavit, quali in merito fuerit datum. Si assertum cum illius aetatis Diplomatum conferatur, videtur fuisse me- moria lapsus, et Vilhelmum fecisse Episcopum Ni- triensem, qui in Diplomatum anno 1208. 1219. no- minatur Episcopus Transylvaniensis.

### §. 8.

VIII. *Vincentius* unice notus ex Decreto Andreae II. Regis, de anno 1222. quod Corpori Juris hunga- rici, Collectioni quippe Mossócianae, insertum est; ubi inter reliquos Episcopos comparet Vincentius Ni- triensis. Verum: nec in authentico Transumpto Bullae aureae Andreae II. R. quod in Primatiali Archivo cum tribus pendentibus sigillis, quarto lacerato, existit; per RR. Fejér in Cod. Dipl. productum, occurrit Vin- centius Nitriensis Episcopus; nec in altero ejusdem Regis de eodem anno Diplomate, quo Jura, et li- bertates Cleri confirmantur. Sed insuper etiam, ut diximus, Joannes Episcopus Nitriensis vitam pro- duxit ad annum 1223. Ideo Vincentius per Mossóczi- um Decreto Andreae adjectus, inter Episcopos Nitri- enses locum habere nequit.

## §. 9.

**IX. *Jacobus I.* anno 1223. aut sub initium 1224. Nitriensi Ecclesiae Antistes datus, inter primas curas habuit, in honorem S. Benedicti Eremitae et Martyris eo loco, ubi trucidatus fuerat, Szkalka vocitato, Abbatiam fundare: de qua mox plura dicemus. Anno 1224 et subseque usque annum 1240. Diplomatum, publicisque actis insertus legitur. Quantum Andreae II. R. emeruerit fiduciam, quamve versatus fuerit in publicis negotiis dextre tractandis, inde perspicuum est, quod nomine Regis ad Pacem, hunc inter, et Leopoldum Ducem Austriae conciliandam missus, eandem feliciter confecerit, dato publico Documento sub hac forma:**

„Haec est forma Pacis inter Regem Hungariae, et Ducem Austriae, et Styriae renovata per D. Jacobum Nythriensem Episcopum. Quod advocatie, quas advocati dicebant se non injuriose habere, sed Donatione Dominorum terre, sine fraude sint remisse. Terre vero etc. — super his data est facultas Domino C. (Conrado) Portuensi, et sancte Rufine Episcopo, Apost. Sedis Legato, excomunicandi alterutram partem, que conventioni, in hac carta scripte non steterit. Dux autem erit immunis ab excommunicatione super tribus millibus marcarum per se, et fidejussorem jam solutis. Acta sunt haec apud Gracz per Dominum Nythriensem Episcopum vice Regis, et Duce presente. VIII. Idus Junii Anno Domini MCCXXV. Indictione XIII.“

Pray in Spec. Hier. P. I. refert: in quodam Missali saeculi 13tiii manu coeva de Jacobo Episcopo et Ecclesia Nitriensi haec adnotata contineri: „Anno ab Incarnatione Domini MCCXXX. VIII. Kal. Decembris consecrata est haec Ecclesia in honore B. M. V. a Venerabili Jacobo Nitriensi Episcopo, in qua continentur hae Reliquiae, de S. Maria Virgine, de S. Petro Apostolo, de S. Georgio M. de S. Gallo Confessore, de S. Henrico Confessore, de S. Gotthardo, de S. Margaretha Virgine. In altari vero superiori, quod Die sequenti in honore B. Georgii M. consecratum est, hae habentur reliquiae. De ligno S. Crucis, de S. Johanne Apostolo et Evangelista, de S. Georgio M. de S. Laurentio M. de S. Martino Episcopo et Confessore.“ — Quaenam illa Ecclesia Nitriensis fuerit, adnotatum non est. Ecclesia Cathedralis, quae adhuc anno 828 in honorem S. Emerami M. ab Juvaviensi Episcopo Adalramo consecrata fuit, esse nusquam potuit; quia hanc honori S. Emerami M. dicatam in Castro suo Nitra reperit S. Rex Stephanus, eoque regnante in Basilica S. Emerami M. sepulti sunt SS. Zoërdardus et Benedictus Teste Mauro coevo: illa titulum suum, et Patronum in hanc Diem retinuit. Sed exstitit extra Castrum Nitra hoc tempore Ecclesia, et Monasterium B. M. V. Ordinis FF. minorum; credibile est hanc Ecclesiam, quae in Belae IV. Privilegialibus Civitati Nitriensi concessa anno 1248 memoratur, per Jacobum Episcopum fuisse consecratam. Gregorius P. anno 1227 consecrationem Ecclesiae S. Mariae de Zala, quae ad Abbatiam S. Martini pertinebat, postquam reaedificata,

et ampliata fuisset, erga Petitionem Abbatis, et Conventus S. Martini in Monte Pannoniae, Episcopis Vacienti, et Nitriensi Jacobo ita commisit, ut si ambo interesse non possent, alteruter id exequatur, Litteris Laterani 5ta Mensis Junii Pontificatus anno primo datis. — In Juramento, quo Archi-Episcopi, et Episcopi Hungariae se obligarunt ad Capitula Compositionis inter Jacobum Praenestinum Sedis Apostolicae Legatum, et Dominum Andream Regem Hungariae factae, anno 1234. 16to Kal. Febr. Indict. 6ta Jacobus noster subscriptus legitur; prout etiam in Clausula Donationalium, quibus Andreas Rex filii sui Colomani Dapifero ob fidem in Gallicia praesertim eidem filio suo exhibitam, Bona confert anno 1234 Regni 31mo. Idem Episcopus Jacobus anno 1231 terram ad unum aratrum cum faeneto emit in villa Emóke, super qua Emtione, et venditione Testimoniales expedivit Robertus Archi-Episcopus Strigoniensis. Et anno 1239 perhibentibus adjudicatoriis Nicolai Vice-Judicis aulae Regrae revindicavit terram trium aratrorum in villa Wichap, quae per Antecessorem Joannem Episcopum fuerat emta. Fesler in sua hist. T. 2. Jacobum inter Episcopos, in pugna cum Tartaris ad Sajonem fluvium sub Bela IV. Rege caesum fuisse scribit; Illius proinde Regimen Ecclesiae Nitriensis ad annum 1241 producendum esset.

---

## §. 10.

De Abbazia S. Benedicti de Rupibus,  
seu Szkalka.

Hanc Abbatiam, ut attactum est, fundavit Jacobus Episcopus Nitriensis, statim initio sui Episcopatus in loco, ubi Benedictus Eremita trucidatus, et in Vagum flumen dejectus fuit, Szkalka, quod rupem significat, vocitato, ad villam Episcopalem Szkala dictam, olim pertinente, in Provincia Trenchiniensi sitam, ubi S. Benedictus a morte Magistri sui S. Zoërrardi inter sylvas in spelaeo vitam eremiticam duxit, a Latronibus trucidatus, et in Vagum praecipitatus (P. I. Sect. III. §. 6.) In honorem hujus S. Eremitae pro viris Ordinis S. Benedicti Abbazia fundata fuit, prout Litterae fundationales perhibent, tenoris sequentis :

„Jacobus Dei gratia Nitriensis Episcopus omnibus, ad quos Litterae praesentes pervenerint, orationes in Domino. Notum facimus Vestrae Dilectioni, quod ad honorem Dei omnipotentis, et B. Benedicti Martyris, et in spelunca, quae vulgo Szkalka dicitur, ubi etiam sanguis ejusdem Martyris usque in hodiernum diem perfusus in pariete speluncae esse dignoscitur, Ecclesiam ad titulum B. Benedicti, et omnium Sanctorum aedificatam, habito consilio, et consensu fratrum nostrorum, Abbatiam secundum regulam B. Benedicti constituimus, et ad sustentationem fratrum in eadem Ecclesia Domino servientium, terram Viead (hodie Ujesd) o-

„lim ad Mogos pertinentem, quam idem dudum do-  
 „navit Ecclesiae Nitriensi, cum septem bobus, duo-  
 „bus servis, nomine Martino, et Kambocz, duas vi-  
 „neas Nitrae, cum duobus vinitoribus, filiis vinito-  
 „ris Mikov, et Jovachim; quadraginta oves cum to-  
 „tidem porcis, centum capetias, videlicet quinquage-  
 „simam decimarum nostrarum, cum Mansu, quem  
 „in villa Szkala tenuit Wikozaus, nunc Monachus,  
 „quum esset parochialis Sacerdos, eidem contulimus  
 „in perpetuum possidenda. Insuper Elemosynas ei-  
 „dem facientibus auctoritate Dei Omnipotentis, et  
 „nostra, quadraginta dies de injuncta poenitentia mi-  
 „sericorditer duximus relaxandum. Fratribus etiam  
 „ejusdem loci, ob aedificationem proximorum, offi-  
 „cium Praedicationis, et Confessionem recipiendi in  
 „nostra Provincia comisimus exercendum. Ut autem  
 „haec a Nobis facta donatio ita in posterum permane-  
 „ret, quod expressius ad notitiam perveniret singu-  
 „lorum, eam chartis fecimus annotari, et sigilli No-  
 „stri, ac Capituli Nitriensis munimine roborari. An-  
 „ab Incarnatione Domini Millesimo Ducentesimo vi-  
 „gesimo, quarto.“

Pertenues Abbatiae redditus adauxit Rex Bela Do-  
 nationalibus suis de anno 1238.

„Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croa-  
 „tiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Cumaniaeque Rex.  
 „Omnibus Christi fidelibus praesentem paginam in-  
 „specturis Salutem in omnium Salvatore. Ad uni-  
 „versorum tam moderuorum, quam posterorum no-  
 „titiam harum serie volumus pervenire, quod, quum  
 „nos ad locum, qui Szkalka dicitur, in Comitatu

„Trenchin, ubi S. Benedictus Martyr eremiticam vi-  
 „tam Deo gessit, divertissemus; cernentes Fratres  
 „loci illius in Dei servitio permanentes, nimiam pati  
 „penuriam, ac indigentiam, pro animi affectu miseri-  
 „corditer moti, volentes eorum paupertati subveni-  
 „re, ut Divinae contemplationi desudantes, tempo-  
 „ralibus beneficiis sustententur; mediam partem cu-  
 „jusdam terrae, nomine Geszte ad Castrum de Trin-  
 „chin pertinentis, quae certis metis fuerat divisa, et  
 „in parte Castrensibus de Trinchin, de villa Berk,  
 „et in parte hospitibus ejusdem Castri, de villa Geszte  
 „assignata, contulimus saepedictis fratribus de Szkal-  
 „ka libere, et perpetuo possidendam, sub eisdem  
 „metis, cum quibus erat divisa, et hospitibus ante-  
 „dictis assignata. Ut igitur hujus nostrae Collationis  
 „beneficium temporum progressu perpetuum firmita-  
 „tis robur obtineat, praesentem paginam duplicis si-  
 „gilli nostri munimine jussimus roborari. Datum  
 „anno gratiae Millesimo ducentesimo tricesimo octa-  
 „vo. Nono Kalendas Julii, Regni autem nostri anno  
 „tertio.“

Fundationales Jacobi Episcopi, Pascasius anno  
 1297 confirmavit hac forma:

„Pascasius Dei gratia Episcopus Nitriensis, uni-  
 „versis Christi fidelibus, quibus praesentes osten-  
 „duntur, cum paterna benignitate salutem. Ad uni-  
 „versorum notitiam tenore praesentium litterarum  
 „volumus pervenire; quod religiosi, et Deo amabi-  
 „les viri, Abbas videlicet Paulus, et totus Conven-  
 „tus Caenobii S. Benedicti M. de Szkaika ad nostram  
 „accedentes praesentiam, dilecti in Christo nostri

„filii, supplicantes nobis humiliter et devote, exhi-  
 „buerunt nobis Privilegium Ven. Patris Domini Jaco-  
 „bi, Praedecessoris nostri Episcopi Nitriensis, felicitis,  
 „et comendabilis memoriae, petentes a Nobis dili-  
 „genter, et devote, ut ipsum Privilegium nostris  
 „litteris, Paternitatis munificentia confirmare; digna-  
 „remur; cujus Tenor talis est: Jacobus etc. (ut su-  
 „pra) Idem Venerabilis Pater Dominus Jacobus Epi-  
 „scopus Nitriensis piae memoriae, in concambium,  
 „seu commutationem ipsorum quinquagesimarum De-  
 „cimarum suarum, quam eis secundum formam prae-  
 „habitam dedisse, donasse, ac contulisse dignosci-  
 „tur, eisdem Abbati, et Conventui, et per eos Ec-  
 „clesiae eorundem tamquam Jus proprium habendas,  
 „recipiendas, et perpetuo possidendas statuisset; pe-  
 „tentes a nobis cum instantia, ut et ordinationem  
 „hujusmodi, et concambium ratificantes, pariter di-  
 „gnaremur confirmare. Nos igitur justis petitionibus  
 „eorundem Abbatis, et Conventus propter suarum  
 „devotionum meritum, donationi, collationi, seu  
 „traditioni, nec non con- cambio, hujusmodi per-  
 „mutationi consensum praebentes, et assensum, Pa-  
 „terno cum favore, ipsum Privilegium Venerabilis  
 „Patris Domini Jacobi Nitriensis Episcopi, non cancel-  
 „latum, non abrasum, nec in aliqua sui parte vitia-  
 „tum, sed verum, et legitimum reperientes, de ver-  
 „bo ad verbum nostris litteris inseri facientes, edo-  
 „cti, et experti, per veridicos viros, et antiquos ido-  
 „neos Jobbagationes Ecclesiae nostrae, et alios quam  
 „plurimos, ipsum Concambium verum esse scientes,  
 „et non fictum, utraque duximus confirmanda, sigilli

„nostri munimine reparando. Datum anno Millesimo  
 „Ducentesimo nonagesimo septimo. Cursus autem  
 „metarum ipsius possessionis Vyesd, prout fideles  
 „Nostri, videlicet Ecclesiae Nitriensis, ad notitiam  
 „perpetuam legitima reambulatione facta Nobis re-  
 „scripsissent, hoc ordine distinguuntur. Prima meta  
 „incipit a parte Meridionali, a fluvio Vagh continua  
 „metis villae Weselo, et currit ad magnam viam;  
 „juxta est meta lapidea, quae separat ipsam a villa  
 „Vjfalva, et ibi transiens ipsam viam currit supra  
 „versus septemtrionem, ad unam metam arboream,  
 „vulgo Szilfa vocatam; deinde cadit in unam viam,  
 „pergitque ad unum locum Mohin potoka, ubi a me-  
 „tis dictae villae Vjfalva separatur; deinde currit ad  
 „monticulum Kelemenhalma vocatum ad duas metas  
 „terreas; posthaec flectitur versus orientem, conti-  
 „guando metis villae Kucha, jungitur metis villae  
 „Kluchocho, et ibi separatur a metis villarum Sza-  
 „cha, et Klucsov; ab hinc flectitur iterum versus  
 „meridiem, et fluvium Vagh, et venit ad fontem Be-  
 „cho - Kútya dictum, ad unam metam terream; de-  
 „inde descendit ad locum Rakatya mochar dictum,  
 „et hinc contiguando metas villae Klucsov, et ibi  
 „separatur a metis villarum per supremi-  
 „tatem montis, et arbores magnas quercinas pro metis positas,  
 „descenditque ad campum, et ibi transiens magnam  
 „viam, juxta quam est una meta terrea nova, vadit-  
 „que directe versus dictum fluvium Vagh per nemora  
 „ad arbores salicum magnas, et ibi transiens mor-  
 „tuum Vagh, cadit iterum ad magnum fluvium Vagh,  
 „et sic terminantur.“

Inter varia fata perstitit haec Abbatia usque Cladem illam Hungariae fatalem ad Mohács. Et quamvis dispersis Monachis Stephanus Podmaniczky Episcopus Nitriensis anno 1528. a Ferdinando I. Jus Patronatus conferendi hanc Abbatiam impetraverit; impedire tamen non potuit, ne bona illius, jam per Zápolyanos, jam per Caesareos diripiantur, applicita demum in Stipendium Militis ad Castrum Trenchiense; ideo Successor Podmaniczkyi in Episcopatu Franciscus Thurzó Jus Patronatus sibi, Successoribusque suis confirmari petiit, et a Rege Ferdinando Litteris his obtinuit:

„Nos Ferdinandus etc. memoriae comendamus  
 „etc. — quod pro parte, et in persona fidelis nostri  
 „Reverendi Francisci Thurzó Episcopi Nitriensis, et  
 „Camerae nostrae hungaricae Praefecti exhibitae sint,  
 „et productae coram nobis quaedam litterae nostrae,  
 „in pergamena confectae, sigilloque nostro secreto in  
 „margine inferiore impressivè consignatae, continen-  
 „tes privilegium nostrum gratiosum, quo videlicet  
 „nos ex nostra Regia munificentia Jus Patronatus no-  
 „strum Regium super conferenda Abbatia Ecclesiae  
 „Szkalkensis in Dioecesi Nitriensi habita, quoties-  
 „cunque legitimo Abbate vacaret, in Reverendum  
 „olim Stephanum de Podmanin, tunc praefatae Ec-  
 „clesiae Nitriensis Episcopum, ac Successores suos  
 „legitimos Episcopos perpetuo transtulisse: sup-  
 „plicatum itaque est Majestati Nostrae in persona  
 „praefati Episcopi, ut easdem litteras nostras privi-  
 „legiales, ac omnia, et singula in eis contenta, rata,  
 „grata, et accepta habentes, pro praefato Episco-

„po, et Successoribus suis perpetuo valituras gratio-  
 „se confirmare dignaremur. Nos igitur praefati Epi-  
 „scopi supplicatione clementer exaudita, ac admissa,  
 „praescriptas litteras Nostras, perinde, ac si in his  
 „nostris de verbo ad verbum insertae, ac inscriptae  
 „essent, omniaque et singula in eis contenta, rata,  
 „grata, et accepta habentes, quoad omnes earum  
 „continentias, et clausulas (ea tamen interposita  
 „conditione, ut Personae Ecclicae, Catholicoque Sa-  
 „cerdoti, qui primo quoque tempore habitum illius  
 „ordinis assummat, dictam Abbatiam conferre, neque  
 „apud se idem Episcopus Nitriensis retinere debeat)  
 „acceptamus, approbamus, et ratificamus, ac omnia,  
 „et singula in iisdem contenta pro praefato Episco-  
 „po, et Successoribus suis semper valituras confir-  
 „mamus, salvo Jure alieno, harum nostrarum testi-  
 „monio litterarum. Datum Viennae 22da Die Sept.  
 „anno Domini 1553.“

Tunc, ait Péterffy C. H. P. II. Ferdinandus vil-  
 las, pagosque Abbatiae de Szkalka obnoxios, in Ca-  
 stri Trenchiniensis, militisque praesidiarii Stipen-  
 dium hucusque retentos, Francisco Thurzó Episcopo  
 Nitriensi, ad cuius Ecclesiam Jus Patronatus perti-  
 nebat, reddi jussit. Ast incassum: nam tunc pri-  
 mum, cum idem Rex Edicto suo, in Corpore Juris  
 contento, Die 10. Apr. 1560 edito, Bona Ecclesia-  
 rum restitui jussit, restitutis Bonis Olahus Strigoni-  
 ensis Archi-Episcopus Jure Patronatus usus, teste  
 Timone Ep. Chr. Stephanum Radecium, postea Agr-  
 ensem Episcopum, Abbatem de rupibus nominavit;  
 quam Abbatiam post illum Paulus David Episcopus

Vaciensis, et per hujus resignationem anno 1630 Joannes Telegdy, ac postea Joannes Púsky tenuit. Hic, postquam a Vaciensi ad Nitriensem Cathedram translatus fuerat, agente Georgio Lippay Archi-Episcopo Strigoniensi, qui hoc tempore Trenchinium Patres Societatis Jesu induxerat, eam pro Collegio fundando cessit, et cum consensu Ferdinandi Regis, ex Jure Patronatus contulit per suas Litteras hujus Tenoris:

„Nos Joannes Púski miseratione Divina electus  
 „Episcopus Nitriensis, locique ejusdem supremus,  
 „ac perpetuus Comes, S. C. Regiaeque Majestatis  
 „Consiliarius. Damus ad melioriam — quod nos ac-  
 „curata animi consideratione perpendentes, omnia  
 „propemodum mala, quae uspiam in Ecclesia Dei,  
 „atque adeo in hac quoque afflictissima patria nostra  
 „vel hactenus emerserunt, vel deinceps emersura  
 „timeri poterunt, e duobus potissimum Capitibus  
 „provenire; ex artium scilicet liberalium neglectu,  
 „atque pietatis, ac verae in Deum Religionis contem-  
 „tu: in haec autem universae Reipublicae Christia-  
 „nae adeo utilia, et omnino necessaria duo bona sive  
 „excitanda, sive augenda, sive continuanda, quan-  
 „to conatu, quove affectu hactenus et in Regno hoc  
 „apostolico, et ubique terrarum incubuerit, incumbat-  
 „que nunc etiam universa Societas Jesu, nemo est,  
 „qui ignoret; nemo est etiam hostium, qui negare  
 „ausit. Idcirco, quamvis ab ipsis prope incunabulis  
 „semper et in bonas litteras, et in pietatem erga  
 „Deum, et cumprimis in ipsam quoque Societatem  
 „Jesu perquam propensissimi esse studuerimus; post-

„quam tamen Ecclesiasticum statum amplexi, curam  
 „animarum gerere coepimus, multo ardentius Ani-  
 „mum nostrum in haec omnia Divinae gloriae propa-  
 „gandae adeo necessaria instrumenta inflamari, atque  
 „impelli in dies magis, et magis sentimus. Unde et  
 „per Nosmet ipsos, et per alios quosvis ad id ido-  
 „neos omnem movimus lapidem, quo Abbatiam in  
 „rupibus S. Benedicti ad fluvium Vagum, in Comitatu  
 „quidem Trenchiniensi, at in Dioecesi nostra Nitri-  
 „ensi existentem, et habitam, vulgo Szkalka nuncu-  
 „patam, Patribus Societatis Jesu consignare, atque  
 „eosdem Patres, cum in eadem Abbatia, tum vero  
 „in libera, ac regia Civitate Trenchiniensi stabilire,  
 „quamprimum, et quam tutissime possimus. Quum  
 „autem nullis nostris meritis per Dei O. M. benignam  
 „dispositionem, perque Sacrae Caesareae, ac Regiae  
 „Majestatis singularem gratiam, elapso mense Sept.  
 „ab Episcopatu Vaciensi ad hanc Nitriensem Cathe-  
 „dram, legitime, et Canonice vacantem, transferi-  
 „mur, ac per consequens ejusdem Abbatiae Szkal-  
 „kensis, cujus hactenus possessor dumtaxat fuera-  
 „mus, cum hoc Episcopatu Nitriensi etiam legitimus  
 „Collator constituimur. Verum tamen Jure hoc Pa-  
 „tronatus, etsi legitimo, minime contenti, ad majus  
 „totius rei robur, ab eadem Sacra Caesarea, Regia-  
 „que Majestate novum insuper indultum, novamque  
 „facultatem, praedictam Abbatiam Szkalkensem ad  
 „libitum Nostrum conferendi, de novo petivimus,  
 „quin etiam impetravimus, ita tamen, ut saepedicta  
 „Abbatia Szkalkensis pro bono, et emolumento Ec-  
 „clesiae omnino converteretur. Cum igitur ex hoc

„quoque Capite, quo Sacra Caesarea, Regiaque Ma-  
 „jestas vult Abbatiam hanc in bonum, et emolumen-  
 „tum Ecclesiae convertit; tum etiam aliunde quoque  
 „aciem mentis nostrae verteremus, nusquam majus  
 „bonum et emolumentum Ecclesiae ex hac Abbazia,  
 „in hac potissimum totaliter Lue haeretica scatenti,  
 „et Pastoribus Ecclesiasticis penitus destituta Dioece-  
 „si nostra promanaturum dispexerimus, quam si ean-  
 „dem Abbatiam venerandae Societati Jesu pro funda-  
 „tione Collegii, seu Tyrocinii Trenchiniensis conferre-  
 „mus; en idipsum quod jam pridem animo destinara-  
 „mus, hodierna die reipsa effectui mancipamus, atque  
 „praefatam Abbatiam Szkalkensem non modo aucto-  
 „ritate Nostra Collatorali, qua pleno Jure fungimur,  
 „sed etiam auctoritate Caesarea, et Regia ad id pe-  
 „culiariter obtenta, cum omnibus ejusdem Abbatiae  
 „Possessionibus, Juribus, Proventibus, ac utilitati-  
 „bus quibuslibet, iisdem Patribus Societatis Jesu con-  
 „ferimus, donamus, tradimus; sicuti in perpetuum  
 „contulimus, donavimus, tradidimus: atque hanc  
 „eandem collationem, donationem, atque traditio-  
 „nem nostram in omnibus punctis, clausulis ac arti-  
 „culis per Sacram Caesaream, Regiamque Majesta-  
 „tem non solummodo peculiariter approbari, et ratifi-  
 „cari, prout jam factum est, sed etiam authentice  
 „confirmari curabimus. Id quod cedat ante omnia ad  
 „majorem Dei O. M. gloriam, ad emolumentum Ec-  
 „clesiae Catholicae, Spiritualeque auxilium totius  
 „hujus Dioecesis Nostrae, ad plurimarum Animarum  
 „salutem, ac denique ad Animae quoque nostrae re-  
 „frigerium sempiternum. Datum in arce nostra Ni-

„triensi ipso Feste SS. Simonis et Judae Apostolorum, anno Salutis 1644.“

Successor Púskii in Episcopatu Nitriensi Georgius Szelepchényi collationem hanc non modo ratam habuit, verum etiam Collegio Societatis Jesu tradidit Altariam SSmae Trinitatis, quam Trenchinii anno 1476 Domina Margaritha Gyulay de Caza, relicta Egregii Francz de Haga fundaverat, Jure Patronatus ad Dies vitae suae reservato, post mortem vero suam Civibus Trenchiniensibus concessa; quo iidem utebantur, donec Zápolyani occupassent Castrum, et Civitatem Trenchin. Sub hac occupatione Joannis Zápolya Regis mater, Domina Hedvigis Dux These-men, conferendae hujus altariae Jus sibi reservavit, eoque, dum vixit, utebatur. A morte illius, erga supplicationem Civium, iisdem per Joannem Regem his Litteris privilegialibus redditum:

„Nos Joannes Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. — memoriae comendamus tenore praesentium, significantes, quibus expedit universis: quod fideles nostri, prudentes et circumspiciti Blasius Herdy Judex, Georgius Magolth Juratus, Laurentius Artman litteratus, et Georgius Kropach, Cives Civitatis Nostrae Trenchiniensis, Nostri venientes in praesentiam, in suis, et aliorum Civium, Inhabitorumque, et Incolarum ejusdem Civitatis Nostrae nominibus, et in personis exposuerunt Nobis: quemadmodum ad latus Parochialis Ecclesiae Nativitatis Beatissimae Virginis Mariae, dictae Civitatis Nostrae quaedam Capella ad Laudem et honorem SSmae et individuae Trinitatis erecta, atque

„constructa esset, cujus Collatio, Jus Patronatus, et  
 „Bonorum, Juriumque possessionariorum per devo-  
 „tas personas ad eandem Capellam testamentaliter  
 „relictorum gubernatio, retroactis semper tempori-  
 „bus Illustris Domina Hedvigis Dux These-men, Ge-  
 „nitrix nostra amantissima felicissimae memoriae,  
 „ob certas causas, et pias rationes, ut scilicet Divi-  
 „nus Cultus majore sedulitate, et ferventia, ac sine  
 „defectu in eadem Capella administretur, Collatio-  
 „nem ejusdem ex manibus ipsorum Civium excepis-  
 „set, et Rectoribus, quibus voluisset, quousque in  
 „humanis egit, suo arbitratu contulisset; moriente  
 „autem eadem illustrissima Domina Genitrice Nostra  
 „neque cura ipsius Capellae ita dignis Rectoribus  
 „mandaretur, neque bona et Jura possessionaria,  
 „qua solebat, diligentia, et sinceritate gubernaren-  
 „tur, supplicaruntque iidem Nobis Cives Nostri, ut  
 „Collationem ac Jus Patronatus dictae Capellae, si-  
 „cuti a Divis Regibus Hungariae, Nostris Praedeces-  
 „soribus, ut praemissum est, eisdem concessum fuis-  
 „set, redderemus, seque in suis antiquis libertati-  
 „bus vivere sineremus: Nos itaque, qui ipsis Civi-  
 „bus Nostris pro sua in Nos fidelitate, ac gratissimis  
 „servitiorum meritis, quae Nobis in omni temporis  
 „occasione constanter, et sincere impenderunt, ma-  
 „xime afficiamur, et praesertim cum intelligamus,  
 „hanc re ipsa Capellae et utilem fore, et ad Divini  
 „Cultus observationem maxime idoneam; id eisdem  
 „annuendum, et gratiose concedendum duximus, ut  
 „deinceps, successivisque semper temporibus ipsi Ci-  
 „ves, et incolae eandem Capellam ita, ut eisdem

„alias concessum fuit, quibus maluerint, conferre,  
 „et Bona ejusdem, ac omnia Jura possessionaria re-  
 „gere, et gubernare possint, et valeant, ita tamen,  
 „et ea conditione, ut ipsi dignum, probumque, et  
 „spectatae vitae, ac integritatis Sacerdotem in Re-  
 „ctorem ejusdem Capellae eligant, Bonaque ejusdem  
 „fideliter et sincere gubernare, et dispensare debe-  
 „ant, et praesentem Rectorem, si se dignum, et  
 „meritum gubernatione ipsius Capellae gesserit, in  
 „ejusdem pacifica possessione permittant: imo annui-  
 „mus, concedimusque praesentium per Vigorem. Quo-  
 „circa Vobis fidelibus nostris Egregiis Michaeli Piskei  
 „Provisori, et Gregorio Muronyanszky Castellano,  
 „aliisque officialibus Castri nostri Trenchiniensis  
 „praesentibus et futuris harum serie comitimus fir-  
 „missime et mandamus; quatenus a modo imposte-  
 „rum perpetuis semper temporibus ipsos Cives et in-  
 „colas nostros contra hanc gratiosam annuentiam no-  
 „stram in collatione, et Jure Patronatus dictae Ca-  
 „pellae, aut Gubernatione Bonorum suorum impe-  
 „dire, molestareque, aut incolas, et Jobbagyiones  
 „ad eandem pertinentes contra libertatem, et con-  
 „suetudinem ipsorum ad aliquos labores, aut servi-  
 „tia ad dictum Castrum exhibenda cogere, vel com-  
 „pellere nulla ratione praesummant, neque sitis ausi  
 „modo aliquali, sed ipsos in omnibus suis libertati-  
 „bus, et praerogativis, quibus ex annuentia prae-  
 „dictorum Divorum Regum Hungariae ab antiquo usu  
 „sunt, et gavisi, uti, frui, et gaudere, permittere,  
 „et permitti facere modis omnibus debeatis, et te-  
 „neantini, et quilibet vestrum debeat, et teneatur.

„In cujus rei testimonium, memoriamque perpetuam  
 „praesentes litteras nostras eisdem Civibus, et inco-  
 „lis Nostris secreto sigillo Nostro, quo ut Rex Hun-  
 „gariae utimur, in pendenti obsignatas, dandas du-  
 „ximus, et concedendas. Datum Strigonii Sabbatho  
 „in Festo Purificationis Beatissimae Virginis Mariae,  
 „Anno Domini Millesimo quingentesimo vigesimo sé-  
 „ptimo. Regnorum nostrorum praedictorum anno  
 „primo. L. S. Franciscus Bachye Secretarius Regius.“

Altariae istius Jura Ferdinandus Rex, deperdi-  
 tis occasione expugnationis Castri Trenchin Docu-  
 mentis, anno 1556 confirmavit per suas Privilegiales,  
 hujus tenoris:

„Nos Ferdinandus Divina favente Clementia Ro-  
 „manorum Hungariae, Bohemiae etc. Rex; semper  
 „Augustus, Infans Hispaniarum, Archi-Dux Austriae  
 „etc. memoriae comendamus tenore praesentium si-  
 „gnificantes, quibus expedit, universis: quod Nos,  
 „cum ex suscepto Regiminis Nostri officio, quo o-  
 „mnes Ecclesias Dei in justis eorum juribus conser-  
 „vare, indemnitateque earum consulere volumus:  
 „tum vero ad humillimam supplicationem fidelium  
 „nostrorum, prudentum, et circumsectorum Judi-  
 „cis, et Juratorum, totiusque Comunitatis Civium  
 „Civitatis Nostrae Trenchiniensis, Majestati nostrae  
 „factam totalem possessionem Liburcha vocatam, in  
 „Comitatu Trenchiniensi existentem habitam, simul  
 „cum Curia Nobilitari, et Molendino, in eadem ha-  
 „bitis, ad Rectoratum Altaris S. Trinitatis in Eccle-  
 „sia Parochiali ejusdem Civitatis Trenchiniensis fun-  
 „datum, pertinentem, in cùjus quieto, et pacifico

„Dominio Rectores ejusdem Altaris, ex collatione  
 „ejusdem Rectoratus Patronorum ab antiquo pacifice  
 „perstitisse, et nunc quoque persistere, litterasque,  
 „et litteralia instrumenta ipsi Cives superinde suffi-  
 „cientes habuisse, sed ea superioribus disturbiorum  
 „temporibus, tempore videlicet expugnationis per  
 „Exercitum Nostrum Castri ipsius nostri Trenchini-  
 „ensis, ab eis abalienata, et deperdita esse dicuntur,  
 „simul cum omni Jure nostro Regio, si quod in ea-  
 „dem possessione Liburcha, ac Curia Nobilitari, et  
 „molendino in eadem habitis, qualitercunque habe-  
 „remus, aut eadem nostram ex quibuscunque causis,  
 „viis, modis, et rationibus concernerent Majestatem,  
 „simul cum cunctis suis utilitatibus, et pertinentiis  
 „quibuslibet, Terris scilicet arabilibus, cultis, et in-  
 „cultis, agris, pratis, pascuis, sylvis, nemoribus,  
 „montibus, vallibus, vineis, vinearumque promon-  
 „toriiis, aquis, fluviis, piscinis, piscaturis, aqua-  
 „rumque decursibus, molendinis, et eorum locis, ge-  
 „neraliter vero quarumlibet utilitatum, et pertinen-  
 „tiarum suarum integritatibus, quovis nominis vo-  
 „cabulo vocitatis, sub suis veris metis, et antiquis  
 „existentibus, ad easdem de Jure, et ab antiquo spe-  
 „ctantibus, et pertinere debentibus, ad praefatum  
 „Rectoratum Altaris S. Trinitatis in dicta Civitate  
 „nostra Trenchiniensi fundatum, et per consequens  
 „ejusdem Rectoribus, Presbyteris Catholicis moder-  
 „nis et futuris, quos videlicet ipsius Rectoratus Al-  
 „taris legitimi Patroni, ad exercenda, obeundaque  
 „continuo in eodem Altari Divina officia intertenere  
 „debeant, et teneantur, dedimus, donavimus, et

„contulimus; imo damus, donamus, et conferimus,  
 „Jure perpetuo, et irrevocabiler tenendum, possi-  
 „dendum, pariter et habendum, salvo jure alieno;  
 „annuentes, et concedentes praefatis Civibus Nostris  
 „Trenchiniensibus, quod, ex quo Collationem dicti  
 „Rectoratus hactenus semper penes ipsos stetisse, et  
 „ipsos eum semper contulisse, asserunt, eundem  
 „deinceps quoque Presbyteris Catholicis, et non hae-  
 „reticis conferre, et donare possint, harum nostra-  
 „rum vigore, et testimonio litterarum, quae in for-  
 „mam privilegii redigi faciemus, dum Nobis inspecie  
 „fuerint reportatae. Datum Vienna octava Die Martii  
 „Anno Domini Millesimo, quingentesimo quinqu-  
 „gesimo sexto. Regnorum Nostrorum Romani Vige-  
 „simo sexto, aliorum vero trigesimo. Ferdinandus  
 „m. p. Nicolaus Olahus Strig. etc. Joannes Listhius.“

Cives Trenchinienses magna sui parte Luthero  
 adhaerentes, Privilegio hoc, Jureque Patronatus ab-  
 usi, Altaria nemini collata, Bona ejusdem pro se  
 „usurpabant: quamobrem Sigismundus Zongor Archi-  
 Diaconus Trenchiniensis, et Canonicus Nitriensis ad  
 Ferdinandum II. pro ea impetranda recurrerat, ea-  
 que impetrata, maximis molestiis Jura, Bonaque il-  
 lius revindicavit, quam dein sibi resignatam, anno  
 1656 Georgius Szelepchényi, qua Episcopatus Nitri-  
 ensis Administrator Templo S. Francisci Xav. per  
 Archi - Episcopum Strigoniensem Georgium Lippay  
 pro PP. Societatis Jesu aedificato, addixit, et contu-  
 lit cum universis Bonis ad eam pertinentibus, ea ad-  
 jecta cautela; ut si Societas Jesu ex Hungaria, quod  
 Protestantes urgebant, prorsus exesse deberet, tam

haec Altaria SS. Trinitatis, quam et Abbatia S. Benedicti de Rupibus, ut praemissum, per Joannem „Púski iisdem Patribus S. J. collata, ad suos legitimos „Successores Episcopos Nitrienses devolvatur. Hanc Szelepchényii collationem, et unionem anno 1659. Leopoldus Imperator et Rex ratihabuit, suis privilegialibus Litteris insertam hoc tenore:

„Nos Leopoldus Dei gratia electus Romanorum „Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae etc. Rex etc, memoriae comendamus Tenore „praesentium significantes, quibus expedit universis: „Quod pro parte, et in personis fidelium nostrorum „Religiosorum Patrum Societatis Jesu Collegii Trenchiniensis per fidelem nostrum nobis sincere dilectum Reverendissimum in Christo Patrem Dominum „Georgium Lippay de Zombor, Archi-Episcopum „Strigoniensem locique ejusdem, ac Comitatus Supremum, et Perpetuum Comitem, Primate[m] dicti „Regni nostri Hungariae, Legatum natum, summum „et Secretarium Cancellarium, ac Consiliarium nostrum intimum erecti, et fundati, exhibitae sunt „nobis et praesentatae certae quaedam litterae fidelis „titidem Nostri, Nobis sincere dilecti Reverendissimi in Christo Patris Domini Georgii Szelepchényii „Colocensis et Bachiensis Ecclesiarum Canonice unitarum Archi-Episcopi, Administratoris Episcopatus „Nitriensis, Locorumque, et Comitatum eorundem „supremi, ac perpetui Comitum, similiter Consilarii „Nostri, ac Aulae Nostrae per praefatum Regnum „Nostrum Hungariae Cancellarii, attunc Episcopi Nitriensis, in Pergameno patenter confecta, sigillo-

„que ejusdem Authentico ab intus in inferiori earum-  
 „dem margine impressivè communitae, ac Die 10ma  
 „Mensis Maji in anno Domini 1656 in Civitate nostra  
 „Vienna Austriae emanatae, quibus mediantibus idem  
 „Archi - Episcopus Colocensis Altariam SS. Trinitatis  
 „in libera, regiaque Civitate nostra Trinchiniensi in  
 „Dioecesi sua, Comitatuque Trinchiniensi existen-  
 „tem habitam, cum universis Bonis temporalibus,  
 „utpote villis, Possessionibus, Praediis, Portionibus,  
 „et quibuslibet Juribus possessionariis, Proventibus-  
 „que et Emolumentis ad eandem de Jure, et ab an-  
 „tiquo spectantibus, et pertinere debentibus, ac in-  
 „specie Possessionem Liburcza, in eodem, quo su-  
 „pra, Comitatu adjacentem, cum pertinentiis et utili-  
 „tatibus quibuslibet, in anno praespecificato, tamquam  
 „ejusdem Altariae legitimus Patronus, et Collator  
 „dicto Collegio, et Noviciatui Societatis Jesu prae-  
 „memorata in Civitate per dictum Archi - Episcopum  
 „Strigoniensem erecto, ac fundato, accedente ad id  
 „benigno consensu, facultate, et autoritate sacra-  
 „tissimi condam Principis ac Domini Ferdinandi III.  
 „similiter Romanorum Imperatoris ac Germaniae,  
 „Hungariae, Bohemiae etc. Regis, Domini Genitoris,  
 „ac immediati Praedecessoris Nostri desideratissimi,  
 „gloriosae riminiscendae, Jure perpetuo et irrevocabiliter  
 „univisse, contulisse, ac tradidisse dignoscatur,  
 „Tenoris infrascripti: — supplicatum itaque  
 „que existit Majestati Nostrae pro parte eorundem  
 „Patrum Societatis Jesu debita cum Instantia humilime,  
 „quatenus easdem litteras, omniaque, et singula in  
 „eisdem contenta, ratas, gratas, et acce-

„ptas habentes , Litterisque Nostris privilegialibus  
 „de verbo ad verbum inseri , et inscribi facientes ,  
 „approbare, roborare, ac pro praefatis universis Pa-  
 „tribus jugiter Deo famulantibus , successoribusque  
 „eorumdem universis innovantes, perpetuo valituras  
 „gratiose confirmare dignaremur. Quarum quidem  
 „litterarum Tenor talis est: Nos Georgius Szelep-  
 „chényi Episcopus Nitriensis , Locique ejusdem su-  
 „premus , ac Perpetuus Comes , SSmae Caesareae ,  
 „Regiaeque Majestatis Consiliarius , et per Regnum  
 „Hungariae Aulae Cancellarius , etc. Damus pro me-  
 „moriam , quod , cum Illustrissimus ac Reverendissi-  
 „mus Princeps Dominus Dominus Georgius Lippay  
 „de Zombor , Archi-Episcopus Strigoniensis Locique  
 „ac Comitatus ejusdem Supremus ac Perpetuus Co-  
 „mes , Primas Hungariae , Legatus natus , Summus  
 „et Secretarius Cancellarius , ac praelibatae suae Sa-  
 „cratissimae Caesariae , et Regiae Majestatis Inti-  
 „mus Consiliarius , pro universali , quo omnes suae  
 „Primatiae Ecclesias , adeoque Nitriensem nostram  
 „complectitur , affectu , in libera , regiaque Dioece-  
 „sis nostrae Civitate Trenchinii Societatis Jesu Col-  
 „legium erudiendae Juventuti , ac Proximis juxta  
 „pium ac laudabile ipsorum Institutum juvandis ; Do-  
 „num item Probationis , seu Noviciatum eidem So-  
 „cietati Jesu fundasset , ac liberali munificentia do-  
 „nasset , Nosque pro pastoralis animarum Nobis cre-  
 „ditarum munere , de Operariis , qui in Nitriensi no-  
 „stra Dioecesi animabus in Christi ovile reducendis ,  
 „ac in eodem conservandis strenue se impendant ,  
 „solliciti , providere satagentes , in eam Deo inspi-

„rante, venimus Sententiam, ut ejusdem Collegii ac  
 „Domus Probationis foundationem pro viribus promo-  
 „veremus: et licet jam ante, prioribus elapsis tem-  
 „poribus in eum finem Abbatiam S. Benedicti de Ru-  
 „pibus, seu Szkalka, in eadem Dioecesi nostra pos-  
 „sessam, et habitam, eidem Societatis Jesu Tren-  
 „chiniensi Collegio, nostro quoque accedente assen-  
 „su, in perpetuum unitam sciamus; nihilominus,  
 „quo uberius ex dicto Collegio Trenchiniensi in uni-  
 „versam Dioecesim nostram, imo Regnum Hunga-  
 „riae, tot haerensibus attritum, fructus redundet,  
 „adeoque plures e Societate Jesu in eodem Collegio  
 „degere, et Deo jugiter famulari possint, ampliori-  
 „bus redditibus; et Juribus possessionariis illud in-  
 „struere satagimus, cui Nostrae intentioni opportune  
 „prorsus obtigit, ut simplex Beneficium Dioecesis  
 „Nostrae, Altaria nempe SSae Trinitatis, per resi-  
 „gnationem Reverendissimi Domini Sigismundi Zon-  
 „gor Episcopi Vaciensis, praememoratae suae SSae  
 „Caesareae et Regiae Majestatis Consilarii, ejusdem  
 „hactenus legitimi Possessoris vacaret, cujus Patro-  
 „natus, adeoque Jus Collationis cum alias quoque ad  
 „nos tamquam Ordinarium loci spectaret, insuper  
 „tamen ex benigna Regis Apostolici, ejusdemque  
 „Augustissimi Caesaris Ferdinandi II. annuentia, et  
 „speciali Indultu, ad nos sit devolutum, majorem  
 „Dei gloriam, ac animarum nostrae curae commis-  
 „sarum bonum promovere cupientes, motu proprio,  
 „ex certa scientia, et de plenitudine potestatis nobis  
 „de munere nostro competentis, jam dictam SSmae  
 „Trinitatis Altariam in Templo S. Francisci Xaverii

„Trinchinii, a supramemorato Illustrissimo ac Re-  
 „verendissimo Principe Archi-Episcope Strigoniensi  
 „a fundamentis exstructo, existentem, et habitam,  
 „cum universis Bonis temporalibus, utpote villis,  
 „possessionibus, praediis, portionibus, et quibus-  
 „libet Juribus possessionariis, Proventibusque et e-  
 „molumentis, ad eandem Altariam de Jure, et ab  
 „antiquo spectantibus, et pertinere debentibus, ac  
 „in specie Possessionem Liburcsa in Comitatu Trin-  
 „chiniensi existentem, et habitam, cum pertinentiis,  
 „et utilitatibus quibuslibet, terris scilicet cultis, et  
 „incultis, agris, pratis, pascuis, campis, faenetis,  
 „sylvis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, vi-  
 „nearumque praemontoriis, aquis, fluviis, piscinis,  
 „piscaturis, pisciumque clausuris, et aquarum de-  
 „cursibus, molendinis, et eorundem locis, genera-  
 „liter vero quarumlibet utilitatum, et pertinentia-  
 „rum suarum integritatibus, quovis nominis voca-  
 „bulo vocitatis, sub suis veris metis, et antiquis li-  
 „mitibus existentibus, et habitis, ad eandem de Jure,  
 „et ab antiquo spectantibus, et spectare debentibus,  
 „saepe laudatae Societatis Jesu praememorato Trin-  
 „chiniensi Collegio, ac Domo Probationis in Dioe-  
 „cesi nostra, ut meminimus, fundatis, et erectis,  
 „Jure perpetuo, et irrevocabiliter unimus, ac uten-  
 „dam, tenendam, possidendam pariter et habendam  
 „per manus damus, conferimus, tradimus; imo uni-  
 „vimus, dedimus, contulimus, tradidimus, certi,  
 „quod Societas Jesu prono Dei promovendam glori-  
 „am studio, et fundatorum dictae Altariae intentioni  
 „debitam impendet satisfactionem, et Nos sacrificio-

„rum, ac Precum faciet participem. Quodsi (quod  
 „Clementissimus Deus avertat) Societas Jesu nec  
 „Trinchinii, nec alibi in Hungaria Collegium, et No-  
 „viciatum continuare posset, sed injuria hostium ex-  
 „ternorum, aut domesticorum exesse deberet, nec  
 „spes reditus in Hungariam affulgeret, ex tunc vo-  
 „lumus dictam Altariam SS. Trinitatis, imo et Ab-  
 „batiam S. Benedicti de Rupibus ad Nos, et Succes-  
 „sores Nostros legitimos devolvi. Si tamen post quos-  
 „cunque annorum decursus, rursum in Hungariam  
 „redire, ac Collegium, et Noviciatum intra ambitum  
 „Regni continuare, Societati fuerit integrum, volu-  
 „mus immutabiliter, ut tum Altaria SSae Trinitatis,  
 „tum Abbacia S. Benedicti de Rupibus, absque ullo  
 „Juris strepitu, de plano, et per simplicem appre-  
 „hensionem cum omnibus suis, ut praefatum est, per-  
 „tinentiis, eidem Societati Jesu cedat, et restitua-  
 „tur. Quae omnia, ut a nobis pura, et sincera in-  
 „tentione promovendae Catholicae Religionis, ac Ca-  
 „rissimae Patriae sublevandae fiunt, ita Deum O. M.  
 „precamur, ut sanctae nostrae huic Intentioni ube-  
 „rem largiatur Benedictionem, quo magnum nomen  
 „ejus laudetur, et glorificetur in aeternum. Datum  
 „in Civitate Vienna Austriae Die decima tertia men-  
 „sis Maji Anno Domini Millesimo sexcentesimo quin-  
 „quagesimo sexto. — Nos itaque hujusmodi humilli-  
 „lima supplicatione pro parte memoratorum Patrum  
 „Societatis Jesu Collegii Trinchiniensis nostrae mo-  
 „do, quo supra porrecta Majestati, Regia benigni-  
 „tate exaudita, clementer et admissa, praeinsertas  
 „Domini Georgii Szelepchényi litteras, non abrasas,

non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas,  
 „sed omni prorsus vitio, ac suspicione carentes,  
 „praesentibusque litteris nostris privilegialibus de  
 „verbo ad verbum sine diminutione, et augmento  
 „aliquali insertas, et inscriptas, quoad omnes ea-  
 „rumdem continentias, clausulas, et articulos eate-  
 „nus, quatenus eadem rite, et legitime existunt e-  
 „manatae, viribusque earumdem veritas suffragatur,  
 „ratas, gratas, et acceptas habentes, approbavimus,  
 „roboravimus, et ratificavimus, ac pro supradictis  
 „Patribus Societatis, eorumdemque Successoribus u-  
 „niversis perpetuo valituras gratiose confirmavimus.  
 „Imo acceptamus, approbamus, roboramus, ratifi-  
 „camusque, et confirmamus, salvis Juribus alienis.  
 „Datum in Arce Nostra Regia Posoniensi, Die vige-  
 „sima quarta mensis Septemb. Anno Domini Mille-  
 „simo sexcentesimo quinquagesimo nono. Regnorum  
 „Nostrorum Romani secundo, Hungariae, et reli-  
 „quorum quinto, Bohemiae vero anno tertio. Leo-  
 „poldus. Georgius Szelepchényi Archi-Episcopus Co-  
 „locensis, Andreas Rutkay.“

Quod Szelepchényius evenire posse prospexerat,  
 ut videlicet Societas Jesu ex Hungaria exesse cogatur;  
 id evenit, dum Clementis XIV. P. Edicto ipsa  
 Societas abolita fuit. Reservatio tamen juris in Ab-  
 batiam de Rupibus, et Altariam SS. Trinitatis, nul-  
 lum habuit effectum. Bona enim utriusque pro fun-  
 do studiorum retenta sunt; et postquam Trenchini-  
 um ad Collegium Societatis abolitae inducti fuerunt  
 per Augustam Dominam Reginam Mariam Theresi-  
 am, Patres qui a Scholis Piis nomen habent, his an-

1778 in vicem Bonorum Altariae SS. Trinitatis pro fundationalibus Missis in Ecclesia S. Francisci Xav. cui Altaria unita fuerat, absolvendis, dati fuerunt in Summa Capitali floreni 2080. — Abbatiae autem S. Benedicti de Rupibus Titulus viris Ecclesiasticis per Regiam Majestatem conferri consuevit. De praesenti vacat.

### §. 11.

X. *Adamus*, num Nitriensibus Episcopis adnumerandus sit? dubius haereo. Qui eum in serie Episcoporum Nitriensium collocant, Jacobo eundem An. 1240 aut 1241 suffectum, et in pugna cum Tartaris ad Sajonem commissa, occubuisse scribunt. Ita Nicolaus Schmidt dicit, se in manuscriptis, quae non designat, reperisse, ad annum 1239 inter Praesules Hungariae Adamum Nitriensem, et ex pervetusto manuscripto se habere, illum inter Praesules ad Sajonem caesos fuisse. Alii Jacobum Episcopum vitam usque infelicem illam cum Tartaris pugnam produxisse, et in hac occubuisse volunt. Thomas Archidiaconus in hist. Salon. et Rogerius in miserabili Carmino, dum coesos in pugna Praesules commemorant, Nitriensis quidem Episcopi meminerunt, sed absque nominis Designatione. Thomas Archidiaconus haec habet: „Ibi ille formosissimus vir Vgrinus periit; ibi Mathias Strigoniensis; ibi Gregorius Joriensis (Jaurin) ibi multa Praelatorum et Clericorum turba occubuit.“ Et Rogerius: „De fugientibus quoque per amplam viam versus Pest in exercitu rema-

nentibus facta est tanta strages, totque millia sunt hominum interemta, quod aestimatio fieri non valet: nec referentibus fides propter immanem Cladem leviter adhibetur. Majores tamen de Clericis cecidere Mathias Strigoniensis Archi-Episcopus, quem Rex tum propter fidelitatem, tum quia insimul nutriti erant, magis diligebat, et ejus Consiliis magna sub Confidentia in rebus arduis utebatur. Vgolinus Ccoloczensis Archi-Episcopus, nobilissima ortus prosapia, magna, et ardua mundi negotia omissis minimis disponens: hic erat, sub cujus fiducia Nobiles Hungariae respirabant: hic erat, sub cujus fiducia majores, et mediocres humiles se reddebant. Georgius (Gregorius) Episcopus Jaurinensis, qui et nobilis fuit moribus, et peritus scientia litterarum. Raynaldus Ultrasyvanus Episcopus: et Ecclesiae Nitriensis Episcopus, qui fuerat laudabilis vitae, et morum honestate praeclarus. Nicolaus Scibiniensis Praepositus etc.“ Certum itaque est, in pugna illa mongolica ad Sajonem in Provincia Borsodiensi Episcopum Nitriensem trucidatum fuisse: sed num Jacobus, aut alius, nomine Adamus, de quo nihil prorsus in aliis actis occurrit, fuerit; pronunciare non ausim. A Prajo et Fejér e serie Nitriensium Episcoporum Adamus expunctus est.

---

## §. 12.

**XL** *Bartholomaeus* a Bela, IV. Rege, dum in Dalmatiam se recepit, post Cladem Tartaricam, anno 1242 in Episcopum Nitriensem nominatus. Videtur in Regis comitatu fuisse, dum ad Spalatenses venit. Thomas enim Archi-Diaconus, qui tunc Spalati vixit, de adventu Regis ad Spalatenses haec habet: „Erant autem in comitatu Regis, multi Ecclesiarum Praelati, plures Principes, et Barones, reliquum vero vulgus utriusque sexus, et aetatis pene innumerable erat. Appropingvante autem Domino Rege, ad introitum Civitatis universus Clerus, et Populus processionaliter exeuntes debito venerationis obsequio susceperunt eum, dantes ei hospitia intra muros, quotquot voluit ipse. Venerunt etiam isti magnates cum eo: Stephanus Episcopus Zagrabiensis, et alter Stephanus Vaciensis, et idem in Strigoniensem Archi-Episcopum postulatus, Benedictus Praepositus Albensis, aulae Regiae Cancellarius, et idem ad Colocensem Sedem electus, Bartholomaeus Quinque-Ecclesiarum Episcopus, et quidam alii Episcopi.“ Bartholomaeum nostrum inter hos fuisse, inde conjecturare licet; quia in Diplomate quod Bela Zagrabiensibus in monte Grech (Grecz) dedit, a Kerselichio descripto, Bartholomaeus noster occurrit in conclusione: Datum apud Werenzha per manus Magistri Benedicti Praepositi Albensis, Aulae nostrae Cancellarii, electi in Episcopum Colocensem, Bartholomaeo Quinque-Ecclesiensi, Stephano Zagrabieni, Bartholomaeo Nitriensi, Blasio Csanadiensi

Episcopis; Benedicto Varadinensi, et postulato Jaurinensi, Stephano Vacienti, et postulato in Archiepiscopum Strigoniensem, Ecclesias Dei gubernantibus. Dilecto cognato nostro Joanne Angelo, Domino Syrmiae, et Comite Bacsienti etc. — Anno ab Incarnatione Domini Millesimo ducentesimo quadagesimo secundo. XVI. Kalend. Decembris. Regni nostri anno octavo. — Confirmationem Sedis Apostolicae consequi non potuit; quia post mortem Caelestini IV. P. quam is obierat 9a Octob. 1241, Interregnum Pontificium producebatur ad 25am Junii 1243. qua Innocentius electus fuerat. Bartholomaeo jam e vivis erepto.

### §. 13.

**XII. Adamus.** Qui hujus nominis Episcopum Ecclesiae Nitriensi praefuisse, et ad Sajonem occubuisse volunt, huic secundi nomen dant. Martinus Szent-Ivány hunc Adamum, quem anno 1245 Ecclesiae Nitriensi dat Antistitem, incogitanter in pugna Tartarica caesum fuisse asserit. Cum Rex Bela e Dalmatia redux vacuas Sedes Antistitum complere sollicite curaverit, postquam Nitriensis Episcopus Bartholomaeus Diem suum obiit, mox eidem Adamus suffectus fuisse videtur. Nam Innocentius IV. post suam Electionem mox Benedictum Varadinensem, ad Jaurinensem Ecclesiam postulatum, confirmavit, et Executionem commisit Electo Nitriensi, Praeposito S. Thomae Strigoniensi, et Magistro Petro Canonico Colocensi. Anagnia 5to Idus Julii, anno Pontificatus primo. — Hoc tempore Adamum ad Nitrienses Infu-

las electum fuisse constat ex Diplomate Belae IV. quo eximia Dyonsii Bani merita remuneratus est, anno 1244. 17. Kal. Julii, anno Regni nono, ubi inter Episcopos subscriptos legitur Adam Nitriensis Episcopus: cui eodem hoc anno per Regem Introductio hospitem Tyrnaviensium (Sumbothel) commissa fuit his Litteris:

„Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croa-  
 „tiae, Ramae, Serviae, Gallitiae, Lodomeriae, Co-  
 „maniaeque Rex. Universis Christi fidelibus salutem  
 „in eo, qui est vera Salus. Cum a nobis petitur,  
 „quod justum est, assensu grato debet decurrere no-  
 „stri justitia Principatus: quia nobis in nostris juris  
 „beneficium exhibetur: proinde ad universorum tam  
 „praecedentium, quam posterorum notitiam harum  
 „serie volumus pervenire; quod nos considerantes  
 „terram quamdam nomine Parna in Comitatu Poso-  
 „niensi juxta aquam Parna existentem, utilem esse  
 „fidelibus hospitem de Sumbothel, quae quondam  
 „fuit illustris Reginae Constantiae: qui Nos subjecti-  
 „vis Precibus implorarunt, ut terrae ipsorum eam  
 „adjungentes, eis de benignitate Regia conferremus:  
 „eamdem terram a fidelibus Nostris Ders, et fratri-  
 „bus suis, filiis Andreae Comitis de bona voluntate  
 „ipsorum per commutationem acceptam, eisdem ho-  
 „spitem universis donavimus perpetuo possiden-  
 „dam: in cujus terrae Cambium terram Dupnicze,  
 „eximendo eam a Castro Nitriensi, ad quam pertinebat,  
 „in Comitatu Nitriensi existentem, quae cum sylva ad  
 „eam pertinente, usui decem aratrorum est sufficiens,  
 „quamquam terra Parna, quam ab eis accepimus, ad

„duodecim Aratra sit conveniens, eisdem filiis An-  
 „dreae Comitis tradidimus perpetuo possidendam.  
 „In cujus terrae possessionem per Dilectum et fide-  
 „lem nostrum Venerabilem Adam Episcopum Nitri-  
 „ensem, qui metas ejusdem terrae, videlicet Dupni-  
 „cza, sub sigillo Capituli sui nobis manu propria por-  
 „rexit, quas et viva voce roboravit, fecimus intro-  
 „duci etc. — Datum apud Monasterium, quod dici-  
 „tur Martini Bani in Sas. Anno Dominicae Incarna-  
 „tionis MCCXLIV. Sexto decimo Kalendas Decemb.  
 „Regni autem Nostri anno decimo.“

Episcopum Adamum adhuc anno 1252 Ecclesiae Nitriensi praefuisse constat ex fundationalibus Prae-positurae B. M. V. de Thúrocz, quas Rex Bela pro Cisterciensibus dedit anno 1252, anno Regni sui decimo septimo; in quibus caeteros inter Episcopos Adam Nitriensis subscriptus. Quando vivere desierit, incertum. Sub Episcopo Adamo hospitibus Nitriensibus per Belam IV. cum libertate Civium Albensium Terrae collatae sunt his Donationalibus:

„Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croa-  
 „tiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae Co-  
 „maniaeque Rex. Omnibus Christi fidelibus praesen-  
 „tis paginae notitiam habituris Salutem in eo, qui  
 „Regibus dat Salutem. Regia sublimitas subditorum  
 „suorum merita debet intueri oculo perspicaci, et eis  
 „respondere meritoriis donativis, ut alii eorum ex-  
 „emplo ad fidelitatis opera fortius accendantur: pro-  
 „inde universis praesentibus et futuris tenore prae-  
 „sentium declaramus; quod cum peccatis exigenti-  
 „bus Caeli Dominus, in cujus manu sunt omnia Jura

„Regnorum, flagellari, permisisset per Tartaros Po-  
 „pulum Christianum, et Regnum nostrum, ejusdem  
 „Tartaricae persecutionis saevitie crudeliter, et im-  
 „maniter saeviente, fuisset suis Regnicolis, aliis mi-  
 „serrime interemtis, aliis in captivitate abductis,  
 „depopulatum, et pariter desolutum, fideles nostri  
 „Cives Castri Nitriensis hoc tempore Calamitatis non  
 „vacillantes, nec fortunae casu mutato mutati, sed  
 „in fervore fidelitatis primae laudabiliter persisten-  
 „tes, Castrum Nitriense studuerunt adeo pervigili  
 „cura custodire, ut nedum ipsis, sed multis aliis  
 „terrae nostrae habitatoribus et incolis in Castrum  
 „ipsum fugientibus sui Corporis ob tutelam, Tartaro-  
 „rum insultus inferre potuit quidquam mali, Nobis-  
 „que ad maritima fugientibus a facie Tartarorum,  
 „armatos homines ex se ipsis praeberunt in condu-  
 „ctum pro ampliori fidelitate Coronae Regiae impen-  
 „denda. Talibus ergo, tantisque eximiis meritis, et  
 „obsequiosis fidelitatibus in nostri memoriam revo-  
 „catis, volentes eis respondere gratuita repensiva:  
 „licet ipsi prius fuissent libertatis utique comendan-  
 „dae, tamen suorum servitorum in retributionem,  
 „eorum etiam instantissimis petitionibus de benigni-  
 „tate Regia inclinati, ipsis, et ipsorum Successori-  
 „bus perpetuo Albensium Civium dedimus libertatem,  
 „ut villicus ex se ipsis, qui pro tempore fuerit con-  
 „stitutus, omnes causas pecuniarias, Civiles, et Cri-  
 „minales, ad instar Civium Albensium praedicto-  
 „rum cum duodecim Juratis, debeat sine debito judi-  
 „care, nec ipsi Cives Nitrienses aliquorum extraneo-  
 „rum Judicum, Palatinorum videlicet, et Comitum

„Provincialium ad stare Judicio teneantur: Sed si  
 „super arduis negotiis definire forsitan ignorarent,  
 „volumus ut ad Nostram praesentiam, vel Magistri  
 „Thavernicorum nostrorum ad examen pro determi-  
 „nanda, et impetranda justitia convocentur, et quo-  
 „tiescunque expedierit, contra inimicos Regni Nostri,  
 „datis ex eis duodecim armatis, sub vexillo Regis  
 „militabunt, quibus etiam, ut eorum numerus auge-  
 „atur, in ipso Castro Nitriensi dedimus forum li-  
 „berum, quod die martis perpetuo celebretur ita,  
 „ut in illud venientes, et recedentes de eodem, sine  
 „aliquo debito tributi cum suis Mercimoniis libere  
 „veniant, et secure recedant. Caeterum dedimus,  
 „et donavimus eisdem hospitibus nostris Nitriensibus  
 „terras regales, in quarum Corporalem Possessio-  
 „nem per fidelem Nostrum Comitem Andream, fili-  
 „um Ivanche, eos mandavimus et fecimus sub testi-  
 „monio Capituli Nitriensis legitime introduci; et  
 „ipsum Capitulum Nobis posthaec suas remisit litte-  
 „ras in haec verba: — Excellentissimo Domino suo  
 „Belae Dei gratia illustri Regi Hungariae Capitulum  
 „Nitriensis Ecclesiae inclinationem, et orationes in  
 „Domino tam debitas, quam devotas. Litteris Vestrae  
 „Serenitatis venerabiliter receptis cum Comite An-  
 „drea misimus unum ex nobis idoneum, et discretum  
 „ad circumeundas terras Hospitum vestrorum de  
 „Nitria per vos collatas, qui socius noster ad nos re-  
 „versus nobis edixit, quod idem Comes Andreas ipso  
 „praesente, omnibus comitaneis, et vicinis earum-  
 „dem simul convocatis, ipsas terras circumvisisset,  
 „seu reambulasset, et statuisset eisdem hospitibus

„vestris, contradictione qualibet non obstante. Qua-  
 „rum quidem terrarum termini, ac cursus metarum  
 „hoc ordine distingvuntur. Prima meta incipit a flu-  
 „vio Nitra nomine, in nemore ab oriente a parte  
 „terrae Ecclesiae nostrae, et venit ad quemdam py-  
 „rum; inde juxta sylvam Job Comitis descendit per  
 „magnam viam ad pyrum; deinde egrediens vadit  
 „juxta sylvam Lodomy et Lucae de Kewzth usque  
 „ad Salicem gibbum: hinc ad tres arbores populaeas,  
 „de quibus ad fluvium Tezlen nomine, ab ipso autem  
 „fluvio revertitur a parte meridionali juxta terram  
 „Deychen venit ad fluvium Nitria; transiens vero  
 „Nitriam juxta terram ejusdem Deychen ascendit  
 „directe per quamdam viam per binas metas versus  
 „locum, qui Deber vocatur, et tendit ad viam Kis-  
 „Uth vocatam; deinde transit ad aliam magnam viam,  
 „qua itur ad Sala, et per eandem juxta terram In-  
 „drich currunt metae terrarum Chey et Chapur; a  
 „fine vero villae Comitis Indrich tendit per eandem  
 „viam a parte meridionali, juxta quam sunt duae  
 „metae; deinde declinat versus occidentem; hinc  
 „revertitur superius juxta magnam viam, quae ten-  
 „dit ad occidentem cum metis, et venit ad tres me-  
 „tas; ab illis autem metis incipit tenere terminos  
 „cum terra Jobbagyionum Castri Nitriensis Wuns  
 „nomine, et per praedictam viam ascendendo cum  
 „tribus metis, et venit ad duas metas angulares juxta  
 „magnam viam, quae vadit ad villam Muchonok, et  
 „per eam viam juxta sylvam nobilium de Ludan,  
 „quae Iwor vocatur; transiens vero ipsam viam ver-  
 „sus septemtrionem ad sinistram, per quamdam ali-

„am viam cum metis ex utraque parte viae memora-  
 „tae usque ad terram Feliciani, et Texae, ac suo-  
 „rum Cognatorum, Jobbagyionum Castri Nitriensis;  
 „et juxta terram eorundem revertitur, et vadit ad  
 „vallem Fabiani, et tendit cum metis versus orien-  
 „tem juxta sylvam eorundem Jobbagyionum Castri  
 „ad duas metas: relictis ipsis reflectitur ad Septem-  
 „trionem ad aliam sylvam, circa quam sunt duae me-  
 „tae; ibi vero relictam terram praedictorum Jobbagyio-  
 „num, Castri vadit juxta terram Ecclesiae nostrae  
 „Czerego nomine cum metis, et cadit ad magnam  
 „viam, et per eandem vadit ad aliam terram Eccle-  
 „siae nostrae Sedew vocatam cum tribus metis, et  
 „cadit ad magnam viam, et transiens ipsam ad dex-  
 „tram descendit, et ascendit in montem, qui dicitur  
 „mons Chypani, et ibi est meta; descendens vero de  
 „monte venit ad Castrum Judaeorum, circa quod est  
 „magna meta; inde tendit ad Civitatem Nitriensem,  
 „ad Curiam Balasey filii Petros, Jobbagyionum Castri  
 „Nitriensis; hinc a superiore parte Palatii cujusdam  
 „Vadas nomine Jobbagyionum Castri Nitriensis; ten-  
 „dit inter Ecclesias B. Virginis, et B. Michaelis, et  
 „descendit inferius ad terram Ecclesiae Nostrae, et  
 „de suburbio venit ad fluvium Nitriae, et transiens  
 „revertitur ad priorem terminum, et ibi terminan-  
 „tur. Metae autem, seu termini terrae eorum Do-  
 „vorchan nomine incipiunt ab oriente a fluvio Cze-  
 „then a parte terrae Ecclesiae nostrae Emeyke nomi-  
 „ne, et a parte terrae Comitum Zubozlay elew nun-  
 „cupatae, et vergit in prato ad tres metas; hinc ite-  
 „rum ad unam, in cujus medio est arbor pomi, inde

„vadit cum terra nobilium de Cheythe, et tendit ad  
 „fluvium Nitriae; quem transiens venit a parte meri-  
 „dionali ad unam metam, in cujus medio est lapis po-  
 „situs; deinde ascendit directe ad montem, qui di-  
 „citur Berch, in cujus latere in virgulto sunt singulae  
 „metae; deinde transit viam, quae ducit ad Nyar-  
 „hid, venit ad duas metas angulares, positas prope  
 „viam Kis-uth supradictam; deinde autem declinat  
 „versus occidentem, per eandem viam venit ad unam  
 „metam, et infra ipsam metam sunt conterminales  
 „terrae Jobbasyonum Castri de Galgoucz, et per  
 „modicum spatium conjungitur terrae Castri Nitrien-  
 „sis Chobay nomine: deinde venit ad tres metas an-  
 „gulares: deinde incipit tenere terminos cum terra  
 „Kewreskyn Dominae Reginae; descendit inferius  
 „per singulas metas versus orientem, venit iterum  
 „ad ipsam viam, quae ducit ad Nyarhid, juxta quam  
 „sunt duae metae terreae; transiens vero ipsam vi-  
 „am, venit ad fluvium Nitriae; deinde vadit per  
 „pratam cum metis, tenens adhuc terminos cum ter-  
 „ra Kuruskin praedicta usque ad fluvium Tezlen, ubi  
 „sunt duae metae, et sic metae ipsius terrae termi-  
 „nantur. Incipiunt etiam metae terrae eorundem  
 „Kuruskin nomine, ab Oriente a parte terrae Do-  
 „mini nostri Episcopi Nitriensis Emeyka vocatae, et  
 „a parte terrae nostrae Castrensis, similiter Emeyka  
 „nuncupatae tendit ad pratam cum singulis metis us-  
 „que viam Kis-uth memoratam, juxta quam sunt  
 „duae metae angulares ex utraque parte ipsius viae,  
 „et per eandem viam tendit ad occidentem juxta ter-  
 „ram Castri Nitriensis Chobay nomine, usque ter-

„ram Tiburcii, filii Musk, juxta terram ipsius Ti-  
 „burcii descendit iterum versus orientem cum metis  
 „usque fluvium Nitria; transiens ipsum fluvium re-  
 „vertitur in pratum cum metis ad dictum fluvium  
 „Tezlen ad eandem Terram Episcopi supradicti, et  
 „sic terminantur. Datum in Octavis Sanct. Michaelis  
 „Archangeli. Ut igitur hujus nostrae Donationis, sive  
 „libertatis series robor obtineat perpetuae firmitatis,  
 „praesentes eisdem dedimus litteras, duplicis sigilli  
 „nostri munimine roboratas. Datum Anno Domini  
 „MCCXLVIII. quarto nonas septembris, Regni au-  
 „tem nostri Anno tertio decimo.“

Has Privilegiales Rex Mathias Anno 1473 Idibus  
 Junii transumit, et post incinerationem Transumti  
 Transumtum novo privilegio confirmavit Ferdinan-  
 dus II. Rex anno 1554. Capitulum autem Nitriense  
 Statutioni Civitatis coram Conventu Zobriensi con-  
 tradixit in hunc modum:

„Nos Conventus Monasterii S. Ipoliti de Zoborio  
 „damus pro memoria; quod Vitus Cantor Ecclesiae  
 „Nitriensis pro Capitulo coram nobis contradixit sta-  
 „tutioni Civitatis Nitriensis hesternae Die factae, ne  
 „juribus Capituli, et Curiae liberae in alta platea in-  
 „ter Curias Petrus, et Lupus Nitriae positae; item  
 „Decimarum majorum, et minorum perceptionis;  
 „carnium macellationis, vinorum et aliorum liquido-  
 „rum popinationis, salium monopolii, quae omnia  
 „in Castro, et Civitate ad solum Capitulum perti-  
 „nent, et per idem usuantur pacifice; similiter libe-  
 „rae plateae Capitularis, et in Castro duodecim Cu-  
 „riarum residentialium, ac liberae lignationis, et

„pascuationis; ita et metarum praedii Kis- Termus,  
 „quas ipsi ab ipso ponte fluvii Nitra versus Meridi-  
 „em, usque ad alteram pirum angulariter ad sylvam  
 „Lodomy vicinatam, quovis modo praejudicet. Da-  
 „tum 10. Kal. Octobris 1248.“

### §. 14.

**XIII. Nicolaus II.** in Confirmationibus Belae IV. Abbatiae de Pilis datis anno 1254 quarto Kal. Julii anno Regni 19no qua Nitriensis Episcopus subscriptus legitur; hoc proinde anno illum Ecclesiae Nitriensi praefuisse certum est: sed num hoc, vel praecedente anno ad Episcopatum accesserit; quove anno desierit, exploratum non est.

Carolus Péterffy C. H. P. I. scribit juxta Codicem quempiam arrosam, quem prae manibus habuit, per Benedictum Archi-Episcopum Strigoniensem anno 1256 Synodum Strigonii fuisse celebratam, illique caeteros inter Episcopos interfuisse Nicolaum Nitriensem. Cum ex arroso illo Codice nomina Episcoporum cognosci haud potuerint, videtur Péterffius e sua conjectura nomina Episcoporum, ut caeterorum, ita nostri Nicolai adjecisse: nam quos indicat, nec cum Prajano Episcoporum Cathalogo, nec cum aetatis, temporisque illius actis publicis consentiunt. Quod ad Nicolaum Nitriensem attinet, dudum antea e vivis excesserit; cum anno 1255 jam compareat Vincentius ejus Successor.

## §. 15.

**XIV. Vincentius.** Qui Vincentium in Bulla Aurea Andreae, prout in Corpore Juris Hungarici continetur, nominatum, Episcopis Nitriensibus adnumerant, illum primum, hunc hujus nominis secundum vocant. Num vero ille Vincentius Nitriensium Praesul fuerit, supra §. 8vo exposuimus. Hunc autem Vincentium Nicolao successisse, ut certum, ita incertum est, quo anno successerit. Ab anno 1255 in actis publicis, Diplomatumque comparet. In adjudicatoriis anno 1255 in Octavis S. Nicolai datis, Rolandus Palatinus, et Vincentius Nitriensis Episcopus Judices a Rege Bela delegati, Botoni de Saag duas portiones terrae ejusdem contra Castrenses Posenienses adjudicant; ita eodem anno iidem Judices terram Csutol Nicolao filio Topus contra eosdem Castrenses Posenienses adjudicarunt; anno dein 1257 sexto Idus febr. Trenchinii Vincentius Episcopus, et Rolandus Palatinus, Comesque Poseniensis Belam Regem terram Castrensiom Oga nomine, Endre, et hujus generationi dimisisse testantur. Vincentium anno 1263 Indict. 6ta quarta Die exeunte Aprili interfuisse Conventui, quem Magister Angelus Clericus, et Domini Papae Nuntius Budae cum Episcopis celebravit, testatur Georgius Jaurinensis Episcopus in testimonialibus, quas circa Litem de Juribus inter Archi-Episcopum Strigoniensem Philippum, et Episcopum Quinque-Ecclesiensem in Conventu illo agitatum, Strigoniensi Archi-Episcopo extradedit: in qua controversia coram Legato Pontificio agitata, de-

in Vincentius noster cum Philippo Vaciensi arbiter fuit delectus. Occurrit in Diplomatum usque annum 1271, quo anno pridie Kalend. Septembris a Stephano V. Privilegiorum Ecclesiae suae confirmationem (P. I. Sect. III. §. 7.) obtinuit. Anno insequente 1272 in festo Annunciationis Virginis gloriosae, penes adjudicatorias eidem restituta est terra Kerne dicta Anno 1274 Vincentius noster Reginae Elisabeth refert super metis terrae reginalis Vársafalu, quam Illa Andreae Comiti de Bara contulit. Postremum Diplomati, quo Ladislaus Rex Sagitarios de Zegved Comitatus Baranyensis in Caetum Regni Nobilium transfert, de anno 1279. tertio Idus Martii, Indictione septima, Regni anno septimo, inter Episcopos insertus legitur.

### §. 16.

**XV. Petrus I.** fuit frater Comitis Wyd, quod patet e testimonialibus Capituli Strigoniensis, ex Authographo Tabularii Ecclesiae Nitriensis descriptis, hujus Tenoris:

„Nos Capitulum Ecclesiae Strigoniensis damus  
 „pro memoria, quod discretus Vir Göl Praepositus  
 „Ecclesiae Dómóssiensis, et Capitulum ejusdem ex  
 „una parte, et Comes Vyd, frater Venerabilis Patris  
 „Domini Petri Dei gratia Episcopi Nitriensis ex al-  
 „tera, ad nostram accedentes praesentiam dixerunt:  
 „quod causam, quam super frusto terrae ad unum  
 „aratrum sufficientis in terra Zub juxta Danubium  
 „versus villam Almás terrae Abbatis de Zebegén vi-

„cinantis, seu conterminantis habebant, in qua etiam  
 „coram Vice - Judice Curiae Domini Regis litem idem  
 „Praepositus, et Capitulum contra ipsum Comitem  
 „Vid suscitaverunt, tandem proborum virorum Arbi-  
 „trio mediante, inter partes, de pari, et consona vo-  
 „luntate, omni commotione litis, et altercatione so-  
 „pita, ac sedata, coram nobis taliter dixerunt se  
 „concordasse: ut, si Mathaeus Cantor et Gyula Cū-  
 „stos Ecclesiae Demessiensis in Octavis B. Margare-  
 „thae V. nunc venientis, super facie praefatae ter-  
 „rae coram Nostro testimonio contra eundem Comi-  
 „tem Vid Sacramentum praestare praesumerint su-  
 „per eo, quod ipsa terra ad unum Arastrum sufficiens,  
 „ex parte terrae Abbatis de Zebegén existens, secun-  
 „dum formam privilegii Nostri antiqui, de ipsa ter-  
 „ra confecti, quod nobis etiam Praepositus et Capi-  
 „tulum exhibuerunt, eorum fuisset ab antiquo, ex  
 „tunc ipsa terra ad Jus et proprietatem Praepositi et  
 „Capituli praefatorum cum utilitatibus suis cedat, seu  
 „devolvatur universis, hoc tamen Articulo interjecto,  
 „quod si quae partium de ipsa ordinatione seu com-  
 „positione resilierit, parti hujusmodi compositionem  
 „servanti, iudicio pars adversa ante litis ingressum  
 „subjacebit; lite nihilominus priori statu, seu vigo-  
 „re remanente. Judicem vero, et Pristaldum partes  
 „de communi placari tenebuntur; partes etiam tertia  
 „Die ipsius juramenti, ut assumssissent, coram No-  
 „bis comparebunt. Datum in passione Petri, et Pauli  
 „Apostolorum Anno Millesimo ducentesimo octava-  
 „gesimo.“

Petrum itaque fratrem Comitis Vid anno 1280. Nitriensem fuisse Antistitem extra dubium est. Qui illum Synodo Budensi, quam Philippus Firmanus Episcopus, Sedis Apostolicae Legatus cum Hungariae Praesulibus celebravit, interfuisse scribunt, eundem post Decessum Vincentii anno 1279 in Sede Nitriensi collocant: quod cum aliqua certitudine affirmari non potest; cum nomina Episcoporum, qui Synodo interfuerant, nota non sint. Vixit in Episcopatu tempora, toti Regno luctuosa. Nam Ladislaus Rex, Chunnus dictus, neglecta Reipublicae cura, Cumanarum mulierum amoribus irretitus, multarum perturbationum Causa fuit, ad quas componendas Nicolaus III. Philippum Firmanum Episcopum Legatum in Hungariam misit, cujus Precibus et monitionibus resipiscere quidem, et meliorem de se spem dare videbatur; mox tamen ad ingenium rediit. Num ultra annum 1280 vitam produxerit, certi non habeo quod dicam. Anno insequenti 1281 successorem habuit Paschasium.

§. 18.

XVI. *Pasca, seu Pascasius.* Dum adhuc esset in minoribus Ordinibus, Stephani V. Regis familiarem Clericum fuisse, Ladislaus Chunnus in suis privilegialibus et Donationalibus de anno 1288 mox exscribendis, perhibet. Fuit primum Praepositus Posoniensis, ob cujus merita Ladislaus IV. Capitulo Posoniensi Praedia Oblincz, et Franczendorf donavit. Anno 1281 ad infulas Nitrienses promotum fuisse, extra dubium ponit Transumtum Privilegialium Ste-

phani V. Regis, Ecclesiae Nitriensi anno 1270. ad preces Vincentii Episcopi concessarum, quas Pascasius anno 1281 in Capitulo Strigoniensi transummi procuravit (P. I. Sect. III. §. 7.) — Anno 1287 terram sex Aratrorum in Possessione Chobay (Czabay) ad Castrum Nitriense pertinente, quam Rex Bela anno 1272 a Castro avulsam, terrisque Indrich de Ludán propter meritoria servitia specialiter in exercitu contra Tartaros, et postea in exercitu contra Regem Bohemorum exhibita, adnexam donaverat, Pascasius ex Legato accepit. Regia vero munificentia Ladislaus IV. Rex merita ejusdem multa et magna, ac inter haec specialiter, quod ad Austriae Ducem missus Legatus, in reditu sui itineris, per Cumanos Regni et Regis hostes captus, Bonis omnibus spoliatus, et quod plus est denudatus, vinculisque enormiter alligatus pluribus diebus fuerit, in dedecus Ordinis Episcopalis, quinque fratribus ejus, ac aliis consanguineis, et familiaribus, circiter numero octodecim Personis inhumaniter, et miserrime interemtis; remuneratus est, dando et donando eidem, et per illum Ecclesiae Nitriensi totales terras, sessiones, possessiones, omniaque alia Jura hospitem suorum Regionum de Nitria, immediate pertinentium ad Regem, intra et extra Castrum Regium Nitriense, ac alias constituta, constituendo Pascasium et ejus Successores praemissorum omnium et singulorum, ac praedictorum hospitem in Sempiternum Dominos, et legitimos Possessores, edito Diplomate, quod sic sonat:

„Ladislaus Dei gratia Hungariae, Dalmatiae,  
„Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae,

**„Cumaniaeque Rex. Universis praesentes Litteras in-**  
**„specturis salutem in largitore salutis. Humanae**  
**„Considerationis obtutus et demonstratio suggerit ra-**  
**„tionis, ut quod cuique justis causis, et titulis legi-**  
**„timis inservientibus conceditur, vel confertur, id**  
**„solidum, et firmum debeat permanere, maxime**  
**„cum aliquid in jus, et proprietatem Sanctae Matris**  
**„Ecclesiae, quae regenerat fideles in Christo, pia**  
**„consideratione donatur. Quidquid enim in proprios**  
**„(pios) usus impenditur, id non amittitur, sed po-**  
**„tius conservatur. Hinc est, quod universorum no-**  
**„titiae tenore praesentium volumus fieri manifestum:**  
**„quod Venerabilis in Christo Pater Dominus Pasca-**  
**„sius, Divina miseratione Episcopus Nitriensis, di-**  
**„lectus, et fidelis noster, quondam familiaris Cleri-**  
**„cus piae memoriae Domini Stephani Regis, Charis-**  
**„simi Patris nostri, cum idem adhuc esset in mino-**  
**„ribus constitutus, eidem Charissimo Patri nostro,**  
**„et nobis postmodum successive in diversis, et ar-**  
**„duis regni nostri negotiis, et agendo servivit fideli-**  
**„ter, multipliciter, et etiam indefesse, se et suos**  
**„viarum discriminibus, malitiis, temporibus impa-**  
**„catis adversitatum, angustiarum, et necessitatum**  
**„nostrarum, in tempestatibus, periculis, et procel-**  
**„lis, pro reformatione boni status coronae nostrae**  
**„regiae, et regni nostri exponere non formidans,**  
**„in fervore fidelitatis eximiae laudabiliter persisten-**  
**„do, et specialiter ad filium Rudolphi Imperatoris**  
**„Ducem Austriae per Nos missus, pro secretis amba-**  
**„siatis Nostris, et legationibus perferendis, in reditu**  
**„hujusmodi sui itineris, cum ad Nostram Curiam re-**

„mearet, per Cumanos hostes, et inimicos capitales  
 „tunc temporis regni Nostri, et Nostros captus, et  
 „bonis omnibus iniquiter fuit spoliatus, et quod plus  
 „est, denudatus, et eorum vinculis enormiter alli-  
 „gatus, sua propria in persona ab eisdem extiterit  
 „detentus, pluribus diebus, in dedecus Ordinis Epi-  
 „scopalis, proh dolor! quinque fratribus ejus, ac  
 „aliis suis consanguineis, et familiaribus, numero  
 „circiter decem et octo personis, inhumaniter, et  
 „miserrime intererentis. Quae omnia et singula prae-  
 „missorum, toto Regno nostro, et nobis sunt, et fu-  
 „erunt luce clarius manifesta; tot, et tantis obsequi-  
 „osis meritis, et meritoriis obsequiis consideratis,  
 „et in nostri memoriam revocatis, ejus fidelitatum  
 „in aliqualem recompensationem, et recompensam,  
 „tamquam pro innumerabilibus paucissima, et pro  
 „immensis exigua, totales terras, possessiones, o-  
 „mnia alia jura hospitem nostrorum de Nitria, im-  
 „mediate pertinentia ad nostram Regiam Majestatem  
 „intra, et extra Castrum Nitriense, et alias consti-  
 „tuta, quocunque titulo habita, possessa, et aquisi-  
 „ta, sub eisdem plenitudinibus, circumstantiis, uti-  
 „litatibus, appendiciis, et pertinentiis universis, qui-  
 „bus praedicti hospites nostri de Nitria tempore Do-  
 „mini nostri Regis Belae, Avi nostri Carissimi feli-  
 „cis recordationis dignoscuntur possedissee, praemissa  
 „eidem Domino Pascasio Episcopo Nitriensi, et per  
 „ipsum ejus Ecclesiae, et Episcopatum de mera libe-  
 „ralitate, et regia munificentia dedimus, donavimus,  
 „et contulimus, tradidimusque Jure perpetuo, et ir-  
 „revocabiliter, pacifice, et plenarie possidenda; to-

„tum Jus et proprietatem, et dominium dictarum  
 „terrarum, possessionum, Sessionum, et aliorum Ju-  
 „rium in eundem Dominium Pascasium Episcopum et  
 „in Nitriensem Ecclesiam, suos perpetuos successo-  
 „res transferentes, infundentes, et conferentes, or-  
 „dinando et constituendo eos praemissorum omnium,  
 „et singulorum, ac praedictorum hospitem in sem-  
 „piternum Dominos, et legitimos possessores tam  
 „plene, et clare, prout collationes Principum et Do-  
 „nationes Regum largius interpretantur, ut super eas-  
 „dem terras, sessiones, et possessiones alios hospites  
 „convocandi, convocatos et congregatos ibidem te-  
 „nendi, et libertatem etiam eis ordinandi, ac ab eis  
 „solitos proventus, et census annuos exigendi libe-  
 „ram semper habeant potestatem; eosdem hospites  
 „a potentia Comitis Nitriensis, quae in eos exerceba-  
 „tur hoc tempore discriminoso minus juste, et de fa-  
 „cto, cum de jure nequeat exerceri, auctoritate prae-  
 „sentium excipientes, solius Episcopatus Nitriensis  
 „Jurisdictioni perpetualiter mancipantes. Ut igitur  
 „hujus Donationis, et Collationis nostrae series ro-  
 „bur obtineat perpetuae firmitatis, nec processu tem-  
 „poris possit per quempiam hominum irritari, seu  
 „etiam retractari, praesentes litteras in perpetuam  
 „firmitatem et memoriam sempiternam duplicis sigil-  
 „li nostri munimine fecimus roborari. Datum per  
 „manus Venerabilis in Christo Patris, Domini Tho-  
 „mae Dei gratia Episcopi Vaciensis, Aulae nostrae  
 „Cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini  
 „MCCLXXXVIII. tertio Idus Maji, Regni autem no-  
 „stri sextodecimo.“

Donationem confirmavit Rex Carolus hoc Diplomate :

„Karolus Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps Salernitanus, et Honoris ac Montis S. Angeli Dominus. Omnibus Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris, praesens scriptum inspecturis salutem in omnium Salvatore. Ad apicem pertinet Regiae Majestatis suorum Praedecessorum Privilegia confirmare, ut per Confirmationis titulum ea inconcussa permaneant, quae suis temporibus Excelsi Principes statuerunt. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: quod Venerabilis in Christo Pater Dominus Johannes miseratione Divina Episcopus Nitriensis, dilectus nobis et fidelis, ad nostrae Serenitatis accedens praesentiam, exhibuit Nobis privilegium Domini quondam Ladislai illustri Regis Hungariae, Patruelis nostri carissimi, felicitis memoriae, super Collatione et Donatione Civitatis Nitriensis, Terrarum, et Possessionum universarum ad eandem pertinentium Episcopatu Nitriensi facta, confectum, et habitum, petens a nobis humili precum cum instantia, ut hujusmodi Donationem per ipsum Dominum Ladislaum Regem factam, ratificare, approbare, et nostro sigillo confirmare dignaremur: cujus quidem privilegii tenor talis est: — Ladislaus etc. (ut paulo ante.) — Caeterum secundum quod in privilegio ejusdem Domini Belae Regis clarae recordationis, evidentissime vidimus contineri, iidem hospites et Cives de Ni-

„tria, eandem Civitatem cum terris, et possessioni-  
 „nibus Chechy, Chapur, Dovarchan et Kuruskyn  
 „vocitatis, ac aliis libertatibus infrascriptis possede-  
 „runt, tenuerunt, seu etiam habuerunt: cujus qui-  
 „dem Privilegii Belae Regis tenor talis est: Bela Dei  
 „gratia etc. (ut §. 13.) Nos igitur Privilegium etiam  
 „Domini Regis Ladislai inspicientes, per singula se-  
 „riatim, quia illud invenimus non abrasum, non can-  
 „cellatum, non abolitum, nec in aliqua sui parte vi-  
 „tium, in Charta, serico, sigillo scilicet, juste pro-  
 „inde et rationabiliter impetratum pariter, et conces-  
 „sum, considerantes nihilominus ex mansuetudine  
 „Regiae Majestatis, quod memoratus Venerabilis Pa-  
 „ter, idem Dominus Episcopus Nitriensis tam fami-  
 „liarem, tam sollicitum se in nostris negotiis, et  
 „mandatis, a toto eo tempore, quo in Regnum no-  
 „strum Hungariae, Jure Geniturae Nobis debitum,  
 „intravimus, exhibuit, fideliter exequendis, ut eti-  
 „am nullo praecedente Donationis titulo, idem a  
 „nostra obtinere celsitudine, per instantiam suae re-  
 „verentiae meruisset, praefatam Collationem Domi-  
 „ni Inclyti Regis Ladislai ratam habentes, et gratam,  
 „imo ejusdem praetitulacionis, seu Consolidacionis  
 „novi Juris ex nunc quodammodo conferentes cum  
 „omnibus praedictis terris, Possessionibus videlicet  
 „Chechy, Chapur, Dovarchan, et Keresken, sub  
 „eisdem metis, ac terminis, ac aliis suis libertatibus,  
 „prout in praedicto privilegio ejusdem Domini Be-  
 „lae Regis continetur, Authoritate nostra Regia du-  
 „ximus confirmandam, approbandam, et appensio-  
 „ne duplicis sigilli nostri novi muniendam. Datum

„per manus discreti Viri Magistri Ladislai Albensis  
 „Ecclesiae Praepositi, Aulae nostrae Vice-Cancellarii,  
 „dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo tre-  
 „centesimo vigesimo tertio, in Festo Divisionis Apo-  
 „stolorum. Regni autem nostri similiter vigesimo ter-  
 „tio. — Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis  
 „Bolezlao Strigoniensi, et F. Ladislao Colocensi Ar-  
 „chi-Episcopis, Joanne eodem Nitriensis, Benedicto  
 „Csanadiensis, Georgio Syrmiensis, Nicolao Jauri-  
 „nensis, Ladislao Quinque-Ecclesiensis, Petro Bos-  
 „nensis, Iyanka Varadiensis, Andrea Transylvanen-  
 „sis, Henrico Veszprimiensis, et Chanadino Agrien-  
 „sis Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus.  
 „Magnificis Viris Philippo Palatino, Comite Scepu-  
 „siensi de Wjvar, Demetrio Magistro Thavernicorum  
 „nostrorum, Comite Bachiensi, et Trinchiniensi, Ma-  
 „gistro Lamperto Judice Curiae nostrae, Comite Csa-  
 „nadiensis, et Nitriensi, Thoma Vajveda Transylva-  
 „niensi, et Comite de Zonuk, Nicolao Bano totius  
 „Sclavoniae, et Comite Soproniensi Paulo Bano de  
 „Macho, Comite Valko, et de Bodrugh, Magistro  
 „Thavernicorum Dominae Reginae carissimae Con-  
 „sortis nostrae, Desew Magistro Agazonum, et Ju-  
 „dice Curiae ejusdem Dominae Reginae, Blasio Ma-  
 „gistro Agazonum nostrorum, Dyonisio Magistro Da-  
 „piferorum nostrorum, et Magistro Nicolao Comite  
 „Posoniensi, ac aliis pluribus Regni Nostri Comita-  
 „tus tenentibus, et honores.“

Has Confirmatorias Patris sui pro Episcopatu  
 Nitriensi datas Ludovicus Rex sequenti forma Con-  
 firmavit:

„Ad perpetuam Rei memoriam. Nos Ludovicus  
 „Rex Hungariae universis declaramus, quod ubi in  
 „Regno nostro Boznae innumerabilis multitudo hae-  
 „reticorum et Patarenorum pullulasset in errorem fidei  
 „orthodoxae, ad extirpandamque de ipso Regno no-  
 „stro ex una parte nos personaliter instaurato valido  
 „exercitu proficiscebamur; ex alia vero parte Vene-  
 „rabilem in Christo Patrem Dominum Nicolaum Ar-  
 „chi-Episcopum Strigoniensem, nostrum Cancellaria-  
 „rium, penes quem utrumque par sigilli nostri au-  
 „thentici habebatur, et Virum Magnificum Dominum  
 „Nicolaum Palatinum cum caeteris Praelatis, Baro-  
 „nibus, et Regni Proceribus in Uzuram destinavera-  
 „mus, quidam familiares ipsius Domini Archi-Epi-  
 „scopi, pro custodia deputati, utrumque par dicti  
 „sigilli nostri praeconcepta malitia subtraxerunt. Nos  
 „itaque praecavaentes, ne ex hujusmodi sigilli nostri  
 „deperditione regnicolis nostris in eorum Juribus  
 „successive periculum possit imminere, sigillum no-  
 „vum in duobus paribus fecimus pro nobis sculpi,  
 „quod ad omnia privilegia nostra, et quondam Do-  
 „mini Caroli Regis Patris nostri sub priori sigillo ejus-  
 „dem, tempore suae Coronationis sculpto, et de-  
 „num per eundem eo, quod sub ipso plurimae infi-  
 „delitates perpetratae, extiterint repertae, perma-  
 „ctato, ac sub alio sigillo ipsius in partibus transal-  
 „pinis casualiter deperdito, confecta juxta tria sigil-  
 „la decrevimus fore apponendum. Ad quaecunque  
 „vero privilegia Paterna dictis duobus prioribus suis  
 „sigillis consignata, quae per eundem Patrem no-  
 „strum per sigilla ejus posteriora, vel per nos cum

„sigillo praemisso deperdito confirmata non haberen-  
 „tur, et ad ipsa privilegia ipsum novum sigillum  
 „nostrum non appenderetur, vel quaecunque paten-  
 „tes litterae nostrae, et Paternae non confirmaren-  
 „tur, ea privilegia et litterae, sicut per eundem Pa-  
 „trem nostrum fuerunt revocata, et annullata, sic  
 „et nos ipsas seu ipsa comisimus viribus caritura,  
 „nullamque roboris obtentura firmitatem, inter quae  
 „praesens privilegium Paternum, omni suspicione  
 „destitutum, et omnia in eo contenta, et expressa  
 „pro eadem Ecclesia Nitriensi, dicti sigilli nostri no-  
 „vi duplicis, et authenticici appressionem innovamus,  
 „et confirmamus; salvis Juribus alienis, Datum per  
 „manus ejusdem Domini Nicolai Archi-Episcopi,  
 „Cancellarii nostri: tertio Idus Maji Anno Domini  
 „MCCCLXIV. Regni autem anno 23tio.“

Praeter Donationem Ladislai Regis, cujus Do-  
 nationales dedimus, saepius transumptas, Paschasius  
 ab Elizabeth Regina reginalem Possessionem Nagy-  
 Kórósskén Ecclesiae suae donatam accepit, quam  
 dum Rex Ladislaus Comiti Erne de Csegi contulisset,  
 Episcopus Pascasius Jus Ecclesiae suae tueri obliga-  
 tus, contradictionem anno 1297 interposuit. Bien-  
 nio antea anno 1295 Petrus filius Szoboszlay de E-  
 móke alteram Possessionem Kóróskén minorem di-  
 ctam, per se injuste occupatam, eidem restituit. Jus  
 quoque Ecclesiae suae relate ad nonnullas Decimas  
 et quartas, a Luca Archi-Episcopo Strigoniensi abs-  
 tractas, a Lodomerio Archi-Episcopo Strigoniensi  
 anno 1285 impetravit: quod qua ratione contigerit,

**in Privilegialibus Lodomeri exponitur, quæ in Transumto sic sonant :**

„**Capitulum Ecclesie Nitriensis omnibus Christi  
 „fidelibus praesentem paginam inspecturis salutem in  
 „salutis Largitore. Ad universorum notitiam tam  
 „praesentium, quam futurorum harum serie volumus  
 „pervenire: quod discretus Vir Dominus Andreas  
 „Plebanus seu Rector Ecclesie Parochialis S. Martini  
 „Confessoris de Kiss, ad nostram personaliter veni-  
 „endo praesentiam exhibuit nobis quasdam litteras  
 „privilegiales honorabilium Virorum Domini Theo-  
 „phili condam Praepositi Ecclesie, et Capituli Stri-  
 „goniensis Tenoris infrascripti, super Decimis qua-  
 „rundam villarum inferius notatarum, ac Quartis  
 „Ecclesiarum de Tapolcsány, de Kiss, et de Koruss,  
 „sigillo eorundem consignatas, supplicans nobis hu-  
 „militer, et devote, ut easdem propter majorem rei  
 „evidentiam et cautelam uberiolem nostris litteris  
 „privilegialibus transscribi, et transsumi facere di-  
 „gnaremur, quarum Tenor talis est: — Theophilus  
 „Praepositus S. Strigoniensis Ecclesie, et Capitulum  
 „loci ejusdem omnibus Christi fidelibus praesentem  
 „paginam inspecturis salutem in salutis Largitore. Ad  
 „universorum notitiam praesentium, et futurorum,  
 „harum serie volumus pervenire, quod Venerabilis  
 „in Christo Pater Dominus Joannes Dei gratia Epi-  
 „scopus Nitriensis, et discreti Viri Capitulum videli-  
 „cet Loci ejusdem, primo Litteras SS. Patris Domi-  
 „ni Lucii III. condam S. Romanae Ecclesie summi  
 „Pontificis felicis recordationis confirmatorias; dein-  
 „de Litteras Venerabilis Patris Domini Lodomerii**

„condam Strigoniensis Archi-Episcopi bonae memo-  
 „riae super Decimis quarundam villarum inferius  
 „notatarum, collatis olim Episcopo, ac Capitulo Ni-  
 „triensi; videlicet: villae Praznocz, villae Bossány,  
 „et villae Kernecz, item super quartis Ecclesiarum  
 „de Tapolcsán, cujus matrix est Ecclesia S. Martini  
 „prope Nitriam, de Kiss, et de Koruss, ac filiarum  
 „suarum, Venerabili in Christo Patri Domino Tho-  
 „mae miseratione Divina Archi-Episcopo Strigonien-  
 „si locique ejusdem Comiti perpetuo, Domino nostro  
 „reverendo, exhiberi curaverunt, petentes eundem  
 „coram nobis, ut easdem ratas haberet, et acceptas,  
 „et in suo vigore sineret permanere. Tenor vero lit-  
 „terarum privilegialium talis est: — Lucius Episco-  
 „pus servus servorum Dei. Dilectis Filiis Canonicis  
 „Nitriensibus salutem, et apostolicam Benedictionem.  
 „Justis petentium desideriis dignum est, nobis faci-  
 „lem praebere consensum, et vota, quae a rationis  
 „tramite non discordant, effectu consequente com-  
 „plere: eapropter dilecti in Domino filii vestris ju-  
 „stis postulationibus grato concurrentes assensu. De-  
 „cimas tum villarum, quarum una dicitur Praznocz,  
 „secunda Bossány, Kernocz tertia, quas Lucas con-  
 „dam Strigoniensis Archi-Episcopus vobis abstulit,  
 „et Venerabilis Frater noster Nicolaus Successor de  
 „assensu Capituli sui reddidit, intuitu pietatis legi-  
 „time confirmavit, sicut eas sine Controversia possi-  
 „detis, Vobis, et Successoribus vestris Autoritate  
 „Apostolica confirmamus, et praesentis scripti Patre-  
 „cinio communimus, statuentes, ut nulli omnino ho-  
 „minum liceat hanc paginam nostrae confirmationis

„infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis  
 „autem hoc attentare praesumserit, indignationem  
 „omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli Apo-  
 „stolorum ejus se noverit incursum. — Item Tenor  
 „litterarum Lodomerii condam Strigoniensis Archi-E-  
 „piscopi bonae memoriae talis est: — Lodomerius  
 „miseratione Divina Archi-Episcopus Strigoniensis,  
 „locique ejusdem Comes perpetuus. Universis prae-  
 „sentes Litteras inspecturis salutem in Largitore salu-  
 „tis sempiternam. Quia consonum est Juri, et con-  
 „sentaneum votum hoc, ut ea, quae examine judi-  
 „cii, aut amicabili compositionis serie, vel alio mo-  
 „do legitimo fine terminantur, ne simul cum laben-  
 „tis temporis curriculo labantur, aut aemula rationis  
 „oblivio hominum, quae labilis est, evellat, litte-  
 „rarum testimonio roborentur: proinde ad univer-  
 „sorum notitiam tenore praesentium volumus perve-  
 „nire: quod cum inter Sacerdotes de villa nostra Czé-  
 „teny Chyma, de Szólós, et Góbze, de Nazvad, De-  
 „cimatores nostros de Cultello nostro Nitriensi ab  
 „una parte, et Venerabilem Patrem Pascasium Dei  
 „gratia Episcopum Nitriensem, ac Capitulum loci e-  
 „jusdem ab altera, quaestio verteretur super Quar-  
 „tis Ecclesiarum de Tapolcsány, cujus Matrix est  
 „Ecclesia S. Martini prope Nitriam, de Kiss, et Ko-  
 „russ, ac filiarum suarum; nec non et super Decimis  
 „trium villarum Praznocz, Bossány, et Kernecz, di-  
 „centibus ipsis Decimatoribus nostris, quod ipsas  
 „Decimas praedictarum trium villarum, et quartas  
 „Ecclesiarum antedictarum idem Episcopus, et Ca-  
 „pitulum suum indebite tollant, et percipiant, cum

„vindemiatione nostra forent constituta: ex adverso  
 „vero per eundem Dominum Episcopum, et discre-  
 „tos viros Stephanum Archi-Diaconum de Trenchi-  
 „nio, et Damianum Archi-Diaconum de Gradna le-  
 „gitimos Procuratores dicti Capituli Nitriensis fuit  
 „taliter responsum, et etiam allegatum, quod quar-  
 „tas praedictarum Ecclesiarum; et filiarum earum-  
 „dem, nec non et Decimas trium villarum antedi-  
 „ctarum juste, et legitime percipiebant; quia prae-  
 „dictae quartae Ecclesiarum ex liberalitate, et devo-  
 „tione Archi-Episcoporum Praedecessorum Nostro-  
 „rum propter paupertatem ejusdem Ecclesiae Nitri-  
 „ensis, et indigentiam ad luminaria et ornamenta,  
 „quibus Ecclesia Nitriensis plurimum indigebat, ad  
 „collectionem Episcopatus Nitriensis Ecclesiae, et  
 „etiam Decimae praedictarum trium villarum ipsi Ca-  
 „pitulo Nitriensi intuitu pietatis in perpetuum datae  
 „essent, et donatae; super quibus litteras et privi-  
 „legia Archi-Episcoporum Praedecessorum nostro-  
 „rum se habuisse dicebant, sed tempore Regis Bohe-  
 „morum et suorum insultus, quo ipsa etiam Eccle-  
 „sia Nitriensis, et tota Civitas lachrimabili incendio  
 „concremata fuerant, amisissent; auditis itaque prae-  
 „sentium Propositionibus, visum est nobis, et fra-  
 „tribus nostris, quod idem Episcopus, et Capitulum  
 „suum assertiones suas testibus idoneis, et instru-  
 „mentis, si quae haberent, legitime comprobarent.  
 „Qui termino assignato assertionis suae per Sacerdo-  
 „tes seniores, et dein majores nostros antiquos fide-  
 „dignos plene per omnia juxta praemissa evidenter  
 „comprobarunt et privilegium Confirmationis Lucii

„III. super Decimis praedictarum villarum ad plenio-  
 „rem fidem probationis Nobis praesentarunt: verum  
 „quoniam idem privilegium, quia originale non ap-  
 „parebat, plenam nobis fidem non faciebat, ipse Do-  
 „minus Episcopus, et quatuor de suo Capitulo, vi-  
 „delicet: Stephano de Trenchinio, Damiano de Grad-  
 „na Archi-Diaconis, Procuratoribus praedictis, et  
 „Petro, ac Desiderio Canonicis Ecclesiae Nitriensis,  
 „cum certo numero testium inductorum, juramen-  
 „tum judicialiter duximus indicendum, qui in die  
 „praestandi juramenti secundum formam Canonica-  
 „lem, ac eis impositam secundum allegationem et  
 „assertionem ipsorum juxta praemissa per omnia di-  
 „ctum praestiterunt Sacramentum cum numero te-  
 „stium praedictorum. Unde quia omnis Controver-  
 „siae finis est juramentum, et pro veritate accipi-  
 „tur, quod juratur; quia clare, et evidenter prae-  
 „missa probaverunt, et juraverunt super eisdem,  
 „ipsas quartas Ecclesiarum praedictarum, videlicet  
 „de Tapolcsány, cujus Matrix est Ecclesia S. Martini  
 „prope Nitriam, de Kiss, et de Koruss, ac filiarum  
 „suarum ad Collectionem Episcopatus Nitriensis, pro  
 „usu ejusdem Ecclesiae ad luminaria et ornamenta,  
 „et ipsas Decimas praedictarum trium villarum, vi-  
 „delicet, Praznocz, Bossány et Kernecz ad Capitu-  
 „lum Nitriense in perpetuum et irrevocabiliter, sen-  
 „tentialiter una cum Capitulo nostro decernimus  
 „pertinere, et in perpetuum robur, et firmitatem sem-  
 „piternam praesens privilegium nostrum eisdem da-  
 „mus sigillo nostro authentico communitum. Datum  
 „per manus Venerabilis Viri Andreae Doctóris Docto-

„rum Praepositi Ecclesiae nostrae Strigoniensis, Can-  
 „cellarii nostri legitimi, Anno Domini 1285, tertio  
 „Die assumptionis Virginis gloriosae. Attendens igitur  
 „idem Venerabilis in Christo Pater Dominus Tho-  
 „mas, Dei gratia Archi-Episcopus Strigoniensis Do-  
 „minus noster reverendus, una nobiscum habita de-  
 „liberatione, pensandoque ea, quae sunt jam firmi-  
 „ter instrumentis stabilita, perpetuo tempore sunt  
 „observanda, omnia, et singula praemissorum, tam  
 „circa Episcopale privilegium, quam circa litteras  
 „privilegiales praedicti Domini Lodomerii condam-  
 „Strigoniensis Archi-Episcopi, Praedecessoris, et A-  
 „vinculi sui bonae memoriae expressa, nedum rata,  
 „sed et grata habeat, et accepta, et in suo vigore ex  
 „nostro assensu voluit permanere, et ipse ex parte  
 „sua similiter de consensu nostro tam dictas Decimas,  
 „quam et quartas memoratas praedictis Domino Jo-  
 „anni Dei gratia Episcopo Nitriensi et Episcopatu,  
 „et suis fratribus de Capitulo Ecclesiae suae dedit,  
 „et confirmavit, cum omni plenitudine Juris eorum-  
 „dem. In cujus rei testimonium, perpetuamque fir-  
 „mitatem praesentes nostro sigillo authentico feci-  
 „mus roborari. Datum per manus discreti viri Joan-  
 „nis Magistri Lectoris Ecclesiae nostrae octavis Pen-  
 „tecostes anno Domini 1313. Nos igitur dignis, et  
 „congruis petitionibus praefati Domini Andreae Ple-  
 „bani favorabiliter inclinati, praedictas Litteras pri-  
 „vilegiales dictorum Praepositi et Capituli Ecclesiae  
 „Strigoniensis praedictae de verbo ad verbum sine  
 „diminutione, et additione aliquali praesentibus lit-  
 „teris nostris inseri fecimus majorem ad cautelam.

„Datum in Festo Beati Bartholomaei Apostoli Anno  
„Domini 1390.“

Anno 1297 Pascasium Nitriensem interfuisse cum Paulo Quinque - Ecclesiensi, Haab Vaciensi, et Theodoro Jaurinensi, Consecrationi Templi Poseniensis Ord. Min. per Jacobum Episcopum, et Vicarium suum peractae, testimonium extradedit Lodomerius Archi- Episcopus Strigoniensis. Hoc eodem an. Jacobi Episcopi Nitriensis Praedecessoris sui fundationales Abbatiae Szkalkensis ratihabuit, et confirmavit. (§. 10.) Num ultra hunc annum vitam produxerit, incertum.

### §. 18.

XVII. *Joannes III.* cum Carolo Roberto in Hungariam venit, quod ipse Rex in suis Donationalibus super Honore Comitatus eidem datis testatur, dum adhuc in minoribus constitutum in aula Regis Siciliae Avi sui fideliter versatum fuisse, et occasione electionis suae, et introductionis in Regnum Hungariae gratissimos famulatus eum exhibuisse ait. Quo anno Infulas Nitrienses gestare caeperit, nihil certi constat: ante annum 1302. in Diplomatibus nulla illius fit mentio. Turbulentissimis, et Episcopatus Nitriensi calamitosissimis temporibus eidem praefuit. A morte namque Andreae III. Hungari diversis studiis ducti, jam Venceslaum Bohemum, jam Ottonem, jam Carolum Robertum Regem elegerunt. Potentia, et autoritate Pontificum Bonifacii VIII. et Clementis V. nixus Carolus, aemulis superior evasit,

operaque Cardinalis Gentilis Legati Pontificii effectum, ut in Conventu Pestiensi Rex fuerit proclamatus, cui Johannes jam Episcopus Nitriensis interfuit. Praesens etiam in Synodo tam Poseniensi, quam Udvardiensi a Thoma Archi-Episcopo Strigoniensi convocata. Ante et post Coronationem Regis Caroli, lateri ejusdem assistens, ab aemulis et adversariis Regis plurima mala tam ipse, quam et Ecclesia Nitriensis, in ipso tempore Electionis ejus miserandum in modum devastata, perferre debuit, quin a fidelitate erga Regem potuerit separari. Ob hanc fidelitatem, ingentia damna, afflictionesque plurimas, Illi Rex Carolus, et per illum legitimis Successoribus Episcopis Nitriensibus Honorem Comitatus, et Officium Supremi Comitis in perpetuum contulit. Audiamus ipsummet Carolum Regem meritoria obsequia in Diplomate Regio exponentem; cujus Tenor est:

„Karolus Dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatiae, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex. Universis Christi fidelibus praesentium notitiam habituris salutem in Domino sempiternam. Ad ea presertim Regia sublimitas sum debet celeste dirigere arbitrium, per que et thesauros thesaurizat in Celis, ubi nec fur furatur, nec latro depredatur, nec erugo consumit, nec tinea demolitur, et terrena ejus dignitas prosperis successibus felici diplomate augmentatur. Hoc autem precipue tunc perfectionis opere completur; cum Deus, per quem Reges regnant, et in Regimine sui solii justa decernunt, condigne honoratur; cum Cultus Divini Numinis in Ecclesiis munificen-

„tiis regalibus attollitur, et cum fidelibus subditis,  
 „praesertim Prelatis Ecclesiarum pro laboribus mul-  
 „tis, pro moribus Castis, pro actibus strenuis, gra-  
 „ta remuneratio in recompensivam vicissitudinem  
 „exhibetur. Proinde ad universorum tam presentium,  
 „quam futurorum notitiam harum serie volumus per-  
 „venire; quod quia Venerabilis in Christo Pater Jo-  
 „hannes Dei gratia Episcopus Nitriensis, dilectus, et  
 „fidelis noster, fungens adhuc in minoribus, cum  
 „adhuc in Sicilie Regno Avi nostri fuisset, et  
 „demum Electionis sue, maxime in eo, quod cum  
 „Venerabili viro Domino Gregorio Electo Strigoni-  
 „ensi, de Consilio, et consensu Prelatorum, Baro-  
 „num, et Nobilium Regni Hungariae in introductione  
 „nostra in Hungariam Regnum nostrum, gratissimos,  
 „et fideles exhibuit famulatus, per quos non modi-  
 „cam penuriam expensarum, et laborum sollicitu-  
 „dinem fuit perpessus, et alia quam plurima grata  
 „obsequia, que per singula, quia longum esset reci-  
 „tare, et presentibus inseri tediosum, fideliter nobis  
 „impendit; tamen pauca de pluribus, praesentibus  
 „duximus inserenda. Primum siquidem ante Corona-  
 „tionem nostram, et postmodum cum Divina gratia  
 „annuente, solium Regni nostri Hungariae fuimus ad-  
 „epti, idem Venerabilis Pater glutino, et Devocione  
 „fidelitatis nobis adherens, indefesse, et continue  
 „absque interpolacione lateri nostro assistens, Eccle-  
 „sia ipsius Nitriensis in ipso tempore electionis sue  
 „per quosdam emulos, et infideles Regni nostri po-  
 „tenciores de illis partibus, fere per triennium ex-  
 „stitit in Decimis, tributis, possessionibus, ac aliis

„Juribus universis desolata, ac miserabiliter deva-  
 „stata; per que eadem Ecclesia ad extreme vastita-  
 „tis exinanicionem, et irreparabilis dissolutionis op-  
 „probrium fuit quasi inremediabiliter deducta; ita,  
 „quod successu plurimi temporis nequit recuperare  
 „pristini, et integri status qualitatem; et eisdem  
 „temporibus idem Venerabilis Pater ex predictis in-  
 „juriis et damnis Ecclesie sue illatis, penuria, pau-  
 „pertate, ac egestate nimia in se, et suis multipli-  
 „citer affectus, nec subsidii a nobis valens habere  
 „solamen, propter Regni nostri intensum dissidium,  
 „patienter, humiliterque hæc omnia comportans, nun-  
 „quam a nobis existit separatns. Præterea idem  
 „Dominus Episcopus evangelice scripture sequens Do-  
 „ctrinam, reliquit pro Deo et justitia, nobis suffra-  
 „gantibus, et pro fidelitate nostre Regie Majestati  
 „debita, Patrem, Matrem, fratres, sorores, cogna-  
 „tos, et propinquos, se et illos prodicioni, invasio-  
 „ni, destruccioni, et inopinatis fortune Casibus pro  
 „nobis exponendo; ex quibus nonnulli preter infinita  
 „dampna rerum, tormentati, afflicti, verbera, et  
 „ludibria experti, nonnulli etiam in hore (ore) gla-  
 „dii pro fidelitatibus, quibus idem Dominus Episco-  
 „pus nobis nitēbatur assidue complacere, sunt occisi.  
 „Quia que plura: hic fuit, qui sequens nostram Re-  
 „giam Majestatem abnegavit semetipsum, atque sua,  
 „et suos: non eum terruerunt mortis minæ, non re-  
 „rum dampna, non Patris, fratrum, cognatorum,  
 „et amicorum continua excidia, non pericula, non  
 „emulationes, non contentiones, non alie temptatio-  
 „nes, que humanam consveverunt fragilitatem ab in-

„cepto bone operationis proposito revocare, et sic  
 „tulit Crucem Domini; et secutus fuit justitiam, et  
 „nostram Regiam Majestatem. Nos itaque volentes,  
 „ut Deus in nostris Donis, et munificentis honore-  
 „tur, et laudetur, et indemnitati, ac paupertati  
 „ipsius Ecclesie Nitriensis per nostram Regiam Ma-  
 „jestatem decenter consulatur, nec non et fidelitati-  
 „bus, ac indefessis, et meritoriis obsequiis ipsius Ve-  
 „nerabilis Patris, quae omnia luce clarius nobis con-  
 „stant, per nos satisfiat, et per nostram regiam Ma-  
 „jestatem eidem condigna remuneratio, et recompen-  
 „satio impendatur, ut ejus exemplo reliquos ad fide-  
 „litatis antidota efficacius accendamus, discant et re-  
 „liqui famulari devocius sub Principe gracioso, Co-  
 „mitatu Nitriensem eidem Venerabili Patri,  
 „et per eum Ecclesie, et Episcopatu Nitriensi de con-  
 „sensu, et voluntate Prelatorum, et Baronorum no-  
 „strorum damus, donamus, conferimus, et tradi-  
 „mus; cum omni plenitudine, et integritate sui Ju-  
 „ris, ex causis premissis Juri, et rationi consenta-  
 „taneis, paucis de pluribus, predictis consimilibus  
 „hic enumeratis, perpetuo, et irrevocabiliter tenen-  
 „dum, habendum, et etiam possidendum. Intenden-  
 „tes etiam in amplioribus pro remediis nostris salu-  
 „taribus; indigencie ejusdem Ecclesie subvenire: cum  
 „in rebus Deo et Ecclesie donatis, sola immensitas  
 „sit mensura. Ut igitur hujusmodi nostra regia ipsi-  
 „us Comitatus Nitriensis Ecclesie donacione, et collacio  
 „rebus obtineat perpetue firmitatis, nec ullo unquam  
 „tempore in irritum possit revocari, seu etiam re-  
 „tractari, praesentes Domino Episcopo, et Ecclesie

„concedimus litteras nostras, duplicis sigilli nostri  
 „munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis  
 „Viri Domini Gregorii Dei, et apostolica gratia ele-  
 „cti, et administratoris Strigoniensis et Albensis Ec-  
 „clesiarum generalis, dilecti et fidelis nostri Vice-  
 „Cancellarii. Anno ab incarnatione Domini Millesi-  
 „mo Trecentesimo secundo, Regni autem nostri se-  
 „cundo.“

Has Donationales mox eodem anno Episcopi transcripserunt, adjecta in contrarium facientes, de voluntate ipsius Regis, Excommunicationis sententia, in hunc modum:

„Universis, quibus praesentes ostenduntur. Nos  
 „Gregorius Dei, et apostolice sedis gratia electus,  
 „et administrator Strigoniensis Ecclesie, Stephanus  
 „ejusdem gratia in Archi-Episcopum Colocensis Ec-  
 „clesie electus et consecratus, Michael Zagrabiensis,  
 „Paulus Quinque-Ecclesiensis, et Nicolaus Boznensis,  
 „Dei gratia Ecclesiarum Episcopi. Memorie comen-  
 „dantes significamus presencium per tenorem: quod  
 „Excellentissimus Dominus noster naturalis Karolus  
 „Dei gratia Rex Hungarie illustris, attendens prout  
 „debet regiam Majestatem, meritoria obsequia, et  
 „obsequiosa merita Venerabilis in Christo Patris Jo-  
 „hannis Dei gratia Episcopi Nitriensis, Collegae no-  
 „stri reverendi, quibus, et quando in minoribus erat  
 „constitutus, et quando ad Episcopalis Dignitatis con-  
 „scendit apicem, sibi continue, et indefesse studuit  
 „complacere, variis periculis, et adversis casibus  
 „fortune se exponendo, habito maturo consilio no-  
 „hiscum praesentibus, Comitatum Nitriensem ipsi

„**Domino Episcopo Johanni Nitriensi, et per eum Ec-**  
 „**clesie, ac ejus successoribus dedit, donavit cum**  
 „**omni plenitudine sui Juris, perpetuo, et inrevo-**  
 „**cabiliter tenendum, habendum, et possidendum, et**  
 „**super hoc litteras suas privilegiales cum pendente**  
 „**sigillo concessit, quarum Tenor talis est: Karolus**  
 „**Dei gracia etc. (ut supra) — Ceterum voluit idem**  
 „**Dominus noster Rex, ut, si quoquam tempore con-**  
 „**trarium facere attemptaret, et predicta revocare co-**  
 „**naretur, sententiam nostram Excommunicationis, quàm**  
 „**in se sponte excepit, et nos proferimus, ex nunc,**  
 „**prout et tunc, in his scriptis incurreret, sui que he-**  
 „**redes, et heredum Successores, aut quicumque alii**  
 „**predicta revocantes, dantes, et conferentes ipsum**  
 „**Comitatum cuicumque alteri de facto, cum Jure non**  
 „**possint, eadem sententia Excommunicationis sint in-**  
 „**nodati eo ipso. In cujus rei testimonium nos litte-**  
 „**ras nostras presentes concedimus sigillis nostris au-**  
 „**tenticis roboratas. Datum et actum prope veterem**  
 „**Budam tertio die nativitatis beate Marie Virginis.**  
 „**Anno Domini Millesimo tercentesimo secundo.**“

Ob fidelitatem, qua Joannes Episcopus continuo  
 adhaesit Carolo, mala plurima, et enormia damna  
 a Mathaeo Trenchiniensi, et illius factionis homini-  
 bus pati debuit. Stabat Mathaeus a partibus Vences-  
 lai Bohemi, a quo Palatini dignitatem accepit; filius  
 Petri condam Palatini de genere Chák, cui idem Rex  
 Venceslaus, nostris etiam Ladislaus dictus, munitio-  
 nes et Oppida, praedia regalia, et reginalia, quomo-  
 docunque per ipsam adquisita, vel qualicumque nomi-  
 ne censeantur, quae ad id tempus possedit, et te-

nuit; ac speciatim Castrum, et Comitatum in Trin-  
 chinio, cum omnibus Civitatibus, atque villis, teloniis, et utilitatibus universis, sylvis, pratis, agris et caeteris pertinentiis quibuscunque ad idem Castrum et Comitatum spectantibus Jure haereditario dedit, donavit, perpetuo possidendum Anno 1302 Kalendis Martii. Ad magnam potentiam eluctatus, etiam postquam Venceslaus regno excessit, Carolo adversatus, ingentes Strages edidit, et vastitates intulit, praesertim in Bonis Episcopi Nitriensis, et Thomae Archiepiscopi Strigoniensis; de his Timon Ep. Chr. ad an. 1312 haec adnotavit: „Mathaeus Trenchiniensis tumultuatur: cuncta loca ex utraque parte Vagi armis occupat; in Nitriensem Episcopum vehementius excandescens, sepulchrum S. Zoëardi depeculatur; muros arcis Nitriensis solo aequat. Urit sylvas Archiepiscopi Strigoniensis, incolas partim caedit, partim in carcerem compingit, Castrum Berzencze evertit, infestis signis imminet Strigonio et Thomae Archiepiscopo.“ Ob tanta facinora per Carolum Regem bello petitus, et in quadam valle circa Hernadam prope Cassoviam praelium commissum; multis ex utraque parte deletis, regii superiores erant, Mathaeus tamen reparatis viribus non antea repugnandi, quam vivendi finem fecit. Quanta per Mathaeum Ecclesiis damna fuerint illata, Clementi V. P., anno 1313 Budae in festo omnium Sanctorum congregati Episcopi, inter quos fuit noster Joannes, perscripserunt. Quae vero mala, quaeve damna intulerit Ecclesiae Nitriensi, specificè exposuit Episcopus Joannes in Excommunicationis sententia, quam contra Ma-

thaeum, suae spirituali Jurisdictioni obnoxium, in Synodo Coloczae celebrata pronunciavit, super quo Episcopi in ea praesentes dederunt testimonium, quod etsi longius, quia ad Calamitates, quibus premebatur Ecclesia Nitriensis, noscendas per oportunum est, per extensum adnotare juverit.

„Universis et singulis, quibus praesentes ostenduntur: F. Ladislaus Dei et apostolicae sedis gratia Archi-Episcopus Colocensis, aulae Regiae Cancellarius, Benedictus Csanadiensis, F. Benedictus Transylvanensis, Nicolaus Jaurinensis, Ivanka Varadiensis Ecclesiarum Episcopi significamus praesentium per Tenorem: quod Venerabilis in Christo Pater Joannes Dei gratia Episcopus Nitriensis, locique ejusdem perpetuus Comes, exsul, et expulsus a Castro, et omnibus Bonis suis per Mathaeum condam Palatinum, filium condam Petri Palatini, et Ecclesia ipsius Cathedralis, ac Civitas terribili incendio concremata, et Castrum ipsius Nitriense, turres, et Maenia Civitatis funditus diruta, nec non et Bonna ipsius, ac Capituli sui per omnia devastata propter constantiam fidelitatis Domino nostro Carolo Dei gratia Regi Hungariae illustri, — et propter executionem sententiarum Excommunicationis et Interdicti Domini Legatorum Sedis apostolicae, videlicet Nicolai, et Gentilis, et Archi-Episcoporum, et Episcoporum Regni Hungariae, quam in eum, ac suos sequaces, ac alios propter occupationem regalem, et ecclesiasticorum Bonorum publicaverunt, — coram nobis promulgarunt, publicarunt, ac de novo protulerunt contra ipsum condam Mathaeum

„Palatinum, sententias Excommunicationis et Interdi-  
 „cti infrascriptas: Nos Joannes miseratione Divina  
 „Episcopus Nitriensis, locique ejusdem perpetuus  
 „Comes significamus — — quod quamvis a felicis  
 „recordationis Domino P. Benedicto, et Domino Gen-  
 „tili S. Martini Presbytero Cardinali, dum in his par-  
 „tibus Legationis officio fungeretur, ac demum a  
 „Dominis Archi-Episcopis, et Episcopis Regni Hun-  
 „gariae et nobis una cum ipsis contra omnes invaso-  
 „res, occupatores, usurpatores, et detentores Bono-  
 „rum Ecclesiasticorum, et praecipue contra ipsum  
 „Mathaeum condam Palatinum, et alios sententia  
 „Excommunicationis, et Interdicti in terram, et Te-  
 „nutam suam fuerat publice, et generaliter promul-  
 „gata: tamen nos volumus, ut damna, et injurias no-  
 „bis et Ecclesiae nostrae per ipsum Mathaeum con-  
 „dam Palatinum, et suos sequaces, de quibus saepe  
 „requisitus nullam justitiam fecit, illatas specialiter  
 „exprimamus. Inprimis siquidem ipse Mathaeus con-  
 „dam Palatinus — mittens totam gentem suam ma-  
 „nu armata, et ibidem personaliter prope existens,  
 „et occupans fraudulenter Civitatem nostram Nitri-  
 „ensem, ablatis omnibus Bonis, ipsam totam cum  
 „Domibus Canonorum terribili concremavit incen-  
 „dio, maenia, et tures ipsius diruit, in quibus no-  
 „bis duorum millium marcarum damnum circiter di-  
 „gnoscitur intulisse. Item tres villas nostras Cheki,  
 „Kurtvelles, et Bulkath succendit igne, et bona ea-  
 „rum abstulit, in quibus 300 marcarum damnum  
 „intulit. Praeterea Curiam nostram, et Domum, et  
 „Jobbagyiones nostros in villa Trenchiniensi existen-

„tes, a tempore mortis Domini Pascasii bonae me-  
 „moriae Praedecessoris nostri occupavit, et Canife-  
 „ros suos ibidem collocavit, in quibus nobis 100 mar-  
 „carum damnum intulit. Ceterum Jobbagyiones no-  
 „stros in villas nostras circa Castrum Trenchiniense  
 „existentes, diversis laboribus, et horroribus, an-  
 „gariis, et perangariis in tantum afflixit, quod quum  
 „antea essent septvagina, modo vix triginta reman-  
 „serunt, depauperati, et parum, vel prorsus nihil  
 „habentes, in quo nobis damnum 200 marcarum in-  
 „tulit leviter aestimando. Item villas, et terras no-  
 „stras Jeszenicha, et Bicha vocatas; item terram Mît-  
 „cha — Opul — Olga — Chapor — et Davarchan deti-  
 „net occupatas. Ceterum cum nobis et Capitulo no-  
 „stro nobilis vir C. Abraham rursus duas possessio-  
 „nes opulentas 50 mansionum Keresnov vocatas, ob  
 „remedium animae suae, et fratris sui, apud Eccle-  
 „siam nostram sepulti, cum litteris Domini Regis  
 „nostri Karoli, et Venerabilis Patris Domini Thomae  
 „Dei gratia Strigoniensis Archi-Episcopi, ac Capi-  
 „tuli Posoniensis donasset, et etiam confirmasset;  
 „ipse hoc audito, habitationes, et homines ipsarum  
 „villarum in Ban villam suam ire compulit, et coe-  
 „git, meliora aedificia et domos in possessiones suas  
 „deferri, reliqua omnia igne comburendo: — in  
 „quibus nobis damnum 300 Marcarum cognoscitur in-  
 „tulisse. Item duas villas nostras Kecha, et Podlu-  
 „san vocatas; item Jobbagyiones Capituli nostri in  
 „Pagan existentes: — ubi 10, aut 20, aut 30 Ca-  
 „pecias habere deberemus, aut possemus, non nisi  
 „unam, aut duas, aut ad plus tres dari permittit.

„Item de Curiis Nobilium Jobbagyionum Castri, de  
 „quibus unum fertonem de aratro habere debemus,  
 „aut dicare eos, prout habent in horreo, dare, et  
 „solvere non permittit. Ceterum de Decimis apum  
 „indesinenter nihil dant, sed ipse, et sui pro se ipsis  
 „recipiunt omni anno, et in terris suis, vel nobili-  
 „um, quas occuparunt, de quibus habere Decimas  
 „debemus, posuit aratra sua, et armenta, ac greges,  
 „de quibus penitus nihil persolvunt, in quibus omni-  
 „bus Decimis nostris infra spatium 15 annorum, quo-  
 „libet anno levi aestimatione 300 Marcarum damnum  
 „dignoscitur intulisse. Ad haec in tributis de Sempte,  
 „de Selia, de Banya, de Colehuk, de Dregma, de  
 „Pregmen, et ubique circa Vag, quantum ad portio-  
 „nem nos contingentem, damnum 200 marcarum in-  
 „tulit- quolibet anno, quo nos Ecclesiae Nitriensi prae-  
 „sidemus. Praeterea in duabus collectis, quas fecit  
 „super populos nostros universos, primo, quando  
 „inter M. Dominicum dati fuerunt obsides Domino  
 „nostro Archi-Episcopo ab utraque parte pro ipsis,  
 „ut dicebatur, redimendis, quum tamen non rede-  
 „merit, sed gratis restituti fuerint. Secundo: pro  
 „nuptiis, quas volebat celebrare cum Duce Austriae;  
 „in quibus omnibus ad valorem 60 marcarum da-  
 „mnum nobis intulit. Praeterea cum in Viennam ad  
 „emendos pannos pro familia nostra vestienda 60 mar-  
 „cas misissemus, in reversione in Tyrna eosdem pan-  
 „nos fecit prohiberi, et ad se deferri, et tandem vix  
 „pannos ad valorem 30 marcarum fecit per Cives Tyr-  
 „navienses restitui, et sic per ipsum damnum 30  
 „marcarum sumus passi. Item 70 boves Nicolaus,  
 „dictus Németh, filius M. Martini in Nitria per spo-

„lium recepit, de quibus nec ipse Mathaeus Palati-  
 „nus, nec M. Martinus aliquem restitui fecerunt,  
 „frequenter requisiti. Item Ladislaus de Hunisch,  
 „qui intulit damnum ad valorem 60 marcarum in ab-  
 „latione rerum Jobbasyonum nostrorum de Szek-  
 „chan, et Emeke, in metendo fruges, et feneta fal-  
 „cando eorumdem, et occidi fecit quinque homines  
 „de ipsis; de quibus idem Mathaeus Palatinus fre-  
 „quenter requisitus, emendam nullam fecit. Item  
 „de Nicolao filio Bucha, qui primo fuit Comes suus  
 „de Nitria, per quem fecit incastellari quamdam ter-  
 „ram de Civitate nostra Nitriensi circa portam, de  
 „quo Castro ad valorem 200 marcarum nobis sunt  
 „damna illata, et occidit quinque homines de Jobba-  
 „gyionibus nostris de Nitria: item de M. Simone filio  
 „Michaelis, qui in praesentia ejusdem Mathaei Pala-  
 „tini evaginato Cultello, volens irruere super nos,  
 „et interficere, vituperia, et verba ignominiosa quam  
 „plurima nobis dixit; et deinde Castrum nostrum Ni-  
 „triense obsedit, et occupavit de voluntate ipsius  
 „Mathaei Palatini, et res nostras ad valorem 200  
 „marcarum in eodem Castro recepit, et praeter haec  
 „Jobbasyonibus nostris de Bodogh, et de Emecke  
 „in verberare faciendo, in tribuendo faciendo de Ka-  
 „los, bona ipsorum auferendo, metendo fruges ipso-  
 „rum, et falcando feneta, et plurimas vexationes in-  
 „ferendo; occidendo etiam ex ipsis, ad valorem 50  
 „marcarum damnum intulit. Item ad Donationes si-  
 „gillorum quolibet anno ab Jobbasyonibus nostris 15  
 „marcas recepit. Item pro pellibus lupinis populos  
 „nostros destruxit. Praeterea ad fossatum Trenchi-

„niense, et ad muniendum cum lignis murum ejus-  
 „dem, ad ligna deferenda pro calce coquenda, pro  
 „meatu aquae vehementis obstruendo, pro arena  
 „fodienda, pro sepibus horti ferarum, pro argilla,  
 „pro cisternis deferenda, et machinis deportandis  
 „huc, atque illuc ad Castra impugnanda, pro victu-  
 „alibus in Castrum deferendis, et trabibus maximis  
 „pro iisdem firmandis; item pro arando, falcando,  
 „faenum purgando a tribulis et spinis, feneta meten-  
 „do, congregando, deferendo in Castrum, aliquan-  
 „do per 14 Dies, vel 16, ita quod non dimittuntur  
 „domum sed retinentur ibidem die, ac nocte, eti-  
 „amsi uxores illorum ibi laborent. Item ad fossatum  
 „de Tapolcsan fodiendum, muniendum cum lignis  
 „maximis, et propugnaculis faciendis; et pro danda  
 „avena, vel glandibus pro feris et bestiis in hortis  
 „conclusis: pro lapidibus in propugnaculis deponen-  
 „dis; et pro muris faciendis diversi ipsius officiales  
 „trahentes ad diversa, et cum fustibus percutientes,  
 „fere omnes Populos nostros destruxerunt. Praeter-  
 „ea Jobbagyiones nostri extrahuntur et recipiuntur  
 „e villis nostris cum omnibus rebus suis, et juribus  
 „nobis debitis. Si qui autem de suis villis, vel suo-  
 „rum vellent venire ad nos, non permittuntur, sed  
 „auferuntur omnia bona eorum. — Abstulerunt in  
 „Bodogh sex Equos, et septem boves, et fruges Job-  
 „bagyionum nostrorum in nocte messuerunt, et de-  
 „struxerunt, et feneta nostra defalcarunt, ita ut in  
 „toto damnum leviter 20 marcarum intulerunt. —  
 „Item Stephanum Abbatem de Szkala per nos exco-  
 „municatum, et irregularem pro eo, quod in exco-

„municatione existens Mathaeo Palatino excomuni-  
 „cato in loco benedicto celebrat, et adhuc non ces-  
 „sat celebrare, contra nos animarunt, et ipsum in  
 „expensis, et in alijs adjuvando, et ipsum deposi-  
 „tum tenendo contra nos. Item Zachur maledictus,  
 „serviens Mathaei Palatini, in nova moneta in Nitra  
 „fecit damnum circiter sex marcarum, et vulneravit  
 „homines, et multas molestias intulit. Ceterum idem  
 „Palatinus de villis noviter congregatis, quas ipse  
 „Lehotas vocat, non dat Decimas, nec permittit de-  
 „cimare, de quibus omni anno possemus habere 30  
 „marcas; et dat eis audaciam, ut propria auctori-  
 „tate instituere possint Capellas, nec permittit nos  
 „visitare Sacerdotes nostros, quibus ipse dominatur,  
 „et confert Ecclesias, quibus vult, et Ecclesiae, quos  
 „vult, de Ecclesiis Jurisdictionem nostram in omni-  
 „bus usurpando: praeterea propriis nostris expensis,  
 „atque huc, ac illuc mittendo, et si non tamquam  
 „Episcopum, sed tamquam Cursorem servire facien-  
 „do penitus nos exinaniens. Item causas Comitatus  
 „nostri omnes vocabat per litteras suas ad iudicium  
 „suum; et quum promitteret in litteris suis, quod  
 „iudicia nobis promitteret reficienda, tamen nihil  
 „dari fecit. Item M. Martinus duellum iudicavit in  
 „Comitatu nostro in Berench, suspendit fures, judi-  
 „cat spoliationes, et omnia iudicia Comitatus nostri  
 „fecit occupari. Item ad Emericum Simonis, ad De-  
 „tricum Castellanum de Kintses, ad C. Benedictum  
 „Sclavum pertinentes, et multo alios fere omnes ex-  
 „emit a iudicio Comitatus nostri. Praeterea si nos  
 „dicebamus, vel dici faciebamus sibi de damnis, aut

„injuriis nobis, vel nostris fratribus, aut servienti-  
 „bus, vel Jobbationibus illatis, semper tum respon-  
 „dit, quod scire velit de his: et tamdiu sic respon-  
 „dendo prorogat; quod quia videmus, quod nihil  
 „velit facere, taedio affecti dimisimus; quia nec in-  
 „juriis, nec expensis, nec equis sufficere potuisse-  
 „mus. Si autem sui dixerunt de nobis, aut pertinen-  
 „tibus ad nos, tunc in continenti eis credit, et vel  
 „percuti, vel dehonestari, aut vagia recipi licentiat,  
 „et semper super pertinentibus ad nos uni eorum vel  
 „suorum plus adhiberi fidem, quam centum verbis  
 „nostris, etiam cum fide prolatis, et sic nos, vel  
 „nostri semper in damno, vel injuria mansimus; sui  
 „autem semper securi et liberi damna intulerunt, et  
 „nobis injuriati sunt per suos, et praecipue de To-  
 „pochin, qui ducunt secum totam Provinciam suo  
 „nomine, et omnes pertinentes ad se. Tributa nostra,  
 „quae adhuc non usurpaverat, solvere non permit-  
 „tebat; super nostros autem ubique recipi faciebat;  
 „cum tamen de libertate Ecclesiae nostrae solvere  
 „non tenerentur. Item cum Civitatem nostram Ni-  
 „triensem et alias villas nostras praedictas combus-  
 „sisset, et eisdem sex annorum postmodum liberta-  
 „tem dedisset, ad aedificia reparanda sylvas, ligna,  
 „et nemora eisdem pro pretio vendi fecit, et suos  
 „liberos permisit ad secandas sylvas nostras, nec ali-  
 „quis de nostris ausus est prohibere, aut pignora re-  
 „cipere, alioquin eos interfici mandavit; et quando  
 „pignora etiam indebita, et absque aliqua causa su-  
 „per nostros mandavit recipi, tum ipsam Provinciam  
 „aut sui perdebant, aut pro medietate illorum redi-

„mere debebant. Ad haec gallinas, anseres, porcos,  
 „boves, et oves dabat Jobbationibus nostris ad pa-  
 „scendum, et impinquandum, et pro ariete agnum  
 „petebat. Nec hoc praetermittas, quod Caniferi ipsi-  
 „us descendebant super villas nostras, et pro se ipsis,  
 „ac canibus, fractis januis, quandoque morabantur  
 „per quindenam, ea quae ipsis placebant, aufere-  
 „bant, aliquando Jobbationibus percussis, aliquando  
 „vulneratis. Sed plura non est humani, sed Divini  
 „ingenii, omnia ipsius facta nefandissima haec, aut  
 „alia plenissime recordari. Nec tamen praedictis fa-  
 „tiosioris suis factis contentus, sed sceleribus scele-  
 „stius elata obstinatione, et obstinata elatione immi-  
 „scens, non credens Dominum esse, in Caelo, legem  
 „in mundo, et paenarum acerbiter in inferno, nos  
 „similiter propter executionem sententiarum Ex-  
 „communicationis et Interdicti praedictorum Legato-  
 „rum Sedis apostolicae, quas in eum, et suos sequa-  
 „ces propter occupationem regalium et ecclesiastico-  
 „rum bonorum Venerabilis in Christo Pater Dominus  
 „Thomas Dei gratia Archi-Episcopus Strigoniensis  
 „ac alii Episcopi de Regno Hungariae, et nos una  
 „cum ipsis promulgavimus, et publicavimus, ac de-  
 „nuo auctoritate propria protulimus, a Castris, et  
 „ab omnibus bonis nostris, nec non et Capitulum no-  
 „strum ejecit, et exclusit; omnia bona nostra et  
 „ipsorum occupando, et concremiando; pro pecunia  
 „diversas collectas, et talias imponendo, et ad ex-  
 „communicationis exinanitionem, et irreparabilis de-  
 „solationis probrum deducendo; obsides a nobis, eti-  
 „am homagium fidelitatis petendo contra Canonicam

„sanctionem et ecclesiasticam libertatem: alioquin  
 „quod diruat Castra nostra, comminando, intendens,  
 „quantum est in ipso, sanctuarium Dei Jure haere-  
 „ditario possidere, et quod dictu horrendum, erigens  
 „calamum suum contra Divinae potentiae Majesta-  
 „tem, calcata reverentia S. Matris Ecclesiae, ipso in  
 „excommunicatione, et Tenuta sui in Interdicto exi-  
 „stentibus; idem colligens apostatas, excommunicatos,  
 „homicidas, et irregulares Sacerdotes, saeculares, et  
 „regulares, sacratissimum Corpus Domini, eos cele-  
 „brare Divina officia faciendo, facit blasphemare alta  
 „voce, et Praepositos, Abbates, et bonos Sacerdo-  
 „tes, qui nollent celebrare, et servare vellent Inter-  
 „dicta, omnia bona eorum auferendo, Claves et Ca-  
 „lices, et omnia ornamenta Ecclesiae Sacerdotibus  
 „legitime constitutis auferens, et aliis apostatis, et  
 „irregularibus tradens ad officia Divina celebranda.  
 „Sigilla etiam Capituli nostri, et Abbatum, Praepo-  
 „sitorum, et aliorum locorum Conventualium per  
 „comminationem, et violentiam ab aliquibus recipi-  
 „endo, et litteris suis juxta voluntatem suam conce-  
 „ptis apponendo: et quod per multos annos nullam  
 „hujusmodi nobis satisfactionem impendit de prae-  
 „missis, imo durior effectus augmentavit; absque of-  
 „fensa Dei, ex officio nostri debito, non volentes  
 „sua facta nefaria ulterius conniventibus oculis per-  
 „transire, ipsum Mathaeum condam Palatinum, et  
 „praedictos nominatos ad ipsum pertinentes; item  
 „Desoh generum suum, Lorandum de Cassa, ac alios  
 „omnes, qui Civitatem nostram Nitriensem, ac alias  
 „villas nostras de mandato ipsius combusserunt, ex

„causis praemissis in praedictorum Legatorum, Ar-  
 „chi - Episcoporum, ac nostram sententias excomu-  
 „nicationis et interdicti denunciavimus incidisse; et ni-  
 „hilominus auctoritate nostra ordinaria, et Diaece-  
 „sana ipsum Mathaeum quondam Palatinum, et o-  
 „mnes praedictos nominatim excommunicamus; et te-  
 „nutam suam interdicto ecclesiastico supponimus de  
 „novo in his scriptis, petentes eos tanquam excomu-  
 „nicatos ab omnibus Christi fidelibus arctius evitari.  
 „Hanc autem sententiam Excommunicationis et Inter-  
 „dicti de voluntate, et consensu praedicti Venerabi-  
 „lis Patris Domini Ladislai Archi - Episcopi Colocen-  
 „sis publicavimus, et protulimus ipso, et praedictis  
 „Venerabilibus Patribus personaliter in Ecclesia B.  
 „Petri Apostoli Colocensi constitutis. Datum Colocae  
 „feria VI. proxima ante Dominicam: Esto mihi. An-  
 „no Domini 1318.“

Eadem Die anathema rursus sic innovavit: —  
 „Nos Joannes Dei gratia Episcopus Nitriensis, loci-  
 „que ejusdem Comes perpetuus significamus praesen-  
 „tium per tenorem: quod, quamvis Mathaeus quon-  
 „dam Palatinus, filius quondam Petri Palatini, et sui  
 „sequaces a nobis legitime sint excommunicati, et pro-  
 „pter enormes suos excessus Tenuta ipsorum inter-  
 „dicta, prout in allis litteris patentibus constat: ta-  
 „men quia praedictus Mathaeus quondam Palatinus,  
 „his non contentus, de novo Castrum nostrum Nitri-  
 „ense horribili concremari fecit incendio, ex quo  
 „etiam Ecclesia nostra Cathedralis, prope idem Ca-  
 „strum existens, et Codices, libri; Pontificalia, Ca-  
 „lices, Campanae, reliquiae, ornamenta Sacerdotum,

„et Abbatum, et Corpora dictorum Sanctorum, sci-  
 „licet Zoëardi, et Benedicti Martyrum, et alia o-  
 „mnia indifferenter sunt exusta, et demum ipsum Ca-  
 „strum nostrum Nitriense penitus destrui fecit, et  
 „dirui, Magistrum etiam Martinum filium Bugai, De-  
 „tricum Castellanum ipsius de Ghimes; Thomam Co-  
 „mitem, dictum Lean, et Michaelem filium Mauriti  
 „Bani, et alios, qui de mandato ipsius haec egerunt,  
 „quae non debuerunt; quum plus obedire debuissent  
 „Deo, quam sibi, et quaelibet mala perpeti, quam  
 „malo consentire: Magistrum etiam Simonem filium  
 „Michaëlis de genere Kackuch, qui de mandato ipsi-  
 „us Castrum nostrum Nitriense primus post aliquod  
 „intervallum temporis ipsum Castrum Nitriense, Ci-  
 „vitatem nostram Nitriensem, tributa, molendina, et  
 „alias villas nostras et possessiones circumadjacentes  
 „ipsi Magistro Simoni contulit: Jobbagyionem etiam  
 „nostrum ditiozem Nicolaum, villicum de Nitria, capi  
 „faciens per eundem Mathaeum Palatinum et ab eo  
 „extorqueri circiter 100 marcas per Calumnias fa-  
 „ciens. Deindè de ipso Castro Nitriensi et Ecclesia  
 „nostra, ut praediximus, fuerunt omnia concremata,  
 „in quibus omnibus duorum Millium marcarum, et  
 „ultra, et quasi inaestimabile damnum Ecclesia no-  
 „stra, et nos sumus perpassi. Idcirco quamvis ipsum  
 „Mathaeum quondam Palatinum, Magistrum Marti-  
 „num, Magistrum Simonem, et alios inpraedictis man-  
 „data ipsius exercentes, prius excommunicaverimus;  
 „ex aliis tamen causis de novo ex praemissis causis  
 „publice et solemniter excommunicamus, et excomu-  
 „nicatos denunciamus in his scriptis. Hanc autem

„sententiam excommunicationis et interdicti de volun-  
 „tate et Consensu praedicti Venerabilis Patris Domi-  
 „ni Ladislai Archi-Episcopi Colocensis publicavimus,  
 „et protulimus; Ipso, et Venerabilibus Patribus per-  
 „sonaliter ad Ecclesiam B. Petri Apostoli — Colocen-  
 „sem constitutis, ipso Damino Archi-Episcopo con-  
 „sentiente. Datum Colocae feria VI. proxima ante  
 „Dominicam: Esto mihi. Anno 1318. Idem Domi-  
 „nus Episcopus Nitriensis, ut in testimonium hujus-  
 „modi publicationis et prolationis suarum sententia-  
 „rum litteras nostras sibi dare deberemus, petiit.  
 „Nos autem annuentes justis ipsius petitionibus prae-  
 „sentes litteras nostras testimoniales eidem damus,  
 „sigillis nostris munitas. Datum anno Domini prae-  
 „notato 1318.“

Mathaeo e vivis sublato, non mediocri teneba-  
 tur sollicitudine Joannes Episcopus, ut occupatas per  
 homines Mathaei Possessiones Ecclesiae suae revin-  
 dicaret, et exusto Tabulario novis privilegialibus fir-  
 maret. Erga ejus supplicationem Rex Carolus anti-  
 quiorum Regum Donationales transcripsit, et nova  
 Donatione roboravit. (§. 17.) Super Possessione Cha-  
 pur, quae arbitrio Judicum, Philippo filio Bogomi de  
 Chobi, et Joanne fratre, visis Episcopatus privilegiis  
 spontanea voluntate renunciantibus, et dictam Pos-  
 sessionem Chapur pacifice, et quiete eidem Domino  
 Episcopo Nitriensi, et suis Successoribus, ac Eccle-  
 siae Nitriensi, in perpetuum relinquentibus, reddita  
 fuerat, Confirmationales Regis anno 1326 impetravit.  
 Simul etiam eodem anno 1326. VII. Kal. Jan. pro Ca-  
 pitulo suo Nitriensi Privilegiales obtinuit, quibus Rex

Carolus Possessiones Capituli, quarum instrumenta et privilegia in vastatione, et combustione Ecclesiae per aemulos, et infideles Regni sui facta concremata, et in cinerem redacta fuissent, per Capitulum Strigoniense cum homine Regio revisas, nova Donatione concessit, et confirmavit. Hoc etiam tempore Bona Abbatiae B. M. V. de Koloss fuerunt restituta; de hac Abbatia, cum intra Dioecesim Nitriensem constitutur, mox plura dabimus.

Joannes Episcopus Diplomatus ab anno 1323, usque 1327 insertus legitur. Postremum occurrit in Diplomate, quo Rex Carolus Abbatiae Szaladiensis privilegia confirmat 1328. 14ta Kl. Febr. anno Regni sui 28vo, qui etiam postremus Joannis vitae fuit: quia in Diplomate ejusdem anni 1328 mensis Decembris jam occurrit Mesko Episcopus Nitriensis. Eapropter Benedictus, quem Martinus Szent-Iványi, et qui eum sequuntur, Joanni Episcopo Nitriensi dant Successorem, locum non habet. Si quid video, deceptus est Szent-Iványius, qui Benedictum, hoc tempore Csanadiensem Episcopum, Nitriensem putavit.

### §. 19.

#### De Abbatia B. M. V. Kolossiensi.

Possessio Kolos in Comitatu Nitriensi, non procul a Bossán, posita est. Ab antiquissimis temporibus habet Monasterium, sive Abbatiam B. M. V. Ordinis S. Benedicti. Eam ex antiquissimis, primisque in Hungaria fuisse, vestigia in Archivo S. Mar-

tini in Monte Pannoniae supersunt: incertum tamen quis ejus fuerit Fundator. Hujus Bona per homines Mathaei Trenchiniensis direpta, Carolus Rex per Capitulum Nitriense revisa, reddi praecipit, Diplomaeque suo confirmavit, hoc Tenore:

„Karolus Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae,  
 „Croatae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae,  
 „Comaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps Salernitanus  
 „ac Honoris, et Montis S. Angeli Dominus. Omnibus  
 „Christi fidelibus tam praesentibus, quam futuris,  
 „praesens scriptum inspecturis salutem in eo, qui Re-  
 „gibus dat salutem. Pium est Ecclesiis providere,  
 „quarum Precibus non solum status temporalis con-  
 „servatur, verum etiam aeterna praemia comparan-  
 „tur. Proinde ad universorum notitiam harum serie  
 „litterarum volumus pervenire: quod vir religiosus  
 „Frater Ladislaus, Abbas Monasterii gloriosae Virgi-  
 „nis de Koloss, dilectus et fidelis noster, ad nostram  
 „accedens praesentiam, quasdam Possessiones Kólos,  
 „Glodna, Pechrus, Kyrnech nominatas, asserens  
 „ipsas ad dictum Monasterium de Koloss immediate  
 „pertinere, a nobis dicto Monasterio reddi et resti-  
 „tui humiliter postulavit. Nosque proinde juxta Con-  
 „suetudinem Regni nostri Hungariae, fidelibus no-  
 „stris, Capitulo Ecclesiae Nitriensis, ut mitterent te-  
 „stimonium eorum fidedignum cum Andrea filio Hu-  
 „clow de Kiss-Tapólchan nomine nostro, memora-  
 „tas possessiones per veteres metas et antiquas co-  
 „ram suis cometaneis et vicinis idem homo noster  
 „praedicto Monasterio statueret, si non fuerit con-  
 „tradictum, Contradictoribus contra eundem Abba-

„tem ad nostram citatis praesentiam legitime, litteris  
 „nostris generalibus dedimus in mandatis. Tandem  
 „idem Capitulum, fideles nostri nobis rescripserunt  
 „in haec verba esse: — Nos igitur hujusmodi re-  
 „lacione dicti Capituli Ecclesiae Nitriensis, fidelium  
 „nostrorum sic edocti, terras et possessiones memo-  
 „ratas ad dictum Monasterium de Koloss pertinere,  
 „et pertinuisse cognoscentes, revocantesque in me-  
 „moriam obsequia meritoria, et obsequiosa merita  
 „ejus, Fratris Ladislai Abbatis de Koloss, quae no-  
 „bis cum constantia summae fidelitatis indefesse ex-  
 „hibuit, volentes, ne idem Monasterium, et dictus  
 „Dominus Abbas nostris in temporibus, suis posses-  
 „sionibus aliquid possit privari, et defraudari;  
 „praememoratas possessiones Koloss, Glodna, Pe-  
 „chus, et Kyrnech vocatas, ab antiquo ad dictum  
 „Monasterium pertinentes, cum earum utilitatibus,  
 „et pertinentiis universis, sub metis et terminis ante-  
 „dictis, dicto Monasterio semper Virginis gloriosae  
 „de Koloss, et praedicto Domino Abbati et suis Suc-  
 „cessoribus per eundem in dicto Monasterio residen-  
 „tibus, dedimus, donavimus, et restituimus, ac no-  
 „strae novae Donationis titulo conferimus, ac per-  
 „petuamus, irrevocabiliter possidendas, tenendas, et  
 „habendas. In cujus rei memoriam, perpetuamque  
 „firmitatem praesentes concessimus litteras privile-  
 „giales, duplicis sigilli nostri novi et authentici mu-  
 „nimine roboratas. Datum per manus discreti viri  
 „Magistri Endreae Praepositi Ecclesiae Albensis aulae  
 „nostrae Vice - Cancellarii dilecti et fidelis nostri.  
 „Anno Domini MCCCXXVII. Kalendis Augusti. Ve-

„nerabilibus in Christo Patribus et Dominis, Boles-  
 „lao Strigoniensi, et Fratre Ladislao Colocensi au-  
 „laequae nostrae Cancellario, Ecclesiarum Archi-Epi-  
 „scopis; item Johanne Nitriensi, Ladislao Quinque-  
 „Ecclesiensi Georgio Sirmiensi, Laurentio Vaciensi,  
 „Ivanka Varadinensi, Chanadino Agriensi, Henrico  
 „Veszprimiensi, Andrea Transylvanensi, F. Petro  
 „Bosnensi, et Ladislao Zagrabiensi Episcopis; Ec-  
 „clesias Dei feliciter gubernantibus. Item Magnificis  
 „viris Demetrio Magistro Tavernicorum nostrorum,  
 „Comite Bachiensi, et Trinchiniensi, Mykch Bano  
 „totius Sclavoniae, Comite Simighiensi, et de Sarus;  
 „Comite Alexandro Judice Curiae nostrae, Thoma  
 „Vajvoda Transylvanensi, et Comite de Zolnok; Pau-  
 „lo Bano de Macho Comite Sirmiensi, de Bodrug, et  
 „de Valko; Magistro Nicolao Comite Psoniensi,  
 „Dyonisio Magistro Dapiferorum nostrorum; item  
 „Johanne filio Comitis Babonyk, Magistro Taverni-  
 „corum Dominae Reginae; Dyonisio Judice Curiae  
 „suae; Konya Magistro Dapiferorum ejusdem, et Ni-  
 „colaó Pincernarum suorum, caeterisque quam plu-  
 „ribus Nobilibus Regni nostri Magistratus tenentibus,  
 „et Honores.“

Occurrit ejusdem Abbatiae de Klus, sive Ko-  
 loss mentio in Litteris Capituli Nitriensis, quibus  
 Honorii III. P. Bullam de generalibus Capitulis cele-  
 brandis per S. Benedicti Sodales nostrates, editam,  
 ad petitionem Abbatum transcribit; quarum initium,  
 et conclusio ita sonant: „Capitulum Ecclesiae Nitri-  
 ensis omnibus Christi fidelibus praesentes Litteras in-  
 specturis salutem in Largitore salutis. Ad universo-

rum notitiam harum serie volumus pervenire: quod viri religiosi, et Deo devoti Fratres et Domini Ladislaus de S. Benedicto de juxta Gron, Ladislaus de Kluss, Benedictus de Sceploc, Gregorius de Zoborio, et Thomas de Ludán, Sanctissimi Patris Domini Honorii tertii, Divina miseratione summi Pontificis super celebratione Capituli generalis Ordinis S. Benedicti confectas, etc. — — Datum per manus Magistri Stephani Ecclesiae nostrae Lectoris in Festo B. Lucae Evangelistae Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo septimo.“ — Abbas de Koloss Joannes, cum Thoma Abbate Zuburiensi anno 1342 praesens fuit in Capitulo Ordinis celebrato apud Caenobium S. Andreae Apostoli in Vissegrad Veszprimiensis Dioecesis, in quindenis Festi Pentecostes. Sed post Cladem infelicem ad Mohács, direptis, occupatisque Ecclesiarum et Abbatiarum Bonis, parem cum multis aliis sortem experta, Monasterium incolis vacuum Podmaniczki occuparunt, in fortalitium erexerunt, unde vicinis Nobilibus, et colonis non parva damna intulerunt: ideo positiva lege art. 25. 1547. et 47. 1548 demoliendum praecipiebatur: Ecclesia tamen sive templum conservandum, et Abbas in Abbatia regulari constituendus disponebatur. Id quod factum non fuit: sed Bona Abbatiae hujus collata fuisse S. Virginibus Ordinis S. Dominici, quae metu Turcarum ex Insula Budensi, Leporum nuncupata, e Sedibus suis migrantes apud Kormendinum in coenobio quodam stationem aliquam egerunt; ast brevi, hostili metu, indequoque exturbatae, Tyrnaviam ad Monasterium, quod olim Patres e Divi Dominici fa-

milia cum templo Joanni Bapt. Sacro tenuerunt, modo desertum, eo quod et ipsae ejusdem Ordinis essent, semet receperunt. Cum autem post aliquot annos coenobii aedificium cum templo ita desolatum fuisset, ut nulla sacris Virginibus restaurandi facultas reliqua esset, sed et religiosa Disciplina, quasi succiso nervo aliquantulum solvi coepisset, Forgachius Card. et Archi-Episcopus Strigoniensis cum consensu Mathiae Regis S. Virgines Ponium in Parthenonem Divae Clarae deportandas curavit, et Caenobium cum templo in praesentia quorundam Episcoporum, et optimatum cum quadam solemnitate Patribus Societatis Jesu tradidit anno 1614. Monialibus, quae Ponium comigraverant, emortuis, Bona Abbatiae possederunt Virgines Divae Clarae Posenienses: his per Augustum Imperatorem Josephum II. abolitis, eadem ad Fundum Religionis reciderunt. Titulus Abbatiae B. M. V. de Koloss viris Ecclesiasticis Jure Patronatus Regii conferri solet: quem de praesenti ex Collatione Regia gerit RR. Martinus Miskolczy Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis Canonicus, et Praepositus S. Stephani de Castro Strigoniensi.

### §. 20.

XVIII. *Mesko*, seu *Michael I.* Cl. Praj Sp. H. H. P. 1. Meskonem XII. Kall. Martii 1330 ex Episcopatu Veszprimiensi ad Nitriensem fuisse translatum adnotavit. In quo vir doctus dupliciter erravit. Nam nec illo anno, verum 1328 mox a morte Joannis De-

cessoris; nec ex Episcopatu Veszprimiensi translatus Cathedram Nitriensem obtinuit; sed ex Nitriensi ad Veszprimiensem anno 1333 translatus fuit. Legitur quippe Mesko Episcopus Nitriensis Diplomatum de mense Decembri 1328 insertus. Et in assecratoriis, quas Episcopatum vix adeptus, nobili familiae de Erne quoad Possessionem Kóróskény dedit, ita habet: „Mesko Dei gratia Episcopus Nitriensis etc. — Datum Nitriae in octavis Festivitatibus B. M. V. anno 1328. Quo eodem anno, dum Possessionem Ecclesiae suae Kis-Kóróskény contradicente Capitulo suo vendere et abalienare voluisset, Capitulum Nitriense ex obligatione sibi per SS. Canones imposita, coram Capitulo Strigoniensi sequentem interposuit Protestationem:

„Nos Capitulum Ecclesiae Strigoniensis damus „pro memoria: quod honorabiles Viri Domini Nico- „laus Custos, et Paulus Archi-Diaconus Gradnensis „Canonici Ecclesiae Nitriensis ad nostram personali- „ter accedentes praesentiam, nobis significare cu- „rarunt, quod Venerabilis in Christo Pater Domi- „nus Meskou Episcopus Nitriensis, Praelatus ipso- „rum quamdam possessionem ipsius Ecclesiae Ni- „triensis Kis-kúrúskin vocatam, timore Dei postpo- „sita, per modum venditionis ab eadem Ecclesia Ni- „triensi alienare niteretur; qui ab eadem alienatio- „ne, ad eorum requisitionem cessare nullo modo vo- „luisset; unde prohibuerunt ipsum Dominum Episco- „pum a venditione praedicta, et universos emtores, „specialiter Comitem Zubunya ab emtione et occupa- „tione possessionis praedictae. In eorum protesta-

„tionis, et prohibitionis testimonium praesentes a nobis sibi dari postularunt, quas nos dari fecimus eisdem justitia mediante. Datum in octavis Epiphaniarum Domini Anno ejusdem Millesimo tercentesimo vigesimo octavo.“ Ex his clarum est, Meskonem jam fuisse Nitriensem Episcopum anno 1328. Sed neque translatus fuit Veszprimio, ubi ab anno 1320. usque 1329 Henricum ejus Sedis Episcopum fuisse, ipse Prajus scribit in suo Cathalogo Episcoporum Veszprimiensium, interrompendoque Henrici gubernium, interserit pro aliquot mensibus nostrum Meskonem, qui Nitriae pacifice sederat, eumque anno 1330 Veszprimii collocat; licet in Diplomate quo Carolus eodem anno 1330 octavo Kalend. Augusti, Regni sui 30. jura dictae Ecclesiae Veszprimiensis confirmat, Mesko Nitriensis Episcopus subscriptus legatur. Nec satis, eodem anno 1330. mox iterum Meskoni substituit Henricum, quem a priore distingvens, hujus nominis secundum appellat; cum tamen unus idemque fuerit; atque ita etiam ex uno Meskone plane tres efformet. — Mesko Nitriensis ab anno 1328. usque 1334 Nitriae sedit. Intra decursum horum annorum, quo Ecclesiae Nitriensi praefuit, primum a Carolo Rege obtinuit Praeceptorium de anno 1329 in Festo Conversionis S. Pauli, super reddenda sibi et Successoribus decima parte Tributi de Galgoucz; et super Possessione Praznocz Testamento legata Confirmationales de anno 1333; sed eodem hoc anno cum consensu Capituli sui Possessiones Horov, Levelad in Comitatu Barsiensi sitas, pro reaedificatione Ecclesiae suae per tu-

multuariam revolutionem Stephani Bohemi, filii Zdenk, Regis Caroli specialis inimici, ruinatae impignoravit. Postremum Mesko Episcopus Nitriensis nominatur in Diplomate, VI Idus Decembris 1334, quo Carolus privilegia Monialium Virginis gloriosae de Insula Leporum confirmat, Sede Veszprimiensi, ut in Diplomate additur, vacante. Ad hanc vacantem Sedem Mesko sive ultimis anni hujus, vel primis anni 1335 Diebus fuit translatus, quem Prajus inter Praesules Veszprimienses, hujus nominis secundum nominat, postquam illum jam prius pro aliquot mensibus in seriem perperam intrusisset. In Diplomate anni 1335 non amplius Mesko sed F. Vitus Episcopus Nitriensis legitur; quem Joannes XXII. P. Meskone Veszprimium translato, vi reservati Juris suffecit.

Cl. Praj Meskoni in Episcopatu Nitriensi anno 1334 Successorem dat Fratrem Ulricum, quod qui subsistere possit, non perspicio. Si hunc in quopiam Diplomate, quod vix puto, reperit, errore scribentis F. Viti nomen, in F. Ulrici commutatum fuerit. Nam F. Vitum Meskoni immediate successisse ex mox dicendis pattebit,

## §. 21.

XIX. *Frater Vitus* de Castro ferreo, seu Vasvári, ex Ordine FF. minorum, quem Szirmay ex Comitatu Szathmariensi orum scribit in Descrip. Cott-Szathm. Fuit Caroli Regis Capellanus; anno 1332 ad Milkoviensem Episcopatum designatus, quem Joan-

nes XXII. P. Chanadino Archi-Episcopo Strigoniensi restaurandum, eique F. Vitum Ordinis Minorum Capellanum Caroli Regis praeficiendum commisit. Episcopatu hoc non restaurato, F. Vitus, Meskone ad Veszprimiensem Sedem translato, per Pontificem Joannem XXII. vi reservatae Papalis ad Nitriensem Episcopatum promotus, et Chanadino Archi-Episcopo Strigoniensi per has Litteres commendatus fuit:

„Johannes Episcopus servus servorum Dei. Venerabili Fratri Archi-Episcopo Strigoniensi salutem et Apostolicam Benedictionem. Ad Cumulum tuae cedit salutis et famae, si personas ecclesiasticas, praesertim Pontificali Dignitate praeditas, Divinae propitiationis intuitu, opportuni praesidii, et favoris gratia prosequaris. Nuper siquidem Ecclesia Nitriensi vacante pro eo, quod nos Venerabilem Fratrem nostrum Meskonem Veszprimiensem, tunc Nitriensem Episcopum, licet absentem a vinculo, quo ipsi Nitriensi Ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur, de Fratrum nostrorum Consilio, et apostolicae Potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Veszprimiensem Ecclesiam, tunc vacantem, duximus transferendum, praeficiendo eum illi in Episcopum et Pastorem. Nos volentes eidem Ecclesiae Nitriensi, ne dispendia prolixae vacationis incurreret, paterna sollicitudine praecavere, cum nullus praeter nos ea vice, de provisione ipsius Nitriensis Ecclesiae se intromittere posset, pro eo, quod nos diu ante hujusmodi vacationem ipsius Ecclesiae Nitriensis, omnes Ecclesias Cathedrales tunc vacantes et vacaturas in antea per translationes per nos tunc

„factas, et in posterum faciendas de Praelatis earum-  
 „dem ubilibet constitutis ad alias Ecclesias Cathedra-  
 „les tunc vacantes, et vacaturas apud Sedem aposto-  
 „licam vacare intelleximus, et voluimus, earumque  
 „provisiones dispositioni nostrae duximus reservan-  
 „das; decernentes ex tunc irritum, et inane, si se-  
 „cus super his per quoscunque quavis auctoritate,  
 „scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Post  
 „deliberationem, quam de praeficiendo eidem Eccle-  
 „siae Nitriensi personam utilem, ac etiam fructuosam  
 „cum eisdem nostris Fratribus habuimus diligentem,  
 „demum ad dilectum filium Vitum de Castro ferreo,  
 „electum Nitriensem, Ordinis FF. minorum profes-  
 „sorem, in Sacerdotio constitutum, cui de littera-  
 „rum scientia, vitae munditia, Religionis zelo, ho-  
 „nestate morum, spiritualium prudentia, et tempo-  
 „ralium providentia, et aliis virtutum meritis fide-  
 „digna testimonia suffragantur, direximus aciem men-  
 „tis nostrae: quibus omnibus debita meditatione dis-  
 „cussis, de persona sua nobis, et eisdem Fratribus  
 „nostris ob huiusmodi suorum exigentiam meritorum  
 „accepta, de dictorum Fratrum Consilio eidem Ni-  
 „triensi Ecclesiae in Episcopum praeficimus et Pa-  
 „storem, curam et administrationem ipsius sibi tam  
 „in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie con-  
 „cedendo, firma spe, fiduciaque tenentes, quod di-  
 „rigente Domino actus suos, eadem Nitriensis Eccle-  
 „siae, per suae circumspectionis industriam prospere  
 „dirigetur, et salubria dante Domino suscipiet incre-  
 „menta. Cum igitur idem electus ut in commissa si-  
 „bi Ecclesiae Nitriensis cura facilius proficere valeat,

„tuus favor sibi esse noscatur plurimum opportunus,  
 „Fraternitatem tuam rogamus, et hortamur attente,  
 „per apostolica scripta tibi mandantes, quatenus eun-  
 „dem electum, et Commissam sibi Ecclesiam, tuam  
 „suffraganeam, habeas pro nostra, et apostolicae Se-  
 „dis reverentia propensius commendatum, in ampli-  
 „andis, et conservandis Juribus suis sic eum tui fa-  
 „voris praesidio prosequaris, quod ipse per tuae au-  
 „xilium gratiae se possit in commisso sibi ejusdem  
 „Ecclesiae Nitriensis Regimine utilius exercere, Tu-  
 „que Divinam misericordiam et dictae Sedis benevo-  
 „lentiam exinde valeas uberius promereri. Datum  
 „Avenione V. Idus Maji Pontificatus nostri an. 18vo.“

— Occurrit F. Vitus Episcopus Nitriensis in Diplō-  
 mate anni 1335 mensis Martii; pridie Idus Maji;  
 XIV. Kal. Junii ejusdem anni, ac deinceps usque an-  
 num 1346. — Cum Archi-Episcopo Strigonieosi rati-  
 one Decimarum anno 1335, primo sui Episcopatus,  
 Cambium inivit cum Capituli sui consensu hęc modo :

„Capitulum Ecclesiae Nitriensis omnibus Chri-  
 „sti fidelibus tam praesentibus, quam futuris prae-  
 „sentem paginam inspecturis salutem in omnium sal-  
 „vatore. Ad universorum notitiam harum serie vo-  
 „lumus pervenire: quod Venerabilis in Christo Pater  
 „Dominus F. Vitus Dei et apostolicae Sedis gratia  
 „Praelatus noster, in nostram praesentiam persona-  
 „liter comparendo, oraculo vivae vocis est confessus  
 „in hunc modum: quod quia Venerabilis in Christo  
 „Pater Dominus Chanadinus eadem gratia Archi-Epi-  
 „scopus Strigoniensis, ejusdem loci Comes perpetu-

„us, Decimas quarundam villarum dicti Domini E-  
 „piscopi Praelati nostri Ludán, Ürmén, Citar, et  
 „utramque Bodok vocatarum in Comitatu Nitriensi  
 „habitarum, exceptis Decimis portionum Nobilium  
 „quas haberent, vel habent in eisdem, et quartis  
 „Magistralibus Magistro quartarum persolvendis, sal-  
 „vis remanentibus, per Excellentissimum Principem  
 „Dominum Carolum inclytum Regem Hungariae in  
 „Concambium sibi datarum, quarum Decimae imme-  
 „diate ad ipsum Dominum Archi-Episcopum, et Ar-  
 „chi-Episcopatum Strigoniensem pertinebant, ipsi Do-  
 „mino nostro Episcopo Nitriensi, et Episcopatu in  
 „perpetuum in Concambium terrarum et possessio-  
 „num ipsius Domini Episcopi infranotatarum dedis-  
 „set, donasset, et tradidisset de Consensu et volun-  
 „tate Fratrum suorum, videlicet Capituli Ecclesiae  
 „praedictae: e converso idem F. Vitus Episcopus Ni-  
 „triensis Praelatus noster, quasdam terras seu pos-  
 „sessiones ipsius Episcopatus et Episcopi Nitriensis;  
 „videlicet unam Moky vocatam, quae existit juxta  
 „villam ipsius Domini Archi-Episcopi Vdward nun-  
 „cupatam, a parte septentrionali; item aliam Epi-  
 „scopatus Nitriensis Iwanka-Teleky vocatam, juxta  
 „villam ejusdem Domini Archi-Episcopi Tordas-  
 „keddi vocatam, adjacentem; tertiam vero terram  
 „Perbete dictam, villae ejusdem Domini Archi-Epi-  
 „scopi Perbete vocatae vicinam, et contiguam: quae  
 „quidem terrae ipsis villis Archi-Episcopalibus mul-  
 „tum utiles, et necessariae existerent, cum omni-  
 „bus ipsarum utilitatibus, et pertinentiis universis,  
 „sub metis, et terminis, quibus praedictae posses-

„siones, seu terrae per dictum Domium Episcopum,  
 „et Episcopatum hactenus habitae fuerunt, et pos-  
 „sessae, dedit, donavit, et tradidit, et contulit de  
 „nostro Consensu et beneplacito ipsi Domino Archi-  
 „Episcopo Strigoniensi, et Archi-Episcopatu Jufe  
 „perpetuo, et irrevocabiliter possidendas, et tenen-  
 „das, et habendas. Praeterea idem Dominus Epi-  
 „scopus Praelatus noster quartis villarum praedicta-  
 „rum de Vdward, et Perbete, quas ex Donatione  
 „Archi-Episcoporum Strigoniensium, mediante in-  
 „strumento vigoroso habet, renunciavit ita, quod  
 „ipsas quartas idem Dominus Archi-Episcopus Stri-  
 „goniensis deinceps donandi cui voluerit, liberam  
 „habeat facultatem. In cujus rei testimonium, et per-  
 „petuae stabilitatis augmentum praesentes concessi-  
 „mus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Da-  
 „tum per manus Discreti viri Magistri Stephani Le-  
 „ctoris Ecclesiae nostrae. In Festo S. Mathaei Apo-  
 „stoli, et Evangelistae. Anno Domini MCCCXXXV.“

Jurium Ecclesiae suae conservationi intentus, a  
 summis Pontificibus Benedicto XII. et Clemente VI.  
 Donationem Caroli Regis Joanni Episcopo Praedeces-  
 sori suo factam super Honore Comitatus Nitriensis  
 confirmari petiit, et obtinuit per eorundem Pontifi-  
 cum Bullas sequentes :

„Benedictus Episcopus servus servorum Dei.  
 „Venerabili Fratri Vito Episcopo Nitriensi salutem  
 „et Apostolicam Benedictionem. Cum a nobis peti-  
 „tur, quod justum est, et honestum, tam vigor ae-  
 „quitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sol-  
 „licitudinem officii nostri ad debitum perducatur ef-

„fectum. Exhibita siquidem nobis tua petitio con-  
 „tinebat, quod Charissimus in Christo filius noster  
 „Karolus Rex Hungariae illustris, attendens labores,  
 „et sollicitudines multiplices, ac pericula, et incom-  
 „moda, quae bonae memoriae Johannes Episcopus  
 „Nitriensis Praedecessor tuus, eidem Regi assistendo  
 „consiliis, auxiliis, et favoribus licitis et honestis  
 „pro defensione Regni sui, et irreparabilia damna,  
 „quae Episcopatus, et Ecclesia Nitriensis ab ejusdem  
 „Regis aemulis propterea indebite pertulerat, in  
 „praemium, ac recompensationem, et restauratio-  
 „nem laborum, et damnorum hujusmodi, Comita-  
 „tum Nitriensem, ad eundem Regem pertinentem,  
 „cum Juribus et pertinentiis suis eidem Johanni et  
 „Episcopatu, ac Ecclesiae Nitriensi, Regia liberali-  
 „tate in perpetuum contulit, et donavit; prout in  
 „patentibus litteris inde confectis, ejusdem Regis si-  
 „gillo munitis dicitur plenius contineri. Nos itaque  
 „suis supplicationibus inclinati, quod scilicet ab eo-  
 „dem Rege provide factum est, ratum, et gratum  
 „habentes, in auctoritate apostolica confirmamus,  
 „et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli  
 „ergo hominum liceat hanc paginam nostra **Confir-**  
 „mationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.  
 „Si quis autem hoc attentare praesumserit, indigna-  
 „tionem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli  
 „Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum A-  
 „venione tertio Kalendas Maji, Pontificatus nostri  
 „anno secundo.“

„Clemens Episcopus servus servorum Dei, ad  
 „perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii Debi-

„tum, quo sumus universis orbis Ecclesiis obligati,  
 „pulsat assidue mentem nostram, ut Ecclesiarum  
 „ipsarum utilitatibus continue intendamus, opem et  
 „efficacem operam impendendo, ut quae a Catholicis  
 „Regibus et Principibus, Ecclesiis ipsis liberalitate  
 „provida largiuntur, apostolico fulta praesidio, per-  
 „petuo illibata consistant. Exhibita siquidem Nobis  
 „Venerabilis Fratris nostri Viti Episcopi Nitriensis  
 „Petitio continebat, quod olim clarae memoriae Ca-  
 „rolus Rex Hungariae attendens, quod bonae memo-  
 „riae Johannes Episcopus Nitriensis, ejusdem Viti  
 „Praedecessor, in Introductione ipsius Regis in Re-  
 „gnum Hungariae Jure Geniturae sibi Debitum, per  
 „longos, ac magnos labores, ac sudorum sollicitu-  
 „dines fortunae Casibus suam personam in ipsius Re-  
 „gis negotiis exponendo, expensarum voraginem, et  
 „alia infinita incommoda patiundo, gratissimos et fi-  
 „deles dicto Regi exhibuerat famulatus; quodque  
 „idem Johannes Episcopus ejusdem Regis lateri de-  
 „votae fidelitatis glutino assistendo, et Ecclesia sua  
 „Nitriensis, variis odiis, et persecutionibus aemulo-  
 „rum Regni, et Regis praedictorum in Capite, et in  
 „membris graviter affecti fuerant, et vexati; et quod  
 „licet ipsi aemuli per suas diras persecutiones, sedi-  
 „tiones, et vastus, ac desolationes multiplices ipsum  
 „Episcopum pro eo, quod ipsi Regi viam fidelitatis,  
 „et Justitiae observabat, ac praefatam Ecclesiam  
 „immaniter afflixissent, ac Decimas, et alia Jura sua  
 „subtrahentes, eisdem pluribus temporibus taedio,  
 „gravaminibus aggravassent; tamen eundem Johan-  
 „nem Episcopum ab hujusmodi fidelibus obsequiis

„nequiverant revocare; quamquam multas alias vio-  
 „lentas, et damna alia irrogassent Episcopo, et Ec-  
 „clesiae praelibatis; quodque praefata Ecclesia Ni-  
 „triensis cunctis ejus, et facultatibus per eosdem ae-  
 „mulos propter fidelitatem ipsius spoliati exstiterant  
 „et etiam disrobati, ac Civitas Nitriensis Maeniis,  
 „et turribus usque ad solum prostrata, diruta, et  
 „terribiliter igne cremata fuerat, et propterea vo-  
 „lens, ut ipsa Ecclesia restauraretur, et reformare-  
 „tur aliquantulum in suis Bonis et facultatibus, ex do-  
 „natione sua Regia speciali, ejusque paupertati et  
 „indigentiae subveniri, Comitatum Nitriensem cum  
 „omnibus Juribus, utilitatibus, et pertinentiis suis  
 „universis, tunc ad ipsum Regem spectantem, prae-  
 „fato Johanni Episcopo, et per eum Episcopatum,  
 „et Ecclesiae Nitriensi, etiam de consensu quorum-  
 „dam Praelatorum ejusdem Regni, sibi in hoc assis-  
 „tentium, irrevocabiliter, et realiter, pia et regia  
 „liberalitate contulit, et donavit, prout in patenti-  
 „bus litteris ejusdem confectis, dictorum Regis et  
 „Praelatorum sigillis munitis, quarum tenorem de  
 „verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, ple-  
 „nius et serius continetur; quam quidem Dona-  
 „tionem piae memoriae Benedictus P. XII. Praede-  
 „cessor noster per suas litteras in communi forma  
 „obtentas etiam confirmavit. Quare praefatus Vitus  
 „Episcopus nobis humiliter supplicavit, ut praemis-  
 „sis ex certa scientia Apostolicae firmitatis robur ad-  
 „dicere dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplica-  
 „tionibus inclinati, quae super his ab eodem Rege  
 „pie, ac provide facta sunt, rata, et grata habentes,

„illa auctoritate apostolica confirmamus et praesentis  
 „scripti patrocinio communimus. Tenor autem dicta-  
 „rum Litterarum ipsius Regis talis est: Karolus etc.  
 „(supra §. 18.) Nulli ergo hominum liceat hanc pa-  
 „ginam nostrae Confirmationis infringere, vel ei au-  
 „su temerario contraire. Si quis autem hoc attentare  
 „praesumserit, indignationem omnipotentis Dei, et  
 „beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se no-  
 „verit incursum. Datum apud villam novam Ave-  
 „nionem Die VII. Idus Martii, Pontificatus nostri an-  
 „no secundo.“ Praeterea ad majorem cautelam per  
 Chanadinum Archi-Episcopum Strigoniensem, cae-  
 terosque Episcopos transummi procuravit Privilegi-  
 um Caroli Regis Praedecessori suo Johanni Episcopo  
 concessum, et Privilegiales litteras super eo per Tho-  
 mam Archi-Episcopum Strigoniensem, et caeteros  
 Episcopos confectas. Transumptum hoc stylo est ex-  
 peditum :

„Nos Chanadinus Dei, et apostolicae Sedis gra-  
 „tia Archi-Episcopus Strigoniensis locique ejusdem  
 „perpetuus Comes, Ladislaus Quinque-Ecclesiensis,  
 „Andreas Transylvanus, Ladislaus Zagrabiensis, Ni-  
 „colaus Agriensis, Mesko Veszprimiensis, Rodolfus  
 „Vaciensis, Jacobus Chanadiensis, Petrus Sirmien-  
 „sis Ecclesiarum Episcopi - Universis facimus mani-  
 „festum, quod Venerabilis in Christo Pater Vitus  
 „Dei, et apostolicae Sedis gratia Episcopus Nitrien-  
 „sis, dilectus in Christo Frater noster, exhibuit no-  
 „bis quasdam litteras privilegiales Archi-Episcopi,  
 „et Episcoporum infradictorum, jam de hoc mundo  
 „translatorum, sigillo authentico ipsorum consigna-

„tas tenoris infrascripti; rogando nos, ut ad ma-  
 „rem sui Juris evidentiam, seu firmitatem nostris  
 „privilegialibus auctorizare, et valere nunciaremus,  
 „quarum tenor talis est: Universis etc. (supra §. 18.)  
 „Nos igitur justis, et modestis petitionibus ipsius Do-  
 „mini Episcopi venerabiliter inclinati, attendentes  
 „quod justa et modesta petitio auribus nostris dis-  
 „plicere non debet, sed magis ad exauditionis gra-  
 „tiam admitti meretur, praedictas Litteras, et ea-  
 „rum continentias auctoritate nostra perpetuo vale-  
 „re denunciamus, et sententias in eisdem pronuncia-  
 „tas approbamus, et denuo propalamus praesentibus  
 „nostris litteris mediantibus. In cujus rei firmitatem  
 „praesentes litteras nostris sigillis pendentibus feci-  
 „mus communiri. Datum et actum in Wissegrad in  
 „festo beatae Agatae Virginis et Martiris. Anno Do-  
 „mini Millesimo trecentesimo tricesimo septimo.“  
 Quantopere caverit, ne Juribus Ecclesiae suae ali-  
 quid praejudicii, damnique inferatur, illud quoque  
 argumento est, quod anno 1337 med<sup>o</sup> Magistri Ste-  
 phani Lectoris Ecclesiae suae Nitriensis, filium Lau-  
 rentii de Kaap, et alios ab impignoratione Posses-  
 sionis Pasztoh in Comitatu Nitriensi existentis, velut  
 ad Episcopum, et Ecclesiam Nitriensem pertinere de-  
 bentis, coram Capitulo Posoniensi contradicendo in-  
 hibuerit. Anno Domini 1341. tertio Idus Junii, Vi-  
 ennae pa'en'ibus litteris suis largitus 40. Dierum In-  
 dulgentiam, Ecclesiam S. Stephani P. M. Viennensem  
 in anniversario Dedicationis, et solennioribus Festis  
 visitantibus. — Qua Co-Judex subscriptus ad Judi-  
 catoriis Thomae Vajvodae Transylvaniae, et Comitae

de Szolnok, quibus Possessiones Hachak, et Iva monasterio de Sagh adjudicatae sunt, datis in Wissegrad octava die octavarum festi beati Georgii M. anno Domini 1342. — Ab Elisabeth Regina anno 1341 accepit Donationem super tertia parte tributi de Ponte Trenchiniensi. — Carolo Rege gloriosae memoriae viam universae Carnis ingresso, justis funebralibus, ac dein teste Thuroczio, vel potius Joanne Archidiacono spectatore, et conscio, interfuit Coronationi Ludovici Regis 1343; qua solennitate peracta, dum vidua Regina Elisabeth in Apuliam ad invisendum filium Andream, Regis Ludovici germanum profectura, iter ingredi parabat, Nicolaum Gyletum, et Vitum Nitriensem Episcopum, aliosque spectatae nobilitatis viros sibi pro viae Comitibus delegit. De hoc Itinere Thuroczianus Archidiaconus Chr. P. 3. haec habet: „transito mari multum pacifice pervenit (Elisabeth Regina) in Apuliam, cui obviavit Rex Andreas filius ejus cum Consorte sua Domina Johanna Regina, et Dominam Elisabeth Reginam cum magna solennitate, et gloria receperunt, et ita Neapolim cunctis gaudentibus in Vigilia B. Jacobi Apostoli perduxerunt. Quum igitur in Neapoli haec Regina Hungariae resideret, ducto Consilio ad apostolicam sedem solennes nuncios Nicolaum Palatinum, Paulum Comitem Curiae Regiae, Thomam ruphum, Fr. Vitum Episcopum Nitriensem, Thomam filium Petri; nec non et Archi-Episcopum Beneventanum, ac alios quam plures Nobiles destinavit, ut Dominus Apostolicus (Clemens VI. P.) sua Benedictione Dominum Andream Regem faceret Corona Regia decorari.“ Ita

Vitus Episcopus cum caeteris Legatus Avenionem profectus, praeter bona verba nihil reportavit. Reversus cum Regina in Hungariam, a Clemente VI. P. constitutus administrator in temporalibus et spiritualibus monasterii S. Demetrii Colocensis Diaecesis, ut illud monachis latinis ex Ordine S. Benedicti restauraret, et reformet, Anno 1344 Indictione XXI. Die 13a Mensis Augusti. — Vitam produxit ad annum 1346, quo Diplomati Ludovici de mense Aprili legitur adhuc insertus: sed in Diplomate de eodem anno tertio Idus Junii dato Sedes Nitriensis exponitur *vacare*; prout etiam in Confirmatoriis Ludovici Regis privilegiorum Abbatiae de Szala de anno 1347 pridie nonas Aprilis, Regni anno sexto habetur: *Nitriensi sede vacante*. Hoc eodem anno datus ei successor.

## §. 22.

XX. *Nicolaus III.* quem plures de Monozsló, seu de monte Claudio scribunt; Prajus simpliciter Nicolaum vocat. In Diplomate quo Ludovicus Donationales Patris sui pro Thoma Vajvoda confirmat anno 1347, tertio Idus Julii, jam legitur subscriptus. Qua *electus et confirmatus* Nitriensis Episcopus occurrit etiam in Privilegialibus per Ludovicum Regem Nagy-Bányae datis anno eodem 1347 duodecimo Kalendaris Octobris, anno Regni sexto; et in aliis, quas in favorem Caenobii B. M. V. de Scepus Ord. Cistercededit 8vo Kal. Nov. 1347 aeque *electus et confirmatus Nitriensis* Episcopus vocatur. Dum Rex Ludovicus Germani sui Andreae Apuliae Regis per Joan-

nam Conjugem Reginam, aut hujus hortatu, miserandum in modum interemti caedem ulturus, Neapolim cum Copiis processit, in Comitatu illius fuit Nicolaus electus Episcopus Nitriensis. Hic, dum ad dictae Ludovico Copiae per Carolum Dyrachinum Aquilae, quo se receperant, oppugnarentur, obsessis opportune subvenit; adductis, praeter 200 Nobiles Equites, ac in Italia conductos milites, multis etiam ex Hungariae Proceribus, expeditionis sociis. Estense Chronicon apud Muratorium ad annum 1347 haec habet: „Eodem Mense Augusto Reverendus Pater et Dominus Nicolaus electus et confirmatus Episcopus Nitriensis, Dominus Nicola Tontel Pessony, Dominus Thomas etc. — — Supradicti Barones, Domini Regis Hungariae antedicti recesserunt de Civitate Ferrariae, et ingressi sunt versus partes Abbruzzii in subsidium Civitatis Aquilae, quae obsessa erat a gentibus Ducis de Durazzio, nomine meretricis Reginae Neapolis, Uxoris quondam bonae memoriae Regis Andriaxii (Andreae.)“ — Missus dein per Regem Ludovicum anno 1349 cum Comite Georgio Egervár in causa Joannae viduae Reginae Siciliae Avenionem ad Clementem VI. P. quod ipse Pontifex Guidoni titulo S. Caeciliae Presbytero Cardinali apostolicae Sedis Legato per litteras significavit, quarum hoc est initium: „Dilecti filii Nicolaus electus Nitriensis, et nobilis vir Georgius de Evesvar (Egervár) nuntii Carissimi in Christo Filii nostri Ludovici Regis Ungariae illustris, ad sedem apostolicam venientes, quasdam nobis ex parte ipsius Regis de Credentia litteras detulerunt, multa — proponentes etc. — Avenione X.

Kal. Aprilis anno sexto, seu anno 1349.<sup>6</sup> Hoc anno Avenione redux (scribit Nicolaus Schmidt in Archi-Episcop. Strigon.) Nicolaus de Monoszló seu de monte Claudio sapienter obitae Legationis praemium tulit Infulam Strigoniensem, talisque jam nominatur in Dec. Ludovici de anno 1351. tertio Idus Decembris. Contendit videlicet, eundem Chanadino, quem ex Diplomate Ludovici, quo Donationem Possessionis Zuhna Ecclesiae Varadinensi factam, anno 1350 sexto Idus Martii confirmat, eodem hoc anno aliquamdiu vixisse constat, suffectum fuisse in principe Ecclesia Strigoniensi. Prajus Nicolaum sedem Nitriensem anno 1347 tertio Idus Junii vacuam, regendam accepisse, eamque tenuisse etiam anno 1349 ultro admittit; negat vero illum ex Nitriensi immediate ad Strigoniensem translatum, sed primum Coloczam transivisse; opponitque Schmidtiano Diplomati, de quo non constaret, an authographum, vel apographum fuerit, in quod error irrepere poterat, authographum scriptum Capituli Agriensis de anno 1349. in festo S. Sylvestri P. et M. datum cum hac Inscriptione: *regnante Ludovico Dei gratia illustri Rege Hungariae, Strigoniensi, et Colocensi sedibus vacantibus.* Hanc itaque vacuam sedem Strigoniensem Nicolaum anno 1350. tertio Idus Januar. accepisse, non immediate ex Nitriensi, sed ex Colocensi, quae anno 1349. quarto non. septem. vacua fuit, quamve ultimis ejusdem anni mensibus tenuerit. Nolim equidem inter doctos Duumviros Litem decidere; liceat tamen mihi advertere, authographum Agriense, quod Prajus adversario opponit, illo laborare vitio, quod Sylve-

strum P. dicat Martyrem; tamque crassus error, aut ignorantia in Capitulum Agriense cadere nequeat. Dein: si in festo Sylvestri anni 1349 juxta illud authographum sedes Strigoniensis et Coloczensis vacua fuit, ubi sunt illi ultimi menses, imo Dies anni 1349, quibus juxta Prajum Nicolaus Nitria translatus, Coloczenses infulas gestaverit, ut inde Strigonium promoveri sub initium Januarii 1350. potuerit? cum festum S. Sylvestri ultima Die mensis Decembris Ecclesia celebret.

Longe aliam de nostro Nicolao opinionem tenet Reverendissimus Katona, qui eundem 1349 Zagrabiam, inde Coloczam, postea Strigonium translatum fuisse scribit: simulque eam opinionem evertit, quasi Nicolaus, quem Farlatus in Illyr. Sac. in Albo Ecclesiae Zagrabiensis ex electo Nitriensi Zagrabiensem factum scribit, distinctus a nostro fuisset, prout eundem Prajus distinxit, et duos Nicolaos ex uno fecit, quorum uterque ex Nitriensi Coloczensis, ac dein Strigoniensis fuerit. Ita nempe scribit: Illud Albi Capitularis (Zagrabiensis) testimonium, fidem non meretur, quod sic habet, „Dominus Nicolaus electus Nitriensis, primo Praepositus Strigoniensis et Comes Capellae regiae, per Provisionem Domini P. Clementis anno Domini 1350 feria 4ta post octavam Epiphaniae Domini, Zagrabiam translatus; quum idem Nicolaus in laudato Diplomate 2ae Sept. anno 1349 Zagrabiensis Episcopus appelletur; ac etiam Successor ejus F. Stephanus Nitriensis jam dicatur. Errat etiam Schmidtius in Archi - Episcop. Strig. dum ait, Avenione reducem Nicolaum de Mo-

noszló, seu de monte Claudio, sapienter obitae Legationis praemium tulisse Strigoniensem Infulam ad annum 1351. Nicolaus enim electus Nitriensis, qui Legationem Avenionensem obivit, factus est anno 1349 Zagrabiensis Episcopus, anno 1356 Coloczensis; anno 1358 Strigoniensis Archi-Episcopus. Alius igitur est Nicolaus Strigoniensis Decreto Ludovici Regis anno 1351 subscriptus, qui hoc anno post IV. non. Septembr. Coloczensis, anno sequenti tertio Idus Januarii Strigoniensis est renunciatus. „Quidquid sit de hac controversia, illud certum est, Nicolaum electum, et Confirmatum Episcopum Nitriensem, hanc Sedem anno, 1349 vacuam reliquisse; in qua successit.

### §. 23.

**XXI. Frater *Stephanus I.* ex Ordine Fratrum Augustinianorum, anno 1349 ad Episcopatum eventus, in Diplomatibus Regiis jam Theologiae, jam sacrae paginae Magister appellatus. In Donationalibus, quibus Ludovicus Rex terram Gyoch Joanni Ecclesiae Albensis Custodi ablatam, matri suae Elisabeth donat anno 1349 quarto nonas Septembris, F. Stephanus electus Nitriensis primum subscriptus occurrit; deinceps vero in subsequentium annorum Diplomatibus usque annum 1367 legitur F. Stephanus Episcopus Nitriensis Clausulis inter Episcopos et Magistratus insertus. Pray in Catal. Ep. Nitr. quos sibi continuo succedentes Stephanos Praesules Nitrienses facit, et utrumque Fratrem, seu Virum ex Ordine regulari assumptum. Ait enim in lit-**

teris Nobilium de Vermes VII. Idus Febr. an. 1356. legi Episcopatum Nitriensem vacare: proinde regimen F. Stephani, quem primum hujus nominis vocat, ultra eum annum extendi non posse: et quia anno mox sequenti 1357 in Diplomatum iterum legeretur F. Stephanus Episcopus Nitriensis, hunc a priore distingvit, et hujus nominis secundum appellat, qui ab anno 1357 usque 1367 Ecclesiae Nitriensi prae fuerit, inde Coloczam translatus. Quali Diplomatis, et unde desumpti, exemplari Historiographus noster usus fuerit, non indicat. Ego in iisdem litteris, quibus Ludovicus Rex Jura nobilitatis stirpis Vermessianae confirmat octavo Idus mensis Februarii anno Domini 1356, Regni quintodecimo, haec lego: „quemadmodum etiam veridica relatione Venerabilis in Christo Patris Domini F. Stephani Episcopi Nitriensis, S. Theologiae Magistri, et Magistri Simeonis, filii Mauriti de Megyes Comitis Poseniensis, quos pro quibusdam Juribus nostris restaurandis, et recuperandis in ipsam Civitatem Poseniensem duxeramus destinandos, nos edocente, usque ad haec tempora dicimus perstitisse,“ hisque litteris etiam subscriptum F. Stephanum reperio. Unus igitur, idemque fuit F. Stephanus, qui Nitriae usque annum 1367 sedit, inde Coloczam translatus. Erga ejus petitionem Ludovicus Rex privilegia Ecclesiae Nitriensis per Patrem Carolum concessa, ob furto sublatum in expeditione Bosnensi authenticum sigillum Regium, tertio Idus May anno Domini 1364 confirmavit (§. 17.) Ob insignem eruditionem anno 1359 a Rege delegatus Judex in Dalmatiam missus, ubi ratione controversae

**Decimae Ecclesiae Traguriensis adjudicatorias extradedit Sibenici anno Domini 1359 Indict. XII. Die 22a mensis Augusti sub hac formûla: „Stephanus Dei gratia Nitriensis Episcopus, S. Theologiae Magister, Nicolaus Zeech eadem gratia Banus totius Dalmatiae, et Croatiae; nec non Joannes de Bradeseth Legum Doctor, Serenissimi Principis Domini, nostri Domini Lodovici Regis Ungariae ad partes Dalmatiae et Croatiae Legati specialiter destinati, universis praesentes inspecturis, et audituris salutem in Domino. etc.<sup>4</sup>**

**Morabatur in Dalmatia anno etiam sequenti 1360. quod publicum Instrumentum confectum Jadrae anno 1360 Indict. XIII. mensis Decembris Die 1a testatur; medio cujus Bartholomaeo Episcopo Traguriensi ad solvendum Legato Pontificio Debitum adiutor fuit. — Pro Episcopatu suo Nitriensi Possessionem Üregh cum consensu Regis Ludovici et Nicolai Archi - Episcopi Strigoniensis in Concambium accepit anno 1363. — Ab Urbano V. P. anno 1364. 5to Kal. April. Avinione Pontificatus anno secundo, delegatus ad revocanda, et rescindenda ea, quae a Monasterio S. Benedicti de juxta Gron alienata fuerunt. — Dum Michael Palaeologus graecorum Imperator, subsidii petendi causa in propria persona Budam ad Regem Ludovicum venisset; et jurejurando spondisset, se cum filiis suis ad unionem cum Ecclesia Romano - Catholica redire, eaque omnia, quae Pontifex facere jusserit, explere velle; cum lacto hoc nuncio anno 1366 Stephanus Episcopus Avenionem ad Urbanum Pontificem fuit missus, qui magnopere laetatus, illum, Archi-Episcopos, et Palatinum per**

**litteras hortatus est, ut pium Regis ardorem foveant, exponendo periculum, quod Hungariae immineret; haec caetera inter in datis ad Regem Litteris habet: „quae omnia (pericula) tu acceptissimus Deo Princeps, quem Deus igne devotionis accendit, illustravit victoriis, et potentia corroboravit, pie considerans, ac in tanta miseria, ac periculo constitutis caritativa tua humanitate compatiens, spiritu Consilii et fortitudinis indutus, et etiam confortatus, sicut per Venerabilem Fratrem Nostrum Stephanum Episcopum Nitriensem, ambasiatorem tuum, propter haec specialiter ad Sedem Apostolicam destinatum, nobis significari curasti: etc. Datum Avenione Kalend. Julii anno 4to Pontificatus.“ — Postremum occurrit F. Stephanus Episcopus Nitriensis in Diplom. Ludovici de VIII. Kal. Aprilis anni 1367 quo monialibus Veteris Budae Molendinum in aquis calidis contulit. Eodem anno translatus ad Metropolitanam sedem Colóczensem, cum qua ab anno 1380. titulum Patriarchae Jerosolymitani conjunxit.**

### §. 24.

**XXII. Ladislaus I.** vacuam per Translationem F. Stephani sedem Nitriensem occupavit, subscriptus Diplomati, quo Ludovicus Rex Donationales Monialibus Divae Clarae de Vetere Buda super Possessionibus Felső et Alsó Adrian Comitatus Csongrád factas cum reambulatoriis confirmat, anno 1367 quinto Kal. Novemb. ubi in Clausula F. Stephanus Coloczensis Archi-Episcopus, et Ladislaus Nitriensis Episcopus.

occurrit. Fuisse Ladislaum e nobili familia Demjen, docet Ludovici Regis Donatio Illi, et per eum fratribus facta hoc tenore: „Ludovicus Rex Hungariae Domino Ladislao Episcopo Nitriensi fideli suo et dilecto, et per eum Nobilibus viris Nicolao, Laurentio, et Benedicto de Demjen fratribus suis Carnalibus Possessionem — — novae regiae Donationis titulo dat, et donat. Vissegrad in Octavis Paschae Domini proxime praeteriti anno 1370.“ Hoc eodem anno ad Jusdicendum in Dalmatiam missus cum Magistro Saraceno, in causa Civium Traguriensium, et Pharensium sententiam pronunciavit. Sententionales, seu adjudicatoriae sic incipiunt: „Nos Ladislaus Dei et apostolicae Sedis gratia Episcopus Nitriensis, et Magister Saracenus Comes Camerae Quinque-Ecclesiensis, Legati visitatores Regiae Majestatis Hungariae in Partibus Dalmatiae, et Croatiae pro tribunali sedentes in Palatio Cois (Comunitatis) Trag. ad jura reddenda, de Consilio, et communi assensu, et voluntate infrascriptorum rev. et petentium Dominorum; videlicet, rev. in Christo Patris Domini Patris Dominici Archi-Episcopi Jadr., religiosi viri Domini Fratris Bandoni Cornuti, Prioris Cruciferorum Ord. Jerosolymitani de Aurana, — rev. in Christo Patris Domini Nicolai Dei et apostolicae sedis gratia Episcopi Trag. et egregii regii militis Domini Joannis de Grisogonis de Jadra supra lite et quaestione vertente etc. — Datum Trag. Die 29na Mensis Maji anno nat. 1370. octava Indictione.“ In Diplomatum anni 1371. legitur adhuc subscriptus. Transumptum originale Privilegialium Monasterii Zobriensis super Possessionibus

bus Kendi, et Kőröskény pro parte Episcopi Ladislai de anno 1372 feria 6ta proxima ante festum beatae Margarethae V. et M. ostendit illum anno 1372 Nitriensi Ecclesiae adhuc praefuisse: incertum tamen, num Trenchinii fuerit, dum Ludovicus Rex ibidem colloquium habuit cum Patriarcha Alexandrino, quem Imperator Carolus ad Regem misit; ubi idem Patriarcha et Legatus antiquam litem inter Thomam Archiepiscopum Strigoniensem, et Venerabilem Patrem F. Abbatem Monasterii de juxta Gron Ordinis S. Benedicti decidit, super quo litteras dedit, quae incipiunt: „Nos Joannes Dei gratia sedis Alexandrinae Patriarcha, apostolicae sedis nuntius, et Legatus, ad omnium quorum interest, vel interesse poterit notitiam deducimus per praesentes; quod quum anno Domini 1371 per SS. in Christo Patrem, et Dominum nostrum Dominum Gregorium Divina Providentia P. XI. Pontificatus ejusdem anno primo, principaliter pro reformatione pacis et Concordiae inter Serenissimos Principes et Dominos, Dominum Carolum IV. Imperatorem semper Augustum, et Bohemiae Regem ab una, et Dominum nostrum D. Ludovicum Dei gratia Hungariae, Poloniae, Dalmatiae etc. Regem illustrissimum et Duces Bavariae parte ex altera — — destinati fuisset etc. Die lunae 28va mensis Junii anno Domini 1372. Indic. X. in Claustro Conventus fratrum Min. Castri, sive loci de Trenchinio, in Domo seu Claustro Conventus FF. Minorum Nitriensis Dioecesis Partibus supradictis praesentibus. — — Datum in Trenchinio in Domo, seu Claustro Conv. fratrum Minorum Nitriensis Dioecesis Anno,

Die, quibus supra. Pontificatus disti Domini nostri PP. anno secundo.“ — Ex his innotescit Claustum et Conventum Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci Trenchini eorum existisse: quo loco, et quamdiu perduraverit; non habeo, quod dicam.

Sed nequeo praeterire, hoc tempore anno 1369. in Elefánth Comitatus Nitriensis, nunc ad Dioecesim Nitriensem pertinente, Monasterium S. Joannis Bapt. pro Fratibus Eremitis S. Pauli consurrexisse, de quo in Annalibus ejusdem Ordinis L. 2. C. 12. haec habentur: „hoc eodem anno 1369 sub auspiciis F. Tristiani Generalis insigne Monasterium S. Joannis Bapt. de Elephant consurgebat, cui mox Michael de Sew (forte Dezsó) nobilis de eadem Elephant, centum jugera terrae arabilis; filius vero Patri cognominis vineam, et molendinum de Béd, septem rotarum in Elemosynae vicem subrogarunt. Porro Monasterium hoc sub monte Excelso, in Colle modico, quem vallis irrigua a monte separat, extructum, amaenitate loci, frugum fertilitate, et sollitudine eremitica, nisi quod insidiis Turcarum minus tutum, plurimum hilarescit. Olim sub Vicariatu de Nostre, Prioratus solummodo titulum habuit: cum vero dictus Vicariatus a Colluvie circumcisarum gentium per bella patria nobis eriperetur, iste in deperditi dignitatem et titulum suffectus est. Tandem Monasterium hoc vetustate jam inclinatum, aetate nostra ad annum 1636. Reverendissimus Pater Paulus Ivanovics, primus illius loci Vicarius, post' etiam Generalis meritissimus, hodie vero Episcopus Tinniniensis, ac Praepositus S. Thomae de monte Stri-

gonio, ad meliorem Claustrī formam resuscitavit. Quod successu temporis muro in quadratam formam, turriculis interjectis cinctum, Turcarum insultus non adeo reformidat. — Anno supra Millesimum tercentessimum nonagesimum nobiles viri Laurentius et Johannes fratres germani, et filii Domini Stephani de Baracska in expeditione contra Turcas, de consensu, et voluntate Sigismundi Regis legarunt Monasterio S. Joannis Bapt. de Elephant Possessionem Velkapolym (Hochvies germanis) additis tribus molendinis in superficie pagorum Ugroc, Kolocsna, et Patyoh. Atque iterum anno 1490 Dominus Petrus de Praznoch Monasterio S. Johannis Bapt. de Elephant dimidium Possessionis Poruba, Kelechen, et Hunyarad: aliud item dimidium Possessionis Praznoch ad dito molendino in fluvio Nitra, duabus piscinis, unoque praedio Szarkahal testamento inscripsit. Demum Monasterio S. Johannis Bapt. de Elephant D. Benedictus de Eadem medietates totalium Possessionum Felső Elefant, Szalakusz cum dimidio Molendini in perpetuam Elemosynam impertivit. Ac denique anno 1550 urgente potissimum Ferdinando Rege Possessio Nicolgaran Fratribus de Elefant per moderatores Arcis Levae ad requisitionem Comitis Nicolai a Salmis, et Archi - Praesulis Strigoniensis attribuitur. — In hac Eremito fratres religiosi Deo jugiter famulabantur usque annum 1785 quo per Edictum Augusti Imperatoris Josephi secundi Ordo Eremitarum S. Pauli in Ditionibus Caesareo - Regiis suppressus fuit; Bona vero fundo religionis addicta.

Jam quod Ladislaum Episcopum attinet, Ille

anno 1372. Nitria ad sedem Veszprimiensem translatus est: quod patet ex Donationalibus ad preces F. Dominici in Episcopatu Nitriensi Successoris per Ludovicum Regem super Possessione Tormoss anno 1380 quinto nonas mensis Maji datis, et in Tabulario Ecclesiae Nitriensis existentibus, ubi novarum Donationalium ea adducitur causa, quod Ladislaus olim Nitriensis, nunc Veszprimiensis Episcopus, occasione suae Translationis Veszprimium, priores Donationales perdiderit.

§. 25.

XXIII. *Frater Dominicus*. Paenitentiarius Papae; cujus Instituti religiosi fuerit commembrum, ignoratur. Post Ladislaum ad Nitrienses Infulas promotus. In Privilegialibus anni 1373 quarto nonas Augusti, quibus Ludovicus Rex Litteras Belae Regis ac suas patentes ratione usus sylvarum Bakony Monialibus de valle Veszprimensi concessas, privilegialiter elargitur, primum subscriptus legitur F. Dominicus Episcopus Nitriensis; haud dubie vel sub finem prioris, vel hoc anno Ladislao suffectus. Anno 1378 lis ei fuerat ratione terrarum Episcopatus sui Pagrány et Bodog cum Abbate S. Benedicti de juxta Gron, quam positis metis amice compositam esse Conventus S. Hippolyti de monte Zobor in datis Testimonialibus perhibet. Anno 1380 novas Donationales super Possessione Tormoss, prioribus per Ladislaum Antecessorem occasione Transmigrationis suae Veszprimium deperditis, impetravit. — Occurrit deinceps etiam in Diplom. quo Ludovicus Rex Demetrio Card. Archi-

**Episcopo Strigoniensi confert Possessionem Udvard anno 1382. X. Kal. mensis April. — Item in Confirmationibus Privilegiorum Szakolczensibus concessorum de anno 1382. 15ta mensis Augusti. — Prout etiam post mortem Ludovici, in Privilegialibus Mariae I. Reginae Prividiensibus datis anno 1383 quinto Kal. febr. aliisque pluribus. Anno dein sequenti in Diplomate, quo Maria Regina Libertates et praerogativas ab Andrea II. concessas, et a Patre suo confirmatas, ipsa quoque confirmat anno 1384, decimo Kal. Julii, Regni anno 3tio, Dominicus Episcopus Nitriensis ultimum comparet. Num ulterius vitam, regimenque produxerit, nihil habeo certi, quod dicam.**

**Martinus Szent - Ivány Episcopo Dominico dat Successorem in Episcopatu Nitriensi Vitum II. sed ipse annus 1390, quo illum Ecclesiae Nitriensi prae-fuisse scribit, gravem errorem manifestat: cum tunc jam per aliquot annos Nitriae sederit Gregorius Episcopus.**

## §. 26.

**XXIV. Demetrius.** A morte F. Dominici videtur aliquot annis Nitria caruisse Antistite propter domesticas turbas, interceptamque a Bano Croatiae Joanne Horváth Reginam, et Carceri inclusam. — Legitur tamen in clausula Diplomatum de anno 1387 inter Episcopos et Magistratus Demetrius electus Nitriensis, sede Veszprimiensi vacante; quam Cathedralam videtur accepisse Demetrius, quin unquam Nitriam adiverit. Nam in Diplomatum de anno 1388

et sequentibus occurrit Demetrius Veszprimiensis quo translato sedem Nitriensem consecutus est Gregorius. In Diplomate, quo Sigismundus Rex filiorum Benedicti de Kapolya Litteras Privilegiales confirmat anno 1388. IV. Kal. Junii, anno Regni 2do, Demetrius electus Veszprimiensis, et Gregorius electus Nitriensis vocatur.

§. 27.

XXV. *Gregorius I.* quem supracit. Diplom. IV. Kal. Junii 1388 electum Nitriensem appellari diximus, sub nomine electi Nitriensis occurrit in Diplom. Mariae Reginae de anno 1388. IV. Kal. Novembris; et in altero, quo Kanissais litteras per se datas privilegialiter transumit, et confirmat anno eodem 1388. X. Kal. Decemb., vocatur electus, et confirmatus; sed in Diplomatum Sigismundi Regis de 19a Kal. Junii 1389. item de anno 1390. secundo Kal. mensis Martii; praeterea de anno 1391. tertio Kal. mensis April. simpliciter Episcopus Nitriensis subscriptus est. Cum autem in Confirmationibus Sigismundi de anno 1392 tertio Idus Novembris, quibus Joanni Comiti de Vegla, et Modrussa Privilegia a Praedecessoribus Regibus data transcribuntur, et confirmantur, in clausula expresse ponatur: *Sirmiensi et Nitriensi sedibus vacantibus*, Gregorio annum hunc mortualem fuisse colligitur. Ex Diplomate, quo Sigismundus Rex donationales super Jure Patronatus Ecclesiae S. Gothardi Zechiis concessas, privilegialiter edit, anno 1393 sexto Kal. mensis Februarii, con-

stat vacuam eorum adhuc fuisse Nitriensem sedem; perinde enim dicitur: Syrmienti et Nitriensi sedibus vacantibus; quae tamen utraque eodem anno suum accepit Praesulem.

### §. 28.

**XXVI. Michael II.** in Diplomate Sigismundi Regis pro Gallo de Zéch edito anno 1394 quarto Kal. Maji legitur jam subscriptus: Michael Nitriensis Episcopus. Ille mox eodem anno 1394 cum consensu sui Capituli propter Ecclesiae suae necessitates villicatum Possessionis Ecclesiae suae Jezeniche vocatae, cum terris cultis et incultis, agris, pratis, nemoribus, libero molendino, libero lanio, libera taberna etc. pro 50. marcis denariorum Nicolao dicto Zunyogh, et filiis ejusdem, eorumque haeredibus vendidit, reservato Jure, ut Judicium per officiales suos in dicta possessione ter per annum celebrare possit. Occurrit subscriptus in Donationalibus Sigismundi, quibus Joanni de Kanissa Archi-Episcopo Strigon. duo vici Hunyeran, et Riblin (Chinoran, et Riblin) conferuntur anno 1397. octavo Idus Decemb. anno Regni 11mo, et in aliis sequentium annorum. — Ultimo comparet Michael Episcopus in Donationalibus, quibus Comiti Hermanno quaedam Castra conferuntur de anno 1399 sexto Kal. Februarii.

### §. 29.

**XXVII. Petrus II.** Eodem anno, quo per Michaelem sedes vacua relicta est, eam consecutus est Pe-

trus, qui in privilegialibus Sigismundi de eodem anno 1399, quarto Kal. Decembris pro Ketskemethiensibus datis Electus Nitriensis subscriptus est. — Legitur etiam in Donationalibus Sigismundi de anno 1401. XIII. Kal. Martii quibus Chákiis Castra Keresztszeg et Adorján conferuntur: prout etiam in Tabulis Pactionis 112. sigillis Hungarorum munitis, quibus Sigismundus, si absque legitimis filiis decederet, Hungariam, caeteraque sua Regna Alberto Duci Austriae transcribit, anno 1402 Posonii in Festo B. Mathaei Apost. et Evang. sub Nro 10. Petrus Nitriensis Episcopus comparet. Nominatur quidem et legitur etiam in Conclusionem Decreti 2di Sigismundi Regis in corpore Juris Hungarici editi sub 18. Kal. Maji anno 1405. unde consequens foret, illum anno quoque 1405 Ecclesiae Nitriensi praefuisse; cum tamen fide Diplomatum constet, ab anno 1404. F. Hincconem Ecclesiae Nitriensis gubernacula tenuisse. Error cubat in anno. Decretum minus, seu secundum, cui subscriptus est Petrus Episcopus Nitriensis, juxta authenticam Copiam est de anno 1403, non autem de anno 1405. Collectores Decretorum vel mendosa Copia usi sunt, vel in Descriptione anni aberrarunt.

### §. 30.

XXVIII. Frater *Hinco*, seu *Henricus*. Duo hoc tempore erant religiosi Abbates, nomine Henrici; alter S. Benedicti de juxta Gron, qui ratione metam Pagrany et Bodog cum Dominico Episcopo Nitriensi litem habuit, anno 1378 amica compositione

sopitam (§. 25) — alter S. Hippolyti de monte Zobor, qui similem controversiam habuit quoad metas terrarum Sarfó, alias Sz. Pál Monasterii de Zobor, ac Belhozd, cum nobilibus de Zerbecz, circa quam concordatum fuisse, testimoniales Capituli Nitriensis de anno 1399. perhibent. Hunc posteriorem ad Episcopatum Nitriensem fuisse promotum, et si non sub Henrici, sed Hinconis nomine inter Episcopos in Diplomatum occurat, eo est credibilius; quod in actis publicis scribatur *Episcopus Nitriensis, et Gubernator Abbatiae et Conventus Zobriensis*. Videtur nempe penes Episcopatum, Gubernationem quoque et administrationem Abbatiae S. Hippolyti de Zobor sibi demandatam habuisse. Illud non satis perspicio, cur in metalibus Possessionis Zsére ad Abbatiam pertinentis, per Conventum S. Benedicti de juxta Gron; et similiter, per Nitriense Capitulum anno 1406 feria 3tia proxima post festum S. Magdalenae expeditis, quarum Originalia in Tabulario Episcopatus Nitriensis existunt, solum vocetur *Venerandus vir, Gubernator Abbatiae Zobriensis Hincó*, quin dicatur Episcopus, licet in Diplomatum ab anno 1404 legatur Episcopus Nitriensis; quod proprium ejus Capitulum non poterat, certe non debebat, ignorare. — In adjudicatoriis Comitis Simonis, filii Nicolai de Rozgon Judicis Curiae de anno 1409 in causa metalli vicinarum Monasterio Zobriensi Possessionum Szalakusz, Menyhe, Béd, et Dobrotok nominatur *Hincó Ecclesiae Nitriensis Episcopus, et Gubernator Abbatiae, et Conventus Zobriensis*. Anno 1410. Sigismundus Rex ad Instantiam Hinconis Episcopi Nitriensis

et **Gubernatoris** Zobriensis **Monsterii** et **Abbatiae**, **Privilegia** **Belae**, et **Colomani** **Regum** pro eodem **Monasterio** privilegialiter transumsit. — Pariter in **metallibus** **Palatini** **Nicolai** de **Gara** anno **1424** vocatur: **Dominus** **Hinco** **Episcopus** **Nitriensis**, et **Gubernator** **Abbatiae** **Ecclesiae** **Zobriensis**. Haec ex **actis** **originalibus** **Archivi** **Episcopatus** **Nitriensis** desumpta sunt. — Legitur vero in **Diplomatibus** ab anno **1404**. Ita in **Diplomate** **Regis** **Sigismundi** **Conventui** **Cruciferorum** **Domus** **hospitalis** **Hierosolymitanae**, et **Ecclesiae** **S. Stephani** **Regis** **de** **Alba** **concesso** **secundo** **Kalend.** **Septembris** **1404**. De **tertio** **non.** **Aug.** **anno** **1405**, de **annis** **1406**. **1407**. **1408**. **1409**. sub **nomine** **Electi** **Episcopi** **Nitriensis**. Sed in **Diplomate** **quo** **Sigismundus** **confirmat** **Donationem** **Magistri** **Pauli** **Chupor** **de** **Monoslow** **Comitis** **Cris.** **factam** **Coenobio** **B. M. V.** **de** **Garich** **Ordinis** **S. Pauli** **anno** **1410** **quarto** **Kal.** **Augusti**, legitur jam **Hinco** **Episcopus** **Nitriensis** **absque** **Epitheto** **Electi**: atque ita deinceps **semper**, **simpliciter** **Episcopus** **Nitriensis** legitur in **Diplomatibus** **annorum** **1411**. **1412**. **1415**. **1416**. **1417**. **1418**. **Hoc** **anno** **commissionem** **Sigismundi** **Regis** **ex** **Urbe** **Constantiensi** **Dominica** *Judica* **Episcopus** **noster** **accepit**, **qua** **eidem**, et **Petro** **Forgách** **Supremo** **Comiti** **injungitur**, **ut** **Fratres** **Elephantenses** **Ordinis** **S. Pauli**, **adversus** **injurias** **Petri** **Cseh** **de** **Leva** **protegat**. **Occurrit** **porro** **insertus** **Diplomatibus** **anno** **1419**. **1420**. **1423**. **1425**. **1426**. et **postremum** **an.** **1427**. **tertio** **Idus** **Nov.** **verisimiliter** **hoc** **anno** **humanis** **exemptus**.

## §. 31.

**XXIX. Georgius. I.** quem Martinus Szent-Ivány *de Berzencze* vocat; initium ejus Episcopatus ad annum 1433. referendo, procul dubio erronee; quia in Diplomate quo Sigismundus Privilegiales Mariae, primae suae Conjugis Prividensibus datas confirmat, anno 1429 quarto Kal. Maji legitur jam Georgius electus Nitriensis. Occurrit postea non jam electus, sed simpliciter Episcopus Nitriensis nominatus in Diplomate, quo Sigismundus Praepositurae B. Margarethae de Eörs privilegiales literas deperditas instaurat, et ejusdem jura confirmat anno 1431 Decimo Kal. Martii. Hoc anno Hussitae Bohemi Ducibus Procopio majore et minore Hungariam ingressi, agrum villis opulentis refertum depopulati, ad Nitriam consederunt, et quia Castrum expugnare non potuissent, a Nitria per Provinciam Barsiensem progressi, caedibus, rapinisque omnia repleverunt, terrore non modico montanis, seu metalliferis Civitatibus injecto. Recedentes in Moraviam Nicolaus Rozgon, cui sese adjunxit Petrus Czobor militum Episcopi Georgii Praefectus, Orphanos, a morte Ducis Ziska sese vocitantes, ad Trenchinium una ex parte, alia vero cum peditibus Christophorus Ország aggressi, ingentem inter eos, cruentamque stragem ediderunt, pluribus mille caesis, aliis fuga elapsis. Georgius noster reperitur subscriptus in Decreto 6to seu majori Sigismundi de anno 1435. octavo Idus Martii dato: item in Privilegialibus, quas Sigismundus Judaeis in hungaria dedit 1436, tertio non. Novembris. Anno

sequente 1437. humanis ereptus est Imp. et Rex Sigismundus Znoimae in Mōravia, Varadini, ut vivens jussit, sepultus.

§. 32.

**XXX. Dionysius de Széch.** Hunc Georgio in sede Nitriensi Successorem faciunt author Purpuræ Pannonicæ, et Nicolaus Schmidt in Archi-Episcopatu Strigoniensi absque indicatione anni, quo successerit. Ita nempe author Purpuræ Pannonicæ scribit: „Clarissimi generis Comitum de Zeech, sive Szécs inclitya soboles Dionysius editus est in lucem hanc Christianæ aerae annum circiter 1400, Patrem habuit Nicolaum, quondam Dalmatiae Banum; Judicem Curiae, ac Palatinum, atque adeo virum summis in Hungaria Magistratibus conspicuum. Adolescentiam optimarum artium disciplinis exercuit Viennæ Austriae. Anno siquidem 1426 ibidem in academicis versabatur, utque vetus manuscriptum docet, Dux de Limpach dictus erat. Sacris exinde initiatus, minoribusque infulis Nitriensi nempe, et Agriensi per vices ornatus, postremo Strigoniensem ab Elisabetha Regina, Alberti Caesaris, Regisque hungariae Conjuge datam, Simoni de Rozgon 1439 praecepit.“ Similia fere habet Nicolaus Schmidt in Archi-Episcopatu Strigoniensi, et Episcopatu Agriensi. Martinus Szent-Ivány eum in sede Nitriensi collocat anno 1439. minus recte: quia hoc anno Episcopatum Agriensem tenuit, et vergente anno, qua Agriensis Episcopus, ab Eugenio P. in numerum Cardinalium

cooptatus, anno sequente ad principem Ecclesiam Strigoniensem ab Elisabetha vidua Regina, quae post Alberti mortem, quam in vico ignobili Neszmil ad rippam Danubii sito, anno 1439 die 27ma Octobris obiit, aliquandiu rerum potiebatur, translatus; cujus dein filium Ladislaum Alberti Regis posthumum, tres dumtaxat menses natum, Albaeregiae in Regem unxit, et Corona incinxit. Si igitur Dionysius, Episcopus Nitriensis fuit, brevi admodum tempore hanc sedem tenuit, mox Agriam transpositus.

### §. 33.

**XXXI. Nicolaus IV.** juxta Praj ab anno 1447. ad annum 1455 sedem Nitriensem tenuit; debuisset itaque Nitria, si Dionysius Széch inter Nitrienses Praesules referendus non est, per duo lustra a morte Georgii suo carere Antistite. At vero, etsi Nicolaus in Diplomatum ante annum 1447 non occurrat, eum anterioribus annis 1439 vel 1440 Episcopatum jam tenuisse mihi persvadeo. Cur ita sentiam, praesidium habeo in narratione Philippi Climachi de rebus Vladislai L. 1. p. 79. scribentis: „A morte Alberti Regis Proceres, et Elisabetha vidua Alberti Regis Vladislaum Polonum, Regem illi, haec maritum quoque habere voluerunt. Interim Elisabetha enixa prolem masculam Ladislaum posthumum anno 1440, 22a Febr. quem sic volente Matre Archi-Episcopus Széchius Puerum mensium trium in Regem Hungariae coronavit. Hinc ortum dissidium, stante parte una Procerum pro parvulo filio Alberti, Ladislao post-

humo; altera vero parte Vladislaum jam prius evocatum, in Regem urgente. Vladislaus interim in Hungariam venit, ac ubi Budam occupasset, non solum illi, qui ad id tempus ei favebant, sed alii quoque, qui usque dissimulaverunt, fidem, atque obsequium pollicentes, cum gratulatione ad eum confluxere;“ nominat vero inter caeteros, qui confluxerant, Episcopum Nitriensem. Similiter Diagossus inter adhaerentes Vladislao, qui anno 1440. Budam venerunt, recenset Episcopum Nitriensem; eundemque Coronationi Albaeregiae peractae interfuisse scribit. Neuter quidem de nomine designat hunc Nitriensem Episcopum: mihi satis est, Episcopatum Nitriensem non fuisse destitutum suo Praesule, qui certe alius non fuit, quam Nicolaus. Hic enim, dum Buda Gubernatori Joanni Hunyady resignata et tradita fuit anno 1447, qua Nitriensis Episcopus subscriptus est. Refert auctor Purpurae Pannonicae, Dionysio Cardinali et Archi-Episcopo Strigoniensi Basilicam Strigoniensem sacro ritu solenniter consecranti an. 1453. Dominica post festum S. Martini Episcopi ministrasse sex Episcopos, inter quos fuit unus e suffraganeis, nimirum Nitriensis hoc tempore Nicolaus. Videtur Ecclesiae Nitriensi praefuisse ad annum 1455, aut 1456. quo anno Joannes Hunyady ad Belgradum solennem de Turcis victoriam reportavit, sibi etiam exitialem; utpote qui a reportata victoria vix mensem superstes, ex contracto morbo magnam animam efflavit.

## §. 34.

**XXXII.** *Albertus de Hangács* fuit anno 1457. Praepositus Agriensis, et Vice - Cancellarius; dein sub finem 1458 aut initium 1459. electus Nitriensis, retento Vice - Cancellarii Officio; quod patet e Litteris Mathiae Corvini ad Regem Bohemiae Georgium Podiebradum datis, quas e manuscripto Codice litterarum publicarum, concernentium ut plurimum Acta Georgii Podiebradi, ex Bibliotheca MS. Librorum Capituli Metropolitanii Pragensis exscripsit Thomas Pessina de Czechorod, Marti Moravico insertus, quae ita sonant:

„Mathias Dei gratia etc. Serenissimo Principi Domino Georgio eadem gratia electo Regi Bohemiae etc. Novissime scripsimus Serenitati Vestrae, quemadmodum contra dispositionem Serenitatis Vestrae, quam cum in Straznicz constitueremur, eadem Serenitas Vestra inter nos, et Joannem Giskram de Brandeys, pro qua tractanda illuc nuntios suos miserat, firmaverat, idem Giskra inique nobis agere conatur, accumulatis sibi pluribus latronibus. Audimus etiam, quod et Rex Poloniae falsa quadam opinione, Jus ad ipsum Regnum nostrum Hungariae praetendens, similiter contra nos hostiliter ducere velit etc. — — Quare rogamus Serenitatem Vestram multum affectuose, quatenus Excellentia Serenitatis Vestrae ad nostras expensas quingentos equites, viros electos, ad pugnam aptos, et bene armatos ac fideles, nobis quantocyus mittere velit, quibus talem belliductorem praeficiat, ut ejus directione valeat res no-

**stra ad nostrum comodum, et Serenitatis Vestrae honorem dirigi etc. Datum Budae 29na Martii an. 1459. Ad mandatum Domini Regis Albertus electus Nitriensis; Vice - Cancellarius.“**

Albertum mox subsequenti anno 1460. fuisse Veszprimiensem Episcopum, cum Joanne de Rozgon ad Conventum Olomucensem, ubi amicabilis compositio inter Fridericum Imperatorem, et Mathiam Regem, mediatore Podiebrado, fieri debuisset, exmissum, docent hae ejusdem litterae:

**Serenissime Rex etc. missi ad Vestram Majestatem a Serenissimo Principe ac Domino Mathia Dei gratia Rege Hungariae etc. cum eadem Majestate Vestra tractaturi, omnes viae labores usque ad hunc locum superavimus. Est autem hic e regione Mathausz a Sternberg cum quibusdam aliis complicibus suis, qui praefato Regi Hungariae, Domino nostro Gratio-  
sissimo, ac toti Regno Hungariae Bellum indixit; et ut audimus, auxilio Bernardi de Brumow utitur; unde etsi Vestrae Majestatis salvum Conductum habeamus, tamen quia ille intra metas regni Vestrae Majestatis sonat, periculum nobis ab eodem Mathausz, et aliis auxiliatoribus suis, per viam usque ad Confinia regni nostri imminet, nosque legatione magis quam armis fulti, facile per ipsum Mathausz et ipsius adhaerentes impediri possemus: qua de causa suppliciter oramus Vestram Majestatem, quatenus ipsi Mathausz, et adhaerentibus suis, qui omnes subditi sunt Vestrae Majestatis, et Regni ejusdem, mandare dignaretur, ut salvi usque ad Vestram Majestatem pervenire valeamus. Super his gratiosum a Vestra**

**Majestate responsum praestolamur. Datum Trenczi-  
nii in festo Purificationis Mariae gloriosae Virginis  
anno 1460. Ejusdem Vestrae Majestatis servitores  
Albertus Episcopus Veszprimiensis, et Joannes de  
Rozgon Thavernicorum Regalium Magister.“**

**§. 35.**

**XXXIII. Elias :** non aliunde notus, quam e Litteris Mathiae Regis Credentialibus, quas vocant, seu fiduciariis. Postquam enim in primo Conventu Olomucensi, ubi Mediatore Podiebrado de Concordia inter Fridericum Imperatorem, et Mathiam Regem tractari debuisset, nihil transactum fuit; alius ad praestitutum terminum fuit indictus, pro quo per Mathiam Regem anno 1460 missus fuit Mathias Czi-bák, et Elias electus Episcopus Nitriensis. Credentiales litteras e codice minore Litterarum publicarum Archivi Ecclesiae Pragensis exscripsit Pessina in Marte Moravico, quarum tenor est:

„Nos Mathias Dei gratia etc. memoriae commen-  
damus tenore praesentium significantes universis qui-  
bus expedit: quod quia Serenissimus Princeps et Do-  
minus Dominus Georgius Dei gratia etc. tanquam  
mediator inter nos, et Fridericum Roman. Impera-  
torem Festum Conversionis S. Pauli Apostoli proxi-  
me praeteritum pro tenenda Dieta in Civitate sua  
Olomucensi Oratoribus nostris, et ipsius Friderici Im-  
peratoris deputaverat: atque in termino et loco hu-  
jusmodi comparentibus coram eo utriusque nostrum  
oratoribus, tandem certis de causis rationabilibus

alium terminum, puta Festum SS. Philippi et Jacobi Apostol. proxime venturum pro reassumenda Dieta ipsa Oratoribus nostris, et dicti Friderici Imperatoris indixerat. Igitur nos amatores Pacis, et Concordiae, volentes satis facere his, quae pertinent ad veram amicitiam, et commoda regnorum, misimus hos fideles Oratores nostros, Rever. in Christo Patrem Dominum Eliam electum Ecclesiae Nitriensis, et egregium Mathiam Cibak de Radosovicz Castellatum Castri nostri Oroszlankó ad praefatam Dietam, et conspectum Domini Georgii Regis, dantes, et concedentes per praesentes eis simul, et cuilibet eorum in solidum plenum mandatum etc. — Datum Budae in festo S. Georgii M. anno 1460.“ Ob conditiones minus acceptabiles, a Caesare propositas, non potuisse concordiam restitui, ex Historiis notum est. Mihi sat est Eliam electum Episcopum Ecclesiae Nitriensi vindicasse, qui num unquam confirmatus fuerit, Sedemque suam adiverit, et quousque ei praefuerit, non habeo certi, quod dicam.

### §. 36.

**XXXIV. Thomas II. de Debrenthe:** legitur anno 1446. fuisse Praepositus Veszprimiensis, dein Gubernator Abbatiae S. Martini de Monte Pannoniae, et Episcopus Zagrabiensis; mirabiles expertus vicissitudines. Dum quidam Proceres cum Imperatore Friderico contra Mathiam Regem conspirarunt, Rex evocatis Budam Proceribus ab eisdem Juramentum fidelitatis exegit; in Tabulis hac de re anno 1459 con-

fectis inter Episcopos occurrit Thomas de Debrenthe Episcopus, ac Gubernator Abbatiae S. Martini de Monte Pannoniae, quin addatur, cujus Sedis Episcopus sit: quia illum inter, et Demetrium de Sede Zagradiensi concertabatur. Mathiae Regi neuter Charus et acceptus fuit; commisit eapropter administracionem Joanni Vitézio Varadinensi Episcopo, qui Ecclesiae illius Bona direpta revindicavit. In tabulis Romanis, ut Prajus adnotavit, dicitur Thomas in Sedem Zagradiensem intrusus, eaque de causa fuit ab officio suspensus; sed Romam profectus, non modo a suspensione absolutus, verum etiam per Jacobum Cardinalem Papiensem Joanni Vitézio commendatus, qui Cardinali hunc in modum rescripsit: „scribit mihi Reverendissima Paternitas Vestra pro Rev. Patre Domino Thoma amicissimo suo, cui contra efficacia, et aperta Jura super Ecclesia Zagradiensi lis, et vis etiam illata sit, nec esse aequum, bonum Patrem, ab Ecclesia sua eliminatum, vagari fere ut mendicum. — — Lis si illata fuisset: in Curia Romana, et in Vestris auribus verti debuisset. De vi supervaneum est loqui, quum ipse Dominus Thomas non violenter ab Ecclesia sua sit eliminatus, intra cujus limina fortassis nunquam fuit, sed quum manere domi honorifice posset, sua sponte praeter honestatem ordinis, magis mendicat etc.“ de anno 1460. — Scripsit de illo etiam Pio PP. eodem anno: „advenit tandem Reverendissimus Pater Dominus Marcus Episcopus Tinniniensis, qui et alia nonnulla nomine Sanctitatis Vestrae retulit. Inter alia Provisionem ejusdem super certis Ecclesiis hujus Regni; quibus ex

rebus, quod Reverendissimum Patrem Dominum Thomam Episcopum attinet, nihil aliud scimus aut credimus, nisi quod postquam rediverit, et Serenissimo Domino Regi ea, quae in talibus requiruntur, praestiterit, consequetur possessionem pacificam Ecclesiae Nitriensis etc.“ — Provisionem, cujus Vitézius meminit, vel potius iudicium suum de provisionibus Ecclesiarum Regi Mathiae Pius P. ita perscripsit: „Venit ad nos Venerabilis Frater noster Thomas Zagradiensis Episcopus cum Instantia petens, ut in controversia, quae sibi cum adversariis suis super eadem Ecclesia fuit, non gratiam facere, sed iustitiam administrare vellemus. Vidimus quoque, quid tua Serenitas per Cedulam suam, ad dandam illi Ecclesiae pacem postularit a nobis. Durum iudicares eadem Thomae iustitiam denegare; cum illi et omnibus simus ex pastoralis officio debitores. Comisimus huiusmodi causam dilecto filio nostro Nicolae tit. S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali, viro fidei, et docto, iudicem audiendam, et referendam nobis in Consistorio nostro. Auditae sunt partes ab eo: iura, quae habebantur, hinc inde producta: ventilata res in aliquot menses: ad relationem tum ventum est. Iudicavimus nos, iudicaverunt et Fratres nostri S. R. E. Cardinales validum esse jus Thomae, adversariorum infirmum. Exigebat hic ordo iustitiae, ut patefaceremus sibi, quae nobis erant comperta, et supplicantis votum non differremus in longum. Verum diu iam cupientes laceratam hanc, et misere vexatam Ecclesiam beneficio Sedis quiescere, ac per novum pastorem in spiritualibus et temporalibus debite

reparari, celata eidem Thomae justitia, ipsum hortatione nostra induximus, ut contentus Nitriensi Ecclesiae praefici, item monasteria B. M. V. (B. Martini) Montis Pannoniae, et alterius de Zeck ex dispositione apostolica habere, eidem Zagrabiensi, et juri sibi in illa competenti libere cederet. Conditionem hanc Carissime fili pro pace contendentium, et utilitate tam insignis Ecclesiae sumus amplexi, nec disponendum aliter duximus. — — Exspectabimus ad tres menses a Die datarum praesentium super hac re Serenitatis tuae responsum. Si haberi dictorum Ecclesiae et Monasteriorum tuo favore possessio poterit, et a modo per hanc viam Thomas quiescere, ordinationem nostram implebimus. — — Anno 1460.“ Thomas itaque ad Episcopatum Nitriensem transpositus in Diplomate, seu Decreto Imo Mathiae Regis Corpori Juris inserto de anno 1464. octavo Idus Apr. prout etiam in altero Diplomate, quo Mathias Rex Privilegiales Ecclesiae Strigoniensis nonnullarum Possessionum confirmat, anno 1465. XIV. Kal. Martii, Regni anno septimo, Coronationis primo, subscriptus legitur Episcopus Nitriensis. — Brevi postea iterum adversa fata expertus. Latrunculi Bohemi, Hussitae, per Regnum divagati, usque Nitriam pertingentes, Castrum Nitriense oppugnaverunt. Culpae datum est Thomae Episcopo, quod cum iisdem societatem foveat, sive quia Castrum non tam strenue, ut oportebat, defendit; sive quia majora ab illis mala metuens, ad quasdam Conditiones ineundas consensit. Qua de causa ad homines hostilitatem exercentes, ferro et igne omnia vastantes dispellendos,

Castrum ab illo ablatum, et per laicos custoditum: administratio autem Bonorum Episcopatus Joanni Vitéz ad Archi-Episcopatum Strigoniensem promotu, commissa. Hoc tempore ex Monasterio montis Zobor per Custodes Castru, signanter Petrum Koth Castellanu arcis, litteralia Documenta ablata, et Bona ejusdem Abbatiae occupata fuerunt, ut superius (P. I. Sec. III. §. 5.) diximus; quae dein per Mathiam Ecclesiae, et Episcopatu Nitriensi fuere collata. Cum hac occasione Privilegium super Comitatu Nitriensi per Carolu Regem Ecclesiae Nitriensi concessu, detractis sigillis fuerit vitiatu, illud Johannes Vitéz Archi-Episcopus Strigon. Jurium suae administrationi commissorum securitati prospecturus, novo Diplomate confirmari petiit, quod est hujus Tenoris:

„Mathias Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex. Omnibus Christi fidelibus praesentibus et futuris praesentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: quod fidelis noster Reverendissimus in Christo Pater Dominus Johannes Archi-Episcopus Strigon. summus et Secretarius Cancellarius noster etc. nostrum veniens in conspectum, exhibuit nobis quasdam litteras Serenissimi condam Domini Caroli Regis Hungariae Praedecessoris nostri Anno Domini Millesimo trecentesimo tertio decimo, quarto Idus Augusti. Regni sui an. tertiodecimo datas, tenores quarumdam litterarum suarum anno Domini Millesimo tercen-

„tesimo secundo, Regni sui anno secundo datarum  
 „super Donatione, et Collatione Comitatus Nitrien-  
 „sis per ipsum Dominum Carolum Regem Rev. in  
 „Christo Patri Domino Johanni Episcopo, et Eccle-  
 „siae suae Nitriensi perpetuo facta emanatarum con-  
 „firmative in se continentes. Quae quidem litterae  
 „ex se evidentibus indiciis constiterunt nobis sub  
 „duplici authentico sigillo ipsius Domini Caroli Regis  
 „confectae fuisse; sed ut nobis declaratum est, cum  
 „nuper propter eam culpam D. Thomae de Debren-  
 „the ejusdem Ecclesiae Nitriensis Episcopi, quod idem  
 „cum latronibus bohemis, qui tunc prope Nitriam  
 „Castellum obsidentes, hoc Regnum nostrum igne et  
 „gladio vastabant, societatem tenuerat, per unum  
 „e Capitaneis nostris ab eodem Episcopo Castrum  
 „Nitriense ablatum, et aliquamdiu per manus laicas  
 „conservatum fuisset, sigillum tam dictarum litte-  
 „rarum, quam aliorum privilegiorum dictae Ecclesiae  
 „Nitriensis, quae etiam cum eisdem litteris in con-  
 „spectu nostro exhibitae sunt, per quosdam ex eis-  
 „dem laicis simul cum Cordula, per quam sigillum  
 „ipsum appensum erat, detractum fuerat, supplican-  
 „do nostrae Majestati, ut ne ex detractioe hujus-  
 „modi sigilli praefata Ecclesia Nitriensis in suis Ju-  
 „ribus, quae ad dictum Comitatum haberet, succes-  
 „su temporum quidquam detrimenti susciperet, prae-  
 „scriptas litteras ipsius condam Domini Caroli Regis  
 „ratas, gratas, et acceptas habentes, earumdem sen-  
 „sus per articulos in novum privilegium conscribi  
 „facere, ac demum collationem antefati Domini Ca-  
 „roli Regis super praedicto Comitatu Nitriensi factam,

„Ipsi Ecclesiae Nitriensi et Episcopis in ea pro tem-  
 „pore constitutis perpetuo valituras confirmare di-  
 „gnaremur, quarum quidem litterarum sensus talis  
 „est: quod ipse Dominus Carolus Rex ad supplicatio-  
 „nem praefati condam Domini Johannis dictae Eccle-  
 „siae Nitriensis Episcopi, ut Donatio de ipso Comi-  
 „tatu Nitriensi eidem Episcopo, iet per eum suae  
 „Ecclesiae Nitriensi, ac Episcopatui perpetuo per  
 „ipsum Dominum Carolum Ragem facta inconcussa  
 „maneant, eandem Donationem ratam, gratam, et ac-  
 „ceptam habuisset, corroborasset, innovasset, et lit-  
 „teris suis privilegialibus confirmasset, ipsae vero  
 „litterae Donationales ejusdem Domini Caroli Regis  
 „hunc sensum declarabant, quod ipse Dominus Ca-  
 „rolus Rex volens, ut Deus in suis Donis et muni-  
 „ficentiis honoretur, et laudetur indemnitate ac  
 „paupertati ipsius Ecclesiae Nitriensis decenter con-  
 „sulatur, nec non etiam pro fidelibus ac meritoriis  
 „obsequiis ipsius Domini Johannis Episcopi, quae o-  
 „mnia annotato Domino Carolo Regi luce clarius con-  
 „stiterant, satisfactionem, et condignam remunera-  
 „tionem eidem Domino Joanni Episcopo impenderet,  
 „Comitatum Nitriensem eidem D. Johanni Episcopo et  
 „per eum Ecclesiae suae et Episcopatui Nitriensi de  
 „consensu, et voluntate Praelatorum et Baronum suo-  
 „rum dedisset, donasset, contulisset, et tradidisset cum  
 „omni plenitudine, et integritate sui Juris. Nos igitur  
 „attendentes supplicationem memorati Domini Archi-  
 „Episcopi fore justam, et admissione dignam, prae-  
 „attactas litteras ipsius condam Domini Caroli Regis  
 „non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte

„suspectas, tanquam si earum sigillum integrum, te-  
 „noresque ipsarum de verbo ad verbum praesentibus  
 „inserti essent, ratas, gratas, et acceptas habentes,  
 „Collationem ejusdem Domini Caroli Regis de dicto  
 „Comitatu Nitriensi modo praemisso factam, ex cer-  
 „ta nostra scientia, et animo deliberato, ac de Con-  
 „silio Praelatorum et Baronum nostrorum pro prae-  
 „dicta Ecclesia Nitriensi, et Episcopis in ea pro tem-  
 „pore constitutis perpetuo valituras confirmamus,  
 „praesentis scripti nostri patrocinio mediante, decer-  
 „nentes, ut propter detractionem praedicti sigilli in  
 „detrimentum Jurium ipsius Ecclesiae Nitriensis quid-  
 „quam obijci nullo unquam tempore possit. Quin-  
 „imo volumus, et auctoritate Regia decernimus, ut  
 „praesens privilegium in Judicio, et in omni loco  
 „ejusdem firmitatis sit, cujus fieri deberet, si prae-  
 „attactae litterae cum earum integro sigillo nobis  
 „praesentatae, et per nos Confirmatae essent. Salvis  
 „juribus alienis. In cujus rei memoriam, firmita-  
 „temque perpetuam praesentes litteras nostras privi-  
 „legiales pendentis et authentici duplicis sigilli nostri  
 „munimine roboratas, ipsi Ecclesiae Nitriensi, et  
 „Episcopis in ea pro tempore constitutis duximus  
 „concedendas. Datum per manus Reverendissimi in  
 „Christo Patris Domini Stephani Ecclesiarum Colo-  
 „censis et Baciensis Archi-Episcopi, Aulae nostrae  
 „summi Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Anno Do-  
 „mini Millesimo quadringentesimo sexagesimo octa-  
 „vo, quartodecimo Kalendis Maji, Regni nostri anno  
 „undecimo, Coronationis vero quinto. — Venera-  
 „bilibus etc. —“

Ad cumulum malorum, quae sub Episcopo Thoma Nitriam presserunt, illud quoque longe gravissimum accessit anno 1471. — Morte sublato Georgio Podiebradio, Mathias ingentis animi Princeps Bohemiam infestus petiit. Hac expeditione, quae extraordinarii oneris impositionem habuit junctam, Procerum complurium, nimia Regis auctoritate offensorum, animi magis exulcerati, conjurationem ineunt. Conjurationis principes Joannes duo fuere, nepos et avunculus: alter Strigoniensis Metropolitae, a Mathia Patris loco habitus: Quinque-Ecclesiensis Antistes alter. Ab his conjuratis Casimirus, Casimiri secundi Polonorum Regis filius, ad capessendum Regnum Hungariae evocatus, cum viginti millibus armatorum in Hungariam irrupit, praetergressusque Cassoviam, et Agriam, Castra ad Nitriam posuit; quae jussu Joannis Metropolitae Strigoniensis qui, ut diximus, administrationem Episcopatus Nitriensis in temporalibus commissam habuit, una cum arce, seu Castro Polonis, tradita fuit. Interim Mathias, ne domestico, externoque bello eodem tempore implicaretur, Budam congregatos optimates ingentibus promissis sibi conciliare satagebat, inita etiam Concordia cum Archi-Episcopo Strigoniensi Joanne Vitézio. Data mutua, acceptaque fide, Rex cum majore parte copiarum approperto itinere Nitriam advolavit, et Casimirum intra muros Castri compulsum, fractumque, in Poloniam, transactis Conditionibus abire permisit. (P. I. Sect. III. §. 5.) Castissimus hic Regius Juvenis, postquam terrestre Regnum assequi non potuit, caeleste majore contentione quae-

sivit, invenitque, aetatis suae anno 24. Christi 1484. 4ta Martii humanis exemptus, a Leone X. P. solenni ritu anno 1524 Sanctis adscriptus.

Composito bello Polonico, et Archi-Episcopo Joanne Vitézio Vissegradum deportato, Thomas de Debrenthe Episcopus pleno jure administrationem recepit, Bonis Abbatiae Zobor per Mathiam Regem Ecclesiae Nitriensi donatis. — Hoc forte tempore Rex Mathias fidelitatem Palatini Michaelis Ország de Gúth remuneraturus, eidem Jus Patronatus regium conferendi Episcopatum Nitriensem, cui volet, ad Dies vitae concessit, super quo Privilegiales Prajus se vidisse perhibet. Certe Capitulum Nitriense illo gloriatur tamquam liberalissimo suo Benefactore. Anno 1473 Idibus Junii Mathias Rex edito Diplomate libertates Civium Nitriensium a Bela IV. concessas confirmavit, ubi inter Episcopos Thomas Nitriensis insertus occurrit. Ad annum 1480 vitam, regimenque produxisse videtur.

### §. 37.

XXXV. *Frater Gregorius II.* cujus religiosi Instituti membrum fuerit, in obscuro est; nec illud exploratum, quo anno Episcopatum adiverit. Anno 1486. illum Nitriensi Ecclesiae praefuisse, docet clausula Decreti 4ti Regis Mathiae, ubi subscriptus legitur. Anno 1488. dum percepisset Egregium Petrum Nehéz de Korompa Possessionem Pasztoh in Comitatu Nitriensi, ad jus Ecclesiae suae pertinentem, ab Rege Mathia impetravisse; coram Capitulo Strigoniensi per modum Inhibitionis contradixit, superquo Te-

stimoniales in Archivo Nitriensis Ecclesiae existentes haec continent:

„Nos Capitulum Ecclesiae Strigoniensis memo-  
 „riae comendamus per praesentes, quod Honorabilis  
 „Magister Georgius Canonicus, et Succentor Eccle-  
 „siae Nitriensis nostram personaliter veniens in prae-  
 „sentiam, nobis in persona Reverendi in Christo Pa-  
 „tris, Domini Gregorii, Episcopi ejusdem Ecclesiae  
 „Nitriensis, per modum inhibitionis significari cura-  
 „vit in hunc modum: quod, prout ipse Dominus Gre-  
 „gorius Episcopus percepisset, egregius Petrus Nehéz  
 „de Korompa Possessionem Pasztoh vocatam, in Co-  
 „mitatu Nitriensi sitam, et existentem, praefatum  
 „Dominum Gregorium Episcopum et Ecclesiam suam  
 „praenotatam omni jure concernentem, a Serenissi-  
 „mo Principe Domino Mathia Dei gratia Hungariae,  
 „Boemiae etc. Rege pro se impetrasset et conferri  
 „procurasset, indebite, et injuste; unde ipse Magi-  
 „ster Georgius nomine, quo supra, praefatum Do-  
 „minum nostrum Regem a Donatione, et Collatione,  
 „sive venditione, vel alias impignoratione praedictae  
 „Possessionis Pasztoh; praelibatum verò Petrum Ne-  
 „héz, et alios quoslibet ab impetratione, emtione,  
 „vel in pignus receptione, seque in Dominium ejus-  
 „dem intromissione, seu sibi ipsis statuifactione, usu-  
 „fructuum, et quarumlibet utilitatum ejusdem pos-  
 „sessionis perceptione, quomodocunque, et qualiter-  
 „cunque facere, vel fieri prohibet contradicendo, et  
 „contradixit inhibendo publice et manifeste coram  
 „nobis, testimonio praesentium mediante. Datum  
 „in Festo beati Jacobi Apostoli Anno Domini Mille-

„simo, quadringentisimo, octuagesimo octavo.“ — Contradictionem non caruisse effectu inde clarum est: quia post paucos annos Vladislaus Rex eandem totalem Possessionem Pasztoh in Comitatu Nitriensi sitam, quae olim ab Ecclesia Nitriensi per potentes manu violenta occupata, et plurimis retroactis annis violente tenta, et tandem novissimis temporibus per mortem et defectum seminis nobilis condam Georgii de eadem Pasztoh ad Jus Regium devoluta esset, Domino Episcopo Nitriensi Gregorio, et per eum Ecclesiae Nitriensi reddidit, et omne Jus regium, si quod in eadem Possessione, quaecumque haberet, cum cunctis suis utilitatibus dedit, donavit, contulit. Anno 1491. Datum Budae in Festo Clementis P. — Frater Gregorius Episcopus Nitriensis legitur in Privilegialibus Mathiae Regis quibus Diploma Sigismundi Praepositurae B. Margarethae de Eórs datum confirmat anno 1489 nono Kal. Julii. Legitur etiam in Tabulis concordiae inter Ferdinandum Imperatorem et Maximilianum Regem Romanorum parte ab una, et Vladislaum Regem Hungariae parte ab altera initae 29na Novembris 1491 inter Proceres subscriptus. Vixisse illum aliquanto tempore anno 1492, docet Capituli Nitriensis Transumptum Privilegialium Civibus Nitriensibus concessarum, per Mathiam Regem confirmatarum, erga Petitionem Episcopi Gregorii expeditum Sabbatho proximo ante Festum beati Valentini M. anno 1492.

---

## §. 38.

**XXXVI. Antonius I. ex Praepositura Poseniensi ad Episcopatum Nitriensem a morte sui Decessoris anno 1492 promotus, quam Praeposituram etiam qua Episcopus aliquamdiu retinuit, quod ex Protectionalibus Vladislai Regis ad Comitatum Nitriensem anno 1498 datis (P. I. Sect. III. §. 5.) patet. Occurrit subscriptus in Decreto Imo Vladislai II. Regis anno 1492 electus Episcopus Nitriensis. Comitata, in quibus Decretum hoc conditum est, celebrata quidem fuerunt Mense Februario, sed producta ad finem Martii: ea propter Antonius in Clausula Decreti electus Episcopus Nitriensis poni potuit. Inclaruit Antonius Legatione, eodem adhuc anno, ad Alexandrum P. qui Innocentio mortuo subrogatus fuerat, et ad Ferdinandum Neapolitanum Regem Beatricis viduae Reginae causa, quae nuptias cum Vladislao Rege ambiebat, missus; de cujus reditu, Legatione finita, Bonfinius Dec. 5. L. 3. refert: „Antonius Beatricis causa Legatus Romam, et Neapolim missus rediit. — Nitriensis Antistes, quem Rex ad Ferdinandum Neapolitanum, Alexandrumque P. Legatum de Beatricis nuptiis miserat, convento utroque, et Regis nomine exposito, Regem Sororis amantissimae loco Beatricem habiturum, eamque oppidis, bonisque suis frui ab omni intactam injuria concessurum; at contra Leges Boëmorum, et Hungarorum voluntates nequaquam eam in Matrimonio habiturum, ex Legatione reverterat. Ejus rei causa nonis Martii Ursus Ursinus Legatus a Pontifice missus est, ut postquam pro-**

positis solemnibus peccatorum expiationibus Christianos ad arma adversus Turcas capienda concitasset, regias etiam cum Beatrice nuptias pro virili parte conciliaret. Sed incassum agit.“ — „Antonius Ecclesiae suae redditus, de reducenda apud Clerum et Populum suae Diaecesis Disciplina sollicitus Pastor, Synodum Diaecesanam anno 1494 coëgit, cujus Decreta Paulus Bornemisza Episcopatus Nitriensis Gubernator, per se adaucta publicavit, et, anno 1560 edidit, apud Péterffy in Conc. Hung. comprehensa. — Super Possessione Király, cujus intuitu inter Ecclesiam Nitriensem et Petrum Nehéz de Korompalispolis coram Curia Regia fuit agitata, Antonio Episcopo relicta, Consensum Regium, et Translationem Juris Regii in Episcopatum Nitriensem anno 1494 a Vladislao Rege impetravit. Similem etiam Juris Regii Translationem, et novam Donationem obtinuit eodem anno super Possessionibus Richo (Hricsó) et Biche, ab antiquo ad Ecclesiam Nitriensem pertinentibus (P. I, Sec. III. §. 7.) Hae nihilominus paucum post tempus sub eodem Antonio Episcopo ab Ecclesia Nitriensi abstractae, et per modum Cambii invicem illarum Praepositura Dömössiensis Episcopatu collata fuit, prout docet Transumptum Litterarum hac de re datarum, Tenoris, ut sequitur:

„Nos Conventus Monasterii S. Benedicti de juxta „Gron memoriae commendamus tenore praesentium, „significantes, quibus expedit, universis. Quod honorabiles Magistri Mathias de Lindva, ac Sebastianus de Sárospatak Canonici Ecclesiae Nitriensis, „nominibus, et in persona Reverendi in Christo Pa-

„tris Domini Stephani de Podmanyin Episcopi ejus-  
 „dem Ecclesiae Nitriensis nostram in personalem  
 „praesentiam venientes, exhibuerunt, et praesenta-  
 „runt nobis litteras Reverendissimi in Christo Patris  
 „Domini Thomae miseratione Divina titulo S. Mar-  
 „tini in montibus S. R. Ecclesiae Cardinalis, Strigo-  
 „niensis Archi-Episcopi, Patriarchae Constantinopo-  
 „litani, et Legati, in papiro patenter emanatas, pe-  
 „tentes nos debita cum Instantia, quatenus easdem  
 „transscribi, et transsumi, ac paria earundem sub  
 „transumto litterarum nostrarum dare, et concedere  
 „dignaremur, hunc tenorem in se continentes: —  
 „Thomas miseratione Divina Archi-Episcopus Eccle-  
 „siae Strigoniensis, locique ejusdem Comes perpe-  
 „tuus, Primas Regni Hungariae, et apostolicae Sedis  
 „Legatus natus etc. Tenore praesentium litterarum  
 „nostrarum, sive praesentis publici instrumenti no-  
 „tum facimus, quibus expedit, universis: quod die  
 „datarum praesentium exhibitae fuerint nobis per  
 „Reverendum in Christo Patrem Antonium Episcopum  
 „Nitriensem certae litterae Serenissimi Principis et  
 „Domini nostri Vladislai Dei gratia Hungariae, Bo-  
 „hemiae etc. Regis, ejus sigillo Regio, quo ut Rex  
 „Hungariae utitur, consignatae, tenorem hunc de  
 „verbo ad verbum continentes: Vladislaus Dei gra-  
 „tia Rex Hungariae et Bohemiae etc. fideli nostro Re-  
 „verendissimo in Christo Patri Domino Thomae mi-  
 „seratione Divina Archi-Episcopo Ecclesiae Strigo-  
 „niensis locique ejusdem Comiti perpetuo, Primati  
 „Hungariae, et Apostolicae Sedis legato nato, salu-  
 „tem, et gratiam. Cum nos ad creberrimas suppli-

„caciones fidelis nostri, Spectabilis ac Magnifici Ste-  
 „phani Vojevodae Moldaviae pro parte ejusdem no-  
 „strae propterea porrectas Majestati, tum praecipue  
 „ea consideratione, ne ipse ab obedientia et subje-  
 „ctione nostra, Coronaeque ipsius Regni nostri Hun-  
 „gariae deficeret, Turcisque, conjuratis Christi ini-  
 „micis, in detrimentum et jacturam non modo ejus-  
 „dem Regni, sed et totius Christianitatis adhaerendo,  
 „procliviorque quam hactenus fuit, redderetur; tum  
 „etiam aliis bonis respectibus, maturo inprimis una  
 „cum DD. Praelatis, et Baronibus, Regni nostri prae-  
 „fati nobilibus, tum penes Majestatem nostram exi-  
 „stentibus, habito superinde tractatu, ipsorumque ad  
 „id accedente Consilio, universas litteras, et littera-  
 „lia instrumenta, factum Castri Chyko vocati, in  
 „partibus nostris Transylvanicis in Comitatu Szolnok  
 „interiori adjacentis tangencia, et concernentia, qui-  
 „bus scilicet mediantibus Egregius Michael Imreffy  
 „dignoscitur dictum Castrum Chyko sibi, Jureque  
 „suo rite, et legitime pertinuisse, pertinereque de-  
 „bere praetendebat, ab eodem Michaeli receperi-  
 „mus et assignari fecerimus; eidem autem Michaeli  
 „superinde recompensationem condignam facere vo-  
 „lentes, Castrum Richo appellatum, cum Castello et  
 „Oppido Biche nuncupato, ac universis eorundem  
 „Castri et Castelli, ac Oppidi pertinentiis omnino  
 „in Comitatu Trenchiniensi existentibus, et habitis,  
 „ab Ecclesia Nitriensi, ad quam de Jure et ab anti-  
 „quo pertinuisse, et pertinere debere dignoscebatur,  
 „sub certis modis et conditionibus, in aliis litteris  
 „superinde emanatis, Clarius expressatis, seque-

„strando, praememorato Michaeli Imreffy, suisque  
 „haeredibus et posteritatibus universis pro dicto Ca-  
 „stro Chyko dederimus, donaverimus, et contuleri-  
 „mus, Jureque perpetuo adscripserimus. Et ne prae-  
 „fata Ecclesia Nitriensis in suis redditibus, et proven-  
 „tibus detrimentum aliquod pateretur, Cultusque Di-  
 „vinus in eadem minueretur, Praeposituram et Eccle-  
 „siam S. Margarethae Demessiensem, quam primum  
 „illam per secessum, vel decessum, aut aliter qua-  
 „litercunque vacare contingeret, cum omnibus suis  
 „juribus et pertinentiis de praefatorum DD. Praela-  
 „torum, Baronum, ac Regni nostri praefati Procerum  
 „Consilio, eisque volentibus et consentientibus autho-  
 „ritate Juris Patronatus nostri, quod sicut de cunctis  
 „ejusdem Regni nostri Hungariae Ecclesiis, ita etiam  
 „in ipsam Ecclesiam Demessiensem habere dignosci-  
 „mur, eidem Ecclesiae Nitriensi cum universis an-  
 „nectendam, et incorporandam fore decrevimus, tali  
 „conditione adjecta, quod si aliquando temporum in-  
 „successu aliquis ex Successoribus nostris Regibus  
 „Hungariae, hujusmodi Praeposituram ab ipsa Eccle-  
 „sia Nitriensi abscindere, aut auferre contenderet,  
 „non aliter, quam dictis Bonis, videlicet Castro, et  
 „Castello, et Oppido, caeterisque pertinentiis eo-  
 „rumdeni integraliter restitutis, abstrahere, et au-  
 „ferre valeat, atque possit. Nunc vero per electio-  
 „nem Venerabilis Bernardi Pollyán dictae Praeposi-  
 „turae ultimi, veri et immediati Possessoris in Epi-  
 „scopum Viennensem, ac per adeptionem, et asse-  
 „curationem, corporalem Possessionem ipsius Epi-  
 „scopatus, Bonorumque ejusdem administrationem,

„nec non decurso jam tempore de consecrandis Epi-  
 „scopis a sacris Canonibus definito, ipsa Praepositu-  
 „ra, et Ecclesia Demessiensis jam dicta, de Jure et  
 „de facto vacare dignoscitur, et volumus igitur, et  
 „Fidelitati Vestrae serie praesentium firmiter praeci-  
 „pientes mandamus, quatenus acceptis praesentibus  
 „praeattactam Ecclesiam Demessiensem simul cum o-  
 „mnibus Juribus, et pertinentiis ejusdem, saepefa-  
 „ctae Ecclesiae Nitriensi, autoritate Vestra Ordina-  
 „ria unire, incorporare, et annectere, nec non fide-  
 „lem nostrum Reverendum in Christo Patrem Domi-  
 „num Antonium ipsius Ecclesiae Nitriensis Episco-  
 „pum, nomine ejusdem Ecclesiae in, et ad realem,  
 „corporalemque, et actuaalem possessionem, Jurium-  
 „que et pertinentiarum memoratae Ecclesiae Demes-  
 „siensis inducere, inducique, ac de omnibus fructi-  
 „bus, redditibus, et obventionibus ejusdem per hos,  
 „ad quos pertinet, eidem Domino Antonio Episcopo;  
 „consequenterque suis Successoribus plenarie respon-  
 „deri facere debeatis; proviso tamen quod ipsa Ec-  
 „clesia Demessiensis propter hujusmodi unionem et  
 „incorporationem, et annexionem debitis non frau-  
 „detur obsequiis. Secus non facturi. Praesentibus  
 „perlectis exhibenti restituti. Datum Budae in festo  
 „SS. Philippi et Jacobi Apost. Anno Domini Millesi-  
 „mo, quingentesimo. — Quibus quidem Litteris Re-  
 „giis per ipsum Dominum Antonium Episcopum, no-  
 „bis ut praefertur, exhibitis, fuit per eundem nobis  
 „humiliter supplicatum: ut ad annexionem, unio-  
 „nem, et incorporationem ejusdem, litteris in eis-  
 „dem expressatis, ex causis similiter in eisdem ex-

„pressis procedere, et eum nomine dictae Ecclesiae  
 „suae Nitriensis in realem, corporalem, et actualem  
 „possessionem dictae Ecclesiae Demessiensis ponere,  
 „et introducere, seu poni et introduci facere digna-  
 „remur. Nos igitur de causis unionis, annexionis,  
 „et incorporationis hujusmodi in ipsis litteris regiis  
 „expressis, plenius informati, et totam notitiam ha-  
 „bentes, easque, et per consequens petitionis ipsius  
 „Domini Antonii Episcopi, supradictas justas, et  
 „legitimas fore censentes, ad unionem, annexionem,  
 „et incorporationem petitas, duximus procedendum,  
 „et processimus; eandem Ecclesiam cum omnibus et  
 „singulis pertinentiis ac juribus, proventibus, ac  
 „emolumentis suis praelibatae Ecclesiae Nitriensi  
 „univimus, annexuimus, et incorporavimus, uni-  
 „musque, annectimus, et incorporamus per praesen-  
 „tes, sic et taliter, quomodo deinceps ipsa Ecclesia  
 „Demessiensis, cum dictis pertinentiis, ac Juribus,  
 „et emolumentis memoratae ipsius Ecclesiae Nitrien-  
 „sis censeatur, et habeatur, omnique eo Jure, et  
 „praerogativa gaudeat, et potiatur, quo alia mem-  
 „bra ipsius Ecclesiae Nitriensis gaudent, et potiun-  
 „tur, salvis dumtaxat conditionibus tam in praeinser-  
 „tis, quam aliis litteris nostris regiis, ad quas scili-  
 „cet hae superius insertae se referunt, expressatis  
 „Quocirca Vobis Venerabilibus Dominis et Vicario S.  
 „Georgii M. de Viridi Capo, et majori, praescriptae  
 „nostrae Strigoniensis Ecclesiarum Praeposito, pro  
 „nunc constituto, et in futurum constituendo harum  
 „serie discretus praecipientes committimus, et  
 „mandamus, quatenus acceptis praesentibus, ac dum

„et quando cum praesentibus fueritis requisiti, aut  
 „alteruter vestrum fuerit requisitus, praefatum Do-  
 „minum Antonium Episcopum, seu ejus Procurato-  
 „rem legitimum, ejus et dictae Ecclesiae suae Nitri-  
 „ensis nomine, in, et ad realem, actualem, ac cor-  
 „poralem Possessionem memoratae Ecclesiae Demcs-  
 „siensis, Juriumque et pertinentiarum ejusdem po-  
 „natis, et introducatis, illamque, et illas cum omni-  
 „bus et singulis earum fructibus, utilitatibus, et emo-  
 „lumentis sibi et dictae Ecclesiae suae Nitriensi Jure  
 „et titulo praemissis statuatis, et consignetis, ac eos-  
 „dem in eisdem protegatis, tueamini, et defendatis  
 „facientes eidem Domino Antonio, et dictae Eccle-  
 „siae suae Nitriensi, ac Successoribus suis, et nemini  
 „alteri de universis et singulis fructibus, utilitatibus,  
 „Juribus, et obventionibus hujusmodi ab omnibus,  
 „quibus incumbit, locis, et temporibus debite re-  
 „spondere: Contradictores, si qui fuerint, per Cen-  
 „suram Ecclesiasticam, et alia Juris remedia Autho-  
 „ritate nostra praesentibus Vobis hac in parte attri-  
 „buita, compescendo. Datum Budae Dominico Die  
 „proximo post dictum Festum SS. Philippi et Jacobi  
 „Apost. Anno Domini supradicto. — Nos igitur pe-  
 „titionibus annotatorum Magistrorum Mathiae, et Se-  
 „bastiani Canonorum, ut praefertur, pro parte  
 „praememorati Domini Stephani Episcopi nobis por-  
 „rectis inclinati, praedictas litteras annotati Domini  
 „Thomae Cardinalis, et Archi-Episcopi etc. sanas et  
 „integras sine diminutione et augmento aliquali,  
 „praesentibus litteris nostris inseri, et transumi feci-  
 „mus, Pariaque earundem sub transumto ipsarum

„litterarum nostrarum, eidem Domino Episcopo, et  
 „Ecclesiae suae praedictae, communi justitia sva-  
 „dente, duximus concedenda. Datum in festo S. Ge-  
 „orgii Martyris Anno Domini Millesimo, quingente-  
 „simo vigesimo.“

Unionem per praemissas litteras factam Succes-  
 sor Antonii Nicolaus Episcopus Auctoritate Apostolica,  
 ut postea dicemus, firmari curavit. Unioni huic An-  
 tonius non diu supervixit. Legitur in Vladislai De-  
 cretis 2do et 4to de anno 1500 subscriptus, qui vitae  
 ejusdem ultimus fuit.

Reverendissimus Mathias Róka in Veszprimien-  
 sium Episcoporum Descriptione mentionem injicit  
 Mathiae Frangepani Episcopi Nitriensis; ubi agit de  
 Georgio (Gregorio) Com. Frangepán qui anno 1500.  
 Veszprimiensi Ecclesiae praefuit, subjungit: „quod  
 si non perinde, ut Mathias Nitriensis ejus temporis  
 Episcopus, Bernardini Comitis de Frangepan filius,  
 agnatus tamen fuit. „Unde Mathiam Frangepanum Ni-  
 triensem Episcopum aliis tacentibus desumserit? ari-  
 olari nequeo. Sed illum inter Praesules Nitrienses  
 computari non posse, fidenter assevero: quia Anto-  
 nius ad Annum 1500 vitam produxit, nactus anno  
 1501 Successorem Nicolaum de Bachka.

### §. 39.

**XXXVII.** *Nicolaus V. de Bachka* ex Praeposi-  
 to S. Petri de Castro Agriensi primum Syrmien-  
 sis Episcopus; dein Antonio in Sede Nitriensi Successor  
 datus; quod brevi post mortem Antonii Episcopi

evenisse, inde colligi potest; quia anno 1501 20a mensis Junii ab Vladislao Rege Confirmationem Privilegialium Ecclesiae suae super Comitatu Nitriensi a Carolo Rege concessarum, et a Mathia Rege sub Episcopo Thoma confirmatarum (§. 36.) novam Confirmationem impetravit; quae incipit: „Vladislaus Dei gratia Hungariae etc. Rex. Omnibus Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris praesentium notitiam habituris, salutem in salutis Largitore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod fidelis noster dilectus Reverendus in Christo Pater Nicolaus de Bachka Episcopus Ecclesiae Nitriensis, Nostrae Majestatis veniens in conspectum exhibuit nobis, et praesentavit quasdam litteras Serenissimi Principis condam D. Mathiae Regis Hungariae etc. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris, Domini Thomae tit. S. Martini in Montibus S. R. Ecclesiae Presbyteri Cardinalis, Strigoniensis Archi-Episcopi, Aulae nostrae summi et Secretarii Cancellarii, Dilecti et fidelis nostri: vigesima die Junii Anno Domini Millesimo quingentesimo primo. Regnorum Nostrorum Hungariae etc. anno undecimo, Bohemiae vero tricesimo primo etc.“ — Unionem Praepositurae Demessiensis cum Episcopatu Nitriensi, sub Decessore suo Antonio auctoritate Ordinaria factam, Sedis Apostolicae auctoritate firmari ab Julio P. II. impetravit, ut Litterae Apostolicae docent:

„Julius Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit, et convenit honestati, ut ea, quae de Romani Pontificis gra-

„tia processerunt, licet ejus superveniente obitu Lit-  
 „terae apostolicae de super confectae non fuerint,  
 „suum tamen sortiantur effectum. Dudum siquidem,  
 „postquam felicitis recordationis Alexander PP. VI.  
 „Praedecessor noster Venerabilem Fratrem nostrum,  
 „tunc suum, Nicolaum Episcopum Nitriensem, tunc  
 „Sirmiensem a vinculo, quo Ecclesiae Sirmiensi, cui  
 „tunc praeerat, tenebatur, de Fratrum suorum, de  
 „quorum numero, licet absentes, tunc eramus, con-  
 „silio, et apostolicae potestatis plenitudine absolvens,  
 „ipsum ad Ecclesiam Nitriensem, tunc certo modo  
 „Pastoris solatio destitutam, apostolica auctoritate  
 „transtulerat, praeficiendo ipsum illi in Episcopum  
 „et Pastorem, per eundem Praedecessorem accepto,  
 „quod Praepositura Ecclesiae beatae Mariae (Marga-  
 „rethae) Demessiensis, Nitriensis Dioecesis, quae  
 „inibi dignitas principalis, et de Jure Patronatus Re-  
 „gis Hungariae pro tempore existentis ex speciali  
 „Sedis Apostolicae privilegio, cui hactenus deroga-  
 „tum non erat, existebat, et quae hactenus nomine  
 „dictae Nitriensis Ecclesiae per Episcopos Nitrienses,  
 „qui fuerant pro tempore, aliquamdiu possessa fue-  
 „rat, certo modo vacaverat, et vacabat; tunc dictus  
 „Praedecessor, qui antea voluerat, quod in unioni-  
 „bus verus annuus valor secundum communem existima-  
 „tionem etiam beneficii, cui aliud uniretur exprimi  
 „deberet, alioquin Unio non valeret, et semper com-  
 „missio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset,  
 „quique circa statum Ecclesiarum, praecipue Cathed-  
 „ralium, et personarum illis praesidentium prospici-  
 „cere, et salubriter dirigendum aciem attentae con-

„siderationis extendebat; Ecclesiarum, et persona-  
 „rum earumdem indemnitatibus occurrendo, et op-  
 „portune eis providendo: volens praefato Nicolao et  
 „pro tempore existenti Episcopo Nitriensi, ut statum  
 „suum juxta Pontificalis Dignitatis exigentiam decen-  
 „tius tenere valeret, de alicujus subventionis auxilio  
 „providere, ipsumque Nicolaum a quibusvis excom-  
 „municationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ec-  
 „clesiasticis sententiis, censuris et poenis, a Jure,  
 „vel ab homine quavis occasione, vel causa latis,  
 „si quibus quomodolibet innodatus existebat, ad ef-  
 „fectum infrascriptorum dumtaxat consequendum, ab-  
 „solvens, et absolutum fore censens, ac verum, et  
 „ultimum dictae Praepositurae Vacationis modum,  
 „nec non fructuum, reddituum, et proventuum men-  
 „sae Episcopalis Nitriensis verum annum valorem  
 „pro expressis habens, motu proprio, non ad ipsius  
 „Nicolai Episcopi, vel alterius pro eo sibi desuper  
 „oblatae petitionis instantiam, sed de sua mera libe-  
 „ralitate sub datum videlicet quinto Idus Augusti Pon-  
 „tificatus sui anno nono, Praeposituram praedictam,  
 „cujus fructus, redditus, et proventus septvagina-  
 „quinque ducatorum auri de Camera secundum Co-  
 „munem existimationem, valorem annum, ut idem  
 „Praedecessor acceperat, non excedebant, quovis  
 „modo, et ex cujuscunque persona, seu per liberam  
 „resignationem, cujusvis de illa in Romana Curia,  
 „vel extra eam etiam coram Notario publico, et te-  
 „stibus sponte factam, aut Constitutionem piae me-  
 „moriae Joannis XXII. PP. etiam Praedecessoris no-  
 „stri, quae incipit: Execrabilis; vel assecutionem

„alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate col-  
 „lati, vacaret, etiamsi tanto tempore vacavisset,  
 „quod ejus Collatio juxta Lateran. Statuta Concilii  
 „ad sedem praedictam legitime devoluta, ipsaque  
 „Praepositura dispositioni apostolicae specialiter re-  
 „servata existeret, eique cura immineret animarum,  
 „super ea quoque inter aliquos lis, cujus statum idem  
 „Alexander haberi voluit pro expresso, penderet in-  
 „decisa, dummodo dicta die quinto Idus Augusti non  
 „esset in ea alicui specialiter Jus quaesitum, cum  
 „omnibus Juribus, et pertinentiis suis dictae men-  
 „sae, cum ad hoc Carissimi in Christo filii nostri,  
 „tunc sui, Wladislai Hungariae Regis illustris ex-  
 „pressus accessisset assensus, dicta auctoritate apo-  
 „stolica perpetuo univit, annexuit, et incorporavit,  
 „ita, quod liceat eidem Nicolao, et pro tempore ex-  
 „istenti Episcopo Nitriensi per se, vel alium seu  
 „alios Corporalem possessionem Praepositurae, Juri-  
 „umque et pertinentiarum praedictorum, propria au-  
 „ctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere,  
 „ac illius fructus, redditus, et proventus in suos,  
 „et mensae ac Praepositurae praedictorum usus, et  
 „utilitatem convertere, cujusvis licentia super hoc  
 „minime requisita; non obstantibus voluntate sua  
 „praedicta ac recolendae memoriae Bonifacii PP. VIII.  
 „similiter Praedecessoris nostri, et aliis apostolicis  
 „Constitutionibus, nec non dictae Ecclesiae beatae  
 „Mariae juramento, confirmatione apostolica, vel  
 „quavis firmitate alia roboratis statutis, et Consue-  
 „tudinibus contrariis quibuscunque; aut si aliqui su-  
 „per provisionibus sibi faciendis de Dignitatibus ipsi-

„us Ecclesiae beatae Mariae speciales, vel aliis be-  
 „nificiis ecclesiasticis in illis partibus generales di-  
 „ctae Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetras-  
 „sent, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservatio-  
 „nem, et decretum, vel alias quomodolibet esset pro-  
 „cessum, quas quidem litteras et processus habitos,  
 „per easdem, et inde secuta quaecunque dictus Ale-  
 „xander Praedecessor ad dictam Praeposituram voluit  
 „non extendi, sed nullum hoc eis quoad assecutio-  
 „nem Dignitatum, vel beneficiorum aliorum praeju-  
 „diciam generari, et quibuslibet aliis privilegiis,  
 „indulgentiis, litteris apostolicis Generalibus, vel  
 „specialibus, quorumcunque tenorem existerent, per  
 „quae litteris ipsius Alexandri Praedecessoris, si su-  
 „per hoc confectae fuissent, non expressa, vel tota-  
 „liter non inserta effectus earum impediri valeret  
 „quomodolibet, vel differri, et de quibus quorum-  
 „cunque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda  
 „esset in eisdem litteris mentio specialis, proviso,  
 „quod propter unionem, annexionem, et incorpora-  
 „tionem praedictas, dicta Praepositura debitis non  
 „fraudaretur obsequiis, et animarum cura in ea, si  
 „qua illi immineret, nullatenus negligetur, sed ejus  
 „congrue supportarentur onera consveta. Praefatus  
 „enim Alexander Praedecessor ex tunc irritum decre-  
 „vit, et inane, si secus super his a quoquam quavis  
 „auctoritate scienter vel ignoranter contingeret atten-  
 „tari. Ne autem de absolutione, unione, annexione,  
 „incorporatione, et decreto praedictis pro eo, quod  
 „super illis dicti Alexandri Praedecessoris litterae,  
 „ejus superveniente obitu confectae non fuerint, va-

„leat quomodolibet haesitari, dictusque Nicolaus E-  
 „piscopus illorum frustretur effectu, volumus, et di-  
 „cta auctoritate apostolica decernimus, quod absolu-  
 „tio, unio, annexio, incorporatio, et Decretum Ale-  
 „xandri Praedecessoris hujusmodi perinde a dicta  
 „die Quinto Idus Augusti suum sorciantur effectum,  
 „ac si super illis ipsius Alexandri Praedecessoris lit-  
 „terae sub ejusdem diei Data confectae fuissent, pro-  
 „ut superius enarratur; quodque praesentes Litterae  
 „ad probandum plene absolutionem, Unionem, an-  
 „nexionem, incorporationem, et Decretum Alexan-  
 „dri Praedecessoris hujusmodi ubique sufficiant, nec  
 „ad id probationis alterius adminiculum requiratur.  
 „Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam  
 „Nostrae Voluntatis et Constitutionis infringere, vel  
 „ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc  
 „attentare praesumserit, indignationem Dei omnipo-  
 „tentis, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus  
 „se noverit incursum. Datum Romae apud S. Pe-  
 „trum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quin-  
 „gentesimo tertio. Sexto Kalend. Decembris, Pontifi-  
 „catus nostri anno primo.“

Praepositura haec, non obstante eo, quod Epi-  
 scopatui Nitriensi per modum Cambii data, et eidem  
 incorporata, perpetuoque unita fuerit, turbulentis  
 temporibus ab eodem Episcopatu abstracta, ac dein  
 penes speciales Collationales diversis fuit collata,  
 quam post decessum Sigismundi Szórényi electi Epi-  
 scopi Traguriensis, vi Juris Patronatus Josephus I.  
 Imp. et Rex anno 1710. 24ta mensis Jan. contulit La-  
 dislao Adamo Comiti Erdódy Episcopo Nitriensi. Ean-

dem vero Carolus VI. Imp. et Rex, postquam idem Episcopus Erdódy per litteralia Documenta demonstrasset, eam titulo Cambii per Regem Vladislaum Ecclesiae Nitriensi datam, et Jure perpetuo unitam, abalienari non potuisse; ab injustis Possessoribus reivindicatam, cum omnibus Juribus, et Bonis ad eandem pertinentibus, reunivit, ac reincorporavit, Episcopoque praefato et Vice-Cancellario, ac per eum Ecclesiae Nitriensi, et in ea Successoribus donavit et contulit Diplomate ddo 3tiae mensis Aprilis anno 1724. — Sed possessio ejus non fuit diuturna. Decreto enim Augustae Mariae Theresiae, quod suo loco dabimus inferius, anno 1779. ab Episcopatu Nitriensi iterum abstracta, et Capitulo Strigoniensi ea cum obligatione collata fuit, ut in Seminario generali tres Alumni pro parte Diaecesis Nitriensis educarentur. — Nicolaum Episcopum quod attinet, ille post annum 1503 in Diplomatum non amplius comparet, ad Transylvaniensem translatus, nactus anno 1504. successorem Sigismundum.

#### §. 40.

XXXVIII. *Sigismundus* e Familia Comitum Thurzó de Bethlehemfalva. Plures hoc tempore e Thurzonum familia erant Episcopi. Joannes an. 1502 Vratislaviensem in Silesia Ecclesiam regendam accepit. Stanislaus laudatus a Dubravio anno 1503 Olomucensem in Moravia tenuit. Noster Sigismundus ex Praeposito Albaregalensi, et Secretario Regis, Sirmiensis Episcopus nominatus; qua electus Sirmiensis

in Privilegialium confirmatione Nicolao de Bachka Episcopo Nitriensi per Vladislaum Regem anno 1501 20a Junii data, subscriptus. Hoc Episcopatu per Eum vel non acceptato, vel mox dimisso, in Diplomate, quo Stephano Korda Possessio Also - Rutka confertur, anno 1503 feria 3ta proxima ante festum Ascensionis Domini; ita etiam in Litteris Regis Vladislai intuitu ejusdem Sigismundi ad Capitulum Scepusiense datis, Budae in die B. Urbani Papae anno Domini 1503 utrobique scriptus est simpliciter Praepositus Ecclesiae Albensis, et Secretarius noster. Ex Praeposito itaque Albaregalensi factus Episcopus Nitriensis anno 1504. In statutoriis Vladislai super Possessione Lakátsy anno 1504 in festo Mathiae Apostoli datis vocatur *electus Nitriensis*. Decreto 5to Vladislai anni 1504 subsignatus Sigismundus Thurzó *Episcopus Nitriensis*, pro brevi duntaxat tempore; quia sub finem anni ejusdem ad Sedem Transylvaniensem translatus; inde anno sequente 1505 ad Varadinensem traductus: hinc anno 1512 ad aeterna tabernacula translatus. Ejus Corpus Leutsoviam, locum natalem advectum, ibidem humi conditum est. In Episcopatu Nitriensi ei successit Stephanus Podmaniczky.

#### §. 41.

**XXXIX.** *Stephanus II.* Podmaniczky de Podmanyin: in Decreto, quod in Campo Rákoss contra successionem exterorum editum fuit an. 1505 Die 13a Octobr. jam legitur Stephanus *Episcopus Nitriensis*. Fuit Personalis Praesentiae Regiae Majesta-

tis Locumtenens. Mox altero ab adito Episcopatu anno edidit in favorem Claustri Nitriensis B. Virginis Mariae Ord. FF. minorum coram Capitulo suo fassionem ratione Molendini Barát-Malma dicti hunc in modum:

„Nos Capitulum Ecclesiae Nitriensis memoriae  
 „comendamus tenore praesentium, quibus expedit  
 „universis. Quod Reverendissimus in Christo Pater,  
 „et DD. Stephanus Episcopus dictae Ecclesiae Nitri-  
 „ensis, locique ejusdem Comes perpetuus, ac Perso-  
 „nalis Praesentiae Regiae Majestatis Locumtenens,  
 „Dominus scilicet, et Praelatus noster, nostri perso-  
 „naliter constitutus in medio sponte et libere confes-  
 „sus est in hunc modum: Quod nempe his proxime  
 „praeteritis annis ipse Divina permittente Benigni-  
 „tate Episcopatum Nitriensem adeptus fuisset, litte-  
 „rasque et litteralia instrumenta dicti Episcopatus  
 „sui Nitriensis diligenter revolvisset, et perlegisset,  
 „ac ex tenore, et continentis earum, eorumque,  
 „prope Ecclesiam beatissimae Virginis Mariae in Mon-  
 „te Viridis Campi extra Civitatem Nitriensem adja-  
 „centem, fundatum in fluvio Nitra-Vize nuncupato,  
 „unum locum Molendini, Claustri ejusdem beatissi-  
 „mae Virginis Mariae in suburbio dictae Civitatis Ni-  
 „triensis fundati, et per consequens Religiosorum FF.  
 „Ord. minorum S. Francisci, in eodem Claustro degen-  
 „tium, Baráth-Malma appellatum, in fine praedicti Sub-  
 „urbii in fluvio Nitra-Vize praedicto, intra veras Metas  
 „praedictae Civitatis Nitriensis in Comitatu Nitriensi  
 „existentis decurrente habitum, de cujus scilicet Pro-  
 „ventu Fratres ipsi, Divino videlicet cultui in eo-

„dem Claustro insistentes, omnia victui eorum ne-  
 „cessaria suppeditarent, et administrarent, arbitra-  
 „tus illud ad praefatum Episcopatum suum Nitrien-  
 „sem spectare, a manibus praefatorum Fratrum ad  
 „antelatum Episcopatum suum Nitriensem occupa-  
 „verit, et usurpaverit: tamen quia ex post idem D.  
 „Episcopus tum ex praedictis Episcopatus sui, tum  
 „etiam antedicti Claustri beatissimae Virginis Mariae  
 „litteris, et litteralibus instrumentis, ac etiam non-  
 „nullorum fidedignorum relationibus per expressum,  
 „et absque cujusvis ambiguitatis scrupulo agnoscens,  
 „praescriptum Molendinum ad ipsum, et per conse-  
 „quens Episcopatum suum Nitriensem antefatum nul-  
 „lo Jure pertinere, sed omnimodo praenotatum Clau-  
 „strum beatissimae Virginis Mariae, et fratres prae-  
 „attactos concernere; Quia vero praefatus D. Epi-  
 „scopus tum ex eo, tum vero ob singularem spem,  
 „et devotionem, quam ipse erga beatissimam Virgi-  
 „nem Mariam, in cujus scilicet nomine glorioso an-  
 „notatum Clastrum constructum existit, haberet,  
 „et gereret, certisque aliis bonis respectibus volens  
 „praevia ratione praescriptis fratribus aliquam ulte-  
 „riorem scintillam differentiarum, ne scilicet etiam  
 „futuris successivis temporibus per suos Successores  
 „Episcopos, visis iterum, et examinatis praemissis  
 „litteris et litteralibus instrumentis praenarrati Epi-  
 „scopatus Nitriensis, praelibatum Molendinum ejus-  
 „dem Claustri sub nomine praedicti loci molendini  
 „Episcopatus Nitriensis, ab iisdem Fratribus reoccu-  
 „paretur, et quovis modo alienaretur, et per hoc Di-  
 „vina officia in eodem Claustro per praedictos fra-

„tres diu, noctuque ad laudem, et gloriam Omnipo-  
 „tentis Dei, et ejusdem gloriosissimae Virginis Ma-  
 „riae Matris suae peragenda negligenterentur, et dimi-  
 „nuerentur, relinquere; sed volens omnibus scintil-  
 „lis differentiarum praetextu annotati Molendini in-  
 „ter ipsum Dominum Episcopum, et Praedecessores  
 „suos Episcopos ab una, ac jam fatos Fratres ex  
 „altera partibus, a temporibus diuturnis usque ad  
 „haec tempora qualitercunque subortarum, a modo  
 „deinceps finem imponere decisivum, et fratres ipsos  
 „in perpetuo ejusdem molendini Dominio pacifico  
 „permittere, peractionemque Divinorum officiorum,  
 „in quantum facultas pia exigit, in praementionato  
 „Claustro B. M. V. dietim augeri; ob hoc ipse Do-  
 „minus Episcopus praeinsertum Molendinum prae di-  
 „cti Claustrum beatissimae V. M. perenni modo, quo  
 „supra, ad praefatum Episcopatum suum usurpatum,  
 „eisdem fratribus pure, et simpliciter remisisset, re-  
 „signasset, manusque suas de eodem penitus exce-  
 „pisset, imo remisit, et resignavit coram Nobis ha-  
 „rum Nostrarum, quas appensione pendentis, et au-  
 „thentici sigilli nostri fecimus communiri, vigore et  
 „testimonio litterarum mediante. Datum Sabbatho  
 „proximo ante festum B. Bartholomaei Anno Domini  
 „Millesimo quingentesimo sexto.“

Stephanus Episcopus inter fidejussores Tabulis  
 foederis inter Vladislaum, et Sigismundum Poloniae  
 Regem de anno 1507 feria 6ta proxima ante festum  
 SS. Trinitatis confectis; prout etiam in Concl. Decr.  
 7mi Vladislai de anno 1514. subscriptus legitur. Rege  
 Vladislao II. rebus humanis exempto, filius Ludovi-

cus in Paterno solio successit. Sub hoc Rege illuxit ille annus 1526. toti Hungariae fatalis, quo in pugna ad Moháts cum Solimano commissa, Regem, multos Proceres, plerosque Episcopos una Dies sustulit. Episcopus Stephanus incolumis evasit. Cladem Mohátsianam, difficile dictu est, quantae turbae exceperint, quibus Hungarorum vota, et animi in duas partes, maximo Patriae malo, pene ex aequo scindebantur. Pars una Ferdinando Austriaco, ex veteribus, novisque Successionis pactis coronam et sceptrum deferbat; altera Joanni Zapolyio Comiti Scepusiensi, Vajvodae Transylvaniae tantopere favebat, ut ejusdem vertici paucis post mensibus Diadema imponeret. In Conventu Tokaini, ubi cum numeroso stabat exercitu, Rex acclamatus, longo agmine nobilium cinctus Budam, atque inde Albam regalem advolavit, ubi luce Divo Martino Episcopo Sacra, non a Paulo Vardajo, quem Strigoniensem Metropolitam dixit, prout Istvánffius per Jovium in errorem, deinceps propagatum, inductus scripsit; verum per Episcopum nostrum Stephanum de Podmanyin regis Insignibus ornatus, et corona redimitus: cujus rei testimonium perhibent Litterae Ferdinandi Regis ad Stephanum de Podmanyin datae. Cum enim Episcopus noster intellexisset Ferdinandum Regem sibi propterea subirasci, quod Joannem Zápolya coronasset, facti veniam precatus, Rex Ferdinandus eam concessit his Litteris:

„Ferdinandus Dei gratia Hungariae etc. Rex etc.  
 „— Notum facimus — — quod cum Reverendus de-  
 „votus — — Stephanus Podmaniczky Episcopus Ni-

„triensis Majestati nostrae exponi fecerit, se acce-  
 „pisse, nos eidem indignari ob id maxime, quod Jo-  
 „annem Comitem Scepusiensem quondam Vajvodam  
 „Transylvaniensem superioribus mensibus in asser-  
 „tum Hungariae Regem coronaverit: ipse vero Epi-  
 „scopus asserat, se ab eodem Comite vocatum, et  
 „cum inibi comparuisset, discedere non potuerit,  
 „nisi eidem Comiti in his, quae petebat, morem ge-  
 „reret, aut vitae suae discrimen subiret; hujus ergo  
 „sui commissi veniam petens — — supplicaverit,  
 „ut eum ab omni culpa, quam propterea commervis-  
 „set, absolvere, et liberare, eique Clementiam no-  
 „stram impertiri dignaremur, maxime, cum de prac-  
 „senti, Juri et electioni legitimaе, quae de Persona  
 „nostra Posonii facta est, sponte accesserit, et con-  
 „senserit. — — Idcirco Nos Ferdinandus Rex ante-  
 „dictus relatione praefati Episcopi, et causis — —  
 „bene perpensis — — eidem Episcopo culpam omnem  
 „— — remisimus, et condonavimus. Datum in Ci-  
 „vitate nostra Viennaе die 29na Mensis Julii anno  
 „1527.“ Exhibet has Litteras Praj in Sp. h. h. —  
 Interea Ferdinandus, qui, dum ea agebantur, in Ger-  
 mania Comitia celebravit, ab altera parte Procerum  
 Rex Hungariae Posonii dictus, conscripto celeriter  
 milite, anno 1527 in Hungariam contendit; urbes  
 Danubio adsitas, ipsamque urbem Regiam Budam  
 Deditione occupavit; dein Budam ad Kal. Septemb.  
 anni 1527. pro futura sui Coronatione Comitia indi-  
 xit. His interfuit etiam Stephanus Podmaniczky,  
 teste Ursino Velio Ferdinandi Regis Historico, Maxi-  
 miliani Instructore, dein Praeposito Mislensi, qui

simul oculatus testis est, Ferdinandi Coronationem, cui Ipse interfuit, non a Várdajo, sed a Podmaniczkyo fuisse peractam. Postquam ritus et Caeremonias coronationis institutae descripsisset, subjungit „post haec (unctionem peractam) Nitriensis Antistes acceptum Diadema, bene adprecatus, aliquamdiu supra Caput Regium attollens, altius tenebat interrogante Palatino intenta voce Primores, et circumfusam multitudinem: num Ferdinandum Regem juberent? idque ternis vicibus; cumque responsa dedissent, continuo Episcopus applaudente universa multitudine, Coronam Regio Capiti imposuit, dextram illius Sceptro, laevam orbe illo aureo exornavit, denique gladio eum accinxit, quo memorant Divum Stephanum usum fuisse.“ Postero die 4ta Nov. Coronationem Annae Reginae ab Episcopo Neytrano peractam scribit. Cur Coronatio Ferdinandi Regis non fuerit peracta per Paulum de Varda electum et nominatum Archi-Episcopum Strigoniensem, cum haec de Jure ad Archi-Episcopos Strigonienses pertineat, vel ea fuit Causa, quia Pallium Archi-Episcopale Roma non perceperat, in quo continetur plenitudo Pontificalis officii; vel quia adversa tentabatur valetudine; nam ad Comitia Budam vocatus comparuit quidem, Regem nihilomines Albam pro Coronatione proficiscentem, obtentu sinistrae valetudinis cunctatius sequebatur; vel denique: quia a Zápolya in Archi-Episcopum Strigoniensem nominatus, Partibusque illius fideliter adhaerens, ne Eï actu hoc praejudicium inferat, Coronationem non peregit; sed absente Coloczensi, per Stephanum Nitriensem, seniorem suffra-

ganēum peracta fuit. Ratio vero non patet, cur Thomas Szalahazius Episcopus Veszprimiensis, qui Coronationi Annae Reginae interfuit, functionem hanc Neytrano Episcopo cesserit. Eodem, quo haec acta fuerunt, anno, Nitrienses Cives, qui Zápolyianis arcem Nitriensem tenentibus, contra Ferdinandum adhaeserunt, contra suum Episcopum Stephanum Podmaniczky ad Joannem Regem querelas detulerunt, sperantes se gratiam inituros: interim Rex Joannes easdem Sabbatho proximo post Festum Ascensionis Domini 1527 Stephano Episcopo transmisit. Anno 1528 a Ferdinando Rege Jus Patronatus Regii super collatione Abbatiae S. Benedicti de Szkalka pro se, Successoribusque suis Episcopis Nitriensibus obtinuit. Hac tempestate scribit Istvánffius, inter duorum Regum contentiones, et Dissensionum procellas, quibus omnia susque deque habebantur, Episcopatus fere omnes a militaribus, profanisque hominibus, non sine inexpiabili rerum Divinarum injuria, et pessimo humanarum exemplo, hinc inde distracti erant: Agriam siquidem Perényius post obitum Frangepani Antistitis, vi occupatam; Joannes Saracenus Quinque-Ecclesias; Nitriam Valentinus Turcus (Tórók) etc. omnes profani, quamquam armis et bello egregii, sibi usurpaverant.“ An Calamitosum hunc Ecclesiae suae Statum Podmaniczky supervixerit; numve ultra annum 1528, quo adhuc interfuit Comitiis, vitam, et quamdiu produxerit, memoriae proditum non est.

Vaddingus de F. Francisco Frangepan Ord. minorum ad annum 1539. memorat, illum Nitriensem tenuisse Episcopatum. „Fratri inquit Francisco de

Frangepanibus, viro docto, et nobili, regularis observantiae, datae sunt tres Ecclesiae insignes, tunc unitae in Hungaria: Archi-Episcopalis Coloczensis una, Episcopales duae, Agriensis, et Nitriensis — Die 30. Maji.“ De Coloczensi et Agriensi non habeo, quod dicam. Nitriensem vero Sedem nunquam tenuit: hanc ab anno 1534 insedit Franciscus Thurzó, quem Vaddingus cum Frangepanio; cum utrique idem Iustricum nomen fuerit, confudisse videtur.

§. 42.

XL. *Franciscus I. C. Thurzo* de Bethlehemsfalva successit Stephano anno 1534: *electi* nomine veniebat, nec confirmatus unquam, nec Consecratus. Camerae Praefecturam anno 1540 consecutus, et in Conventu Tyrnaviensi anno 1547 in festo S. Catharinae Virg celebrato electus ad colligendas pecunias pro conservatione gentium, et praesidiorum finitimorum resolutas. Dum ejus Frater C. Alexius Thurzo Judex Curiae Regiae, et Ferdinandi Regis Locumtenens, Die 25. Jan. 1543. mortem oppetiit, per Tabulas ultimae suae voluntatis disposuit: „quod attinet ad arcem, et Episcopatum Nitriensem, volo et statuo, ut officiales mei, quemadmodum et jurare illos feci, arcem, et Bona omnia illius Episcopatus dent ad manus Fratris mei Francisci Thurzo, sed non prius, quam ipse quoque prius per litteras fassionales det consensum liberae Dispositioni meae Testamentariae; quemadmodum duo Georgii Thurzones fecerunt, quae litterae, et fassiones exstant. Simili

autem fassione facta, et litteris datis, detur Castrum Nitriense, et omnia Bona Episcopatus ad manus illius.“ An vigore hujus Dispositionis Castrum Nitriense, et Bona Episcopatus Franciscq Thurzo restituta fuerint? exploratum non habeo. Sed brevi postea anno 1548 in Comitiis art. 8vo, et anno 1550 art. 17mo statutum est, ut Bona Ecclesiastica a Laicis auferantur, et Ecclesiis, quarum sunt, restituantur. Erant hoc tempore plerique fere Episcopi duntaxat electi, absque Consecratione; quia Proventibus spoliati, Bullas confirmationum redimere nequiverant, quod in maximum Religionis Catholicae detrimentum vergebat: ideo tam anno 1548 art. 9no quam anno 1550 art. 14to dispositum, ut medio mittendi oratoris Confirmationes Episcoporum per suam Majestatem a Sede apostolica gratis impetrentur. Valuit etiam petitio: nam anno insequente plures ex Episcopis electis Confirmationem a Summo Pontifice obtinuerunt; inter hos non fuit Thurzo Nitriensis, qui non videtur vel petiisse unquam sui Confirmationem. Anno 1553 Die 22da Sept. Juris Patronatus super collatione Abbatiae de Szkalka, quod Decessor Stephanus impetraverat, Confirmationem a Rege Ferdinando obtinuit (§. 10.) Anno 1554 omnes caeteri Episcopi, praeter Franciscum Thurzo, qui in publicis actis continuo electus scribebatur, confirmationem consecuti sunt. In Diplomate, quo Ferdinandus bellicas virtutes Caspari Pétsii remuneratus est, anno 1555. 20ma Julii legitur subscriptus; sed anno 1557. jam occurrit in Diplomatribus Paulus Bornemisza Transylvanensis Episcopus, Gubernator Nitriensis. Pra-

jus scribit Franciscum Thurzo in minoribus tantum Ordinibus constitutum fuisse, et ne cogeret ad Sacerdotium, Episcopatum deseruisse, et ad Sectarios transeundo, primum Barbaram filiam Nicolai Koszka de Szedlicz; postea Catharinam filiam Nicolai Comitis Zrinyi, uxorem duxisse; multis occasio et causa factus ruinae. Tenuit Episcopatum ad an. 1557. an. 1564 factus Comes Arvensis Comitatus, et an. 1566 supremus annonae Commissarius; vitam juxta Praj perduxit ad annum 1569.

§. 43.

**XLI.** *Paulus Bornemisza* fuit primum Praepositus Budensis anno 1548 et Consiliarius, a Ferdinando Rege ad Dominam Claram Zékel Petri Perény viduam relictam, ejusque filium Gabrielem Perény missus propter restituendam arcem, et Bona Episcopatus Agriensis; anno sequenti 1549 Martino Kecheti Episcopo Veszprimiensi, qui ad sectarios transiit, Antonii Drugeth filia in Matrimonium accepta, in ea Sede subrogatus; unde 26ta Maji 1553 ad Transylvaniensem fuit translatus, 3tio nonas Aug. confirmatus; sed post recuperatam ab Isabella Transylvaniam exesse jussus, retento Transylvaniensis Episcopi titulo, anno 1557 Gubernator, et Administrator Episcopatus Nitriensis constitutus; nam in Transumpto Capituli Nitriensis Privilegialium Ferdinandi II. an. 1554 Civibus Nitriensibus concessarum, expedito 10-a Juli an. 1557 occurrit Paulus Bornemisza Episcopus Transylvaniensis, Gubernator Nitriensis.

**Profecto: non potuit luctuoso hoc tempore Nitriensi Ecclesiae dignior dari Antistes, qui scandalum ab Thurzone datum repararet. Effecitque sua prudentia, et candidissimis moribus, ne qui pravo Thurzonis exemplo animati, ad similia tentanda abripiantur. Celebrata mox Synodo Diaecesana, Acta, et statuta Synodi sub Antonio Episcopo celebratae innovavit, adauxit, declaravit publicavitque. Ab anno 1558. usque annum 1573 Clausulis Diplomatum legitur insertus Paulus Bornemisza Episcopus Transylvaniensis, Gubernator Nitriensis. Dum Oláhus Archi-Episcopus Strigoniensis in Celebrato Die 2da Dec. an. 1559 conventu, Episcoporum Consilia de celebranda Synodo expetiit, Paulus noster praemissa Protestatione declaravit, se non locuturum ad Propositionem Domini Archi-Episcopi, Metropolitanae Strigoniensis, tamquam Episcopum Transylvaniensem, sed duntaxat ut electum, seu nominatum in Comendam Episcopatus Nitriensis; cupiens hac ratione Metropolitanae Coloczensis Jura servare intacta. Interfuit Synodo Tyrnaviensi Die 24ta Aprilis 1561 celebratae, ex qua ad Concilium Tridentinum Joannes Kolosváry Ord. S. Dominici Episcopus Csanadiensis, et Andreas Dudich, alias Sbardelatus, Episcopus Tinniniensis ablegati fuere; pro quorum sumtibus facta adrepartitione, Paulo Bornemisza Episcopo Transyl. et Gubernatori Nitr. aurei sexaginta sex; Capitulo Nitriensi aurei octo obtigerunt. Olahus Archi-Episcopus Strig. cui acceptissimus fuerat, eundem cum Georgio Draskovich Zagradiensi, Joanne Listio Veszprimiensi, Stephano Radetio Varadinensi Episcopis, et Mathaeo**

Graeco, suo Vicario, et Praeposito Majori Strigoniensi, Executorem Testamenti constituit. A morte Olahi Paulus Bornemisza anno 1568 Locumtenens Regius factus: qua Locumtenens Regius anno 1571 Capitulo Agriensi ex Bonis Cartusianorum vallis auxilii pone Agriam, quae fratribus Ordinis dispersis per laicos occupata tenebantur, sex sessiones Jobbagyiales in Possessione Négyes Comitatus Borsodiensis contulit. Anno eodem 1571 Die 2da Decem. Nitriae Antonio Verantio, qui Olaho in Strigoniensi Metropolitana Sede suffectus fuit, Pallium Atchi-Episcopale imposuit, quod idem Archi-Episcopus Joanni Sambuco Tyrnavia 13tia Decem. ejusdem anni significavit his litteris: „— De mea Valetudine si quaeris, belle habeo. Curo res Ecclesiae, Clericorum Ordinationes paro, festisque natalitiis absolutis Posonium redibo, diemque ibidem Comitiorum expectabo. Jam tandem Nitriae secunda hujus Sacro pallio insignitus donatusque Archi-Episcopali plenitudine. etc.“ — Grandaeus annorum 87. Magistratu Locumtenentis eodem anno 1571 sese abdicavit, quem Rudolphus Verantio contulit. Reliquum, quod supererat vitae, Paulus Abstemius Dioecesi impendit: ut Dierum, ita meritorum plenus anno 1579 cursum vitae mortalis laudabiliter consummavit, Nitriae in sua Cathedrali sepultus. Successor Zacharias Mossóczy hoc ei posuit Epitaphium:

„D. O. M. S. Paulo Abstemio Quinque-Ecclesiensi, Episcopo Transylvano, hujus Ecclesiae Comendatorio, et Comiti perpetuo, Ferdinandi I. et Maximiliani II. Imp. et Reg. S. M. Secretario, Consilia-

rio, ad postremum hujus in Hungaria Pro-Regi, de se, et amicis bene merito, piam, etsi exiguam memoriam Zacharias Mossóczy Successor h. S. (hujus Sedis) XIII. Decem. anno Domini MDLXXXVI. — Ecclesiae suae Nitriensi reliquit Calicem ex auro, unionibus, et lapidibus pretiosis ornatum, cum hac Inscriptione: „Paulus Abstemius Quinque-Ecclesiensis, Episcopus Transylvaniensis fractum emit, addidit, reparavit anno Domini 1564. aetatis suae 67mo“ Reliquit etiam Pixidem, seu Ciborium argenteum vetusti operis cum Cuppa, cujus operculum est vitreum; in pede habens insigne cum litteris P. B. et Inscriptionem: „Reverendissimus Dominus Paulus Abstemius Quinque-Ecclesiensis, Episcopus Transylv. etc. fieri fecit anno 1570.“

#### §. 44.

**XLII. Zacharias!** Mossóczy vacantem a morte Pauli Abstemii Sedem Nitriensem occupavit. Tabulae Romanae habent anno 1573. 15ta May per Gregorium XIII. P. provisum fuisse Ecclesiae Tinniniensi, per Translationem Stephani Fejérkóvy Veszprimium vacanti, in persona Zachariae Mossóczy cum Dispensatione gradus Doctoratus, et cum retentione Beneficiorum, quae obtinet. Anno 1578 translatus ad Episcopatum Vacientem, simul Praepositus Pilisiensis. In Decreto 2do Rudolphi R. de anno 1582 art. 4to ad appellatas causas revidendas penes Reverendissimum Dominum Locumtenentem Zacharias Episcopus

Vaciensis deputatus: sed eodem hoc anno Die 28va Mart. Episcopus Nitriensis renuntiatus. In confirmatoriis privilegiorum Arvensium Rudolphi Regis de 28a April. 1583, prout etiam in Diplomate, quo Crucigeratus Soproniensis libertates confirmantur die 27ma Septem. 1583 *electus Nitriensis* vocatur. Eodem hoc anno Donationes, et privilegiales Ecclesiae suae sub 9na mensis Aug. 1583 transumi procuravit. Pariter etiam hoc anno Mossoczyus cum Nicolao Telegdio Quinque-Ecclesiensi Episcopo Decreta Regum, in unum Collecta Corpus, Tyrnaviae prelo subjicere coepit, ut titulus iste indicat, „Decreta, Constitutiones, et articuli Regum inclyti Regni Hungariae ab anno Domini Millesimo trigesimo quinto, ad annum sesquimillesimum octuagesimum tertium publicis Comitibus edita, cum rerum indice copioso. Tyrnaviae cum Sacrae Caesareae, Regiaeque Majestatis gratia et privilegio, Anno Domini MDLXXXIII.“ De hac editione Mossoczyus in Dedicatione Rudolpho II. facta hunc in modum scribit: „Ego, et Reverendissimus Dominus Nicolaus Telegdinus Episcopus Quinque-Ecclesiensis, e cujus aedibus liber impressus prodit, labori, curae, et Studio Editionis, necessarios quoque sumtus adjecimus, quo magis leges patriae suam tueri possint Dignitatem.“ Jam 1581 Joannes Sambucus, dum Antonii Bonfinii historiam edidit, simul etiam Decreta Regum, ad 5tum usque Decretum Mathiae I. R. anni 1481 subjunxit. Praeterea Stephanus Illosvay Praepositus Major, et Vicarius Agriensis jam anno 1544 Decretorum, ab Hungariae Regibus editorum Collectionem adornavit, qui Codex,

ut habet Battyányi Leg. Ec. Tom. 1. dein ad manus Nicolai Telegdii, Epis. Quinque-Eccles. perlatus, et ab illo Zachariae Mossóczy Epis. Nitr. traditus, modo dictis Antistitibus laudem primorum Collectorum peperit.“ — Prajus scribit Illum Nitriensi Ecclesiae prae-fuisse ad annum 1586. atque hoc anno 10ma April. circa horam 2dam noctis mortuum, et postridie infra Altare majus Templi Domus Professorum Soc. Jesu Viennae conditum fuisse. At vero Mossóczyus in literis Rudolphi fundationalium Abbatiae Szkalkensis confirmatoriis de 17ma Aug. 1586. in clausula subscriptus occurrit; et Lapis sepulchralis, qui in Ecclesia Nitriensi visitur, alium diem et annum obitus ejusdem indicat, hac inscriptione: „Tandem quiescit Zacharias Mossóczy, quum per omnes Sacerdotales Ordines, Dignitatesque ad Episcopatum Tinniniensem vocatus, tandem ad Vaciensem postulatus, et ultimo hujus Ecclesiae Antistes ab Imp. et Rege Rudolpho II. Austriaco nominatus esset; duorum DD. Imp. et in Hungaria Regg. Consiliarius, et Comes perpetuus Nitriensis existeret, suo satis, superque contentus, Saxum hoc eo loci, quo corpus vita, et spiritu destitutum amicos recondere, firma in spe Resurrectionis jussit vivus P. vixit annos XLV. menses II. Dies VIII. Anno Domini MDLXXXVII. obiit mense Julio Die XX.“

§. 45.

XLIII. *Stephanus III.* Fejérkövy, Mossóczyo in Episcopatu Nitriensi anno 1587 successit, quem

Ille antea, dum fuisset ad Veszprimiensem translatus, in Tinniniensi habuit Successorem. Fejérkövy 26ta Jan. 1571. per Pium V. Ecclesiae Tinniniensi fuit praefectus in Episcopum, cum retentione Monasterii S. Martini Montis Pannoniae, quod in Comenda obtinet, aliorumque Compatibilium beneficiorum, ut commodius sustentari possit; quum Episcopatus ipse omni redditu, et fructibus a Turcis sit spoliatus. Anno 1573, 15ta Maji absolutus a vinculo dictae Ecclesiae, et translatus Veszprimium: administravit hanc Ecclesiam ad annum 1587, quo Nitriam est tractus. Occurrit in Diplomate Rudolphi, quo Is Agriensibus libertates a Nicolao Olaho concessas, et ab Antonio Verantio confirmatas, Regia auctoritate Die 22da Dec. anno 1587 communivit, *Stephanus Fejérkövi electus Nitriensis*. Anno 1588 Locumtenens Regius constitutus. Praeter supremi Comitis Nitriensis officium, gessit etiam titulum Szaladiensis Comitis, ut patet ex Litteris anni 1593 feria IV. proxima post festum S. Pentecostes datis. Legitur ut Nitriensis Episcopus in Diplomate de 19na Mensis Jan. 1593; de ultima Die Mensis Septem. 1595 subscriptus. Metropolitana Sede Strigoniensi a morte Antonii Verantii, seu ab anno 1573 vacua, et Statibus Regni Collationem primae Sedis Ecclesiae Hungaricae urgentibus, Stephanus Fejérkövy anno 1596 Die 7ma Julii Archi-Episcopus Strigoniensis fuit nominatus; post quatuor menses, paucosve Dies 20ma Nov. ejusdem anni, aetatis vero 74 mortuus, priusquam Roma confirmationem accepisset. Nic. Schmidt in Archi-Episc. Strig. P. II. scribit sepultum esse Posonii in

templo S. Martini pone Stephanum Radecium Episcopum Agriensem in medio Sanctuarii: quod non ausim seu affirmare, seu negare. In Ecclesia Cathedrali Nitriensi hodie dum visitur lapis sepulchralis in pariete, Effigiem Fejérvövyi repraesentans, cum inscriptione, sed quod dolendum, vix legibili. Memor Ecclesiae suae Nitriensis, eidem reliquit Mitram Pontificalem, per totum Unionibus vestitam; hinc inde lapidibus pretiosis, majoribusque gemmis, argento fortiter inaurato inclusis, eleganter ornatam, in qua dependentiae ex Cardinibus argenteis bene inauratis dependent, in sua extremitate argenteis inauratis globulis provisae; in utraque dependentia scutum seu insigne Fejérvövyanum cum litteris S. F. E. N. (Stephanus Fejérvövi Episcopus Nitr.) Praeterea Calicem argenteum bene inauratum cum patenula, habentem in pede Insigne Fejérvövyanum cum litteris S. F. E. N.

#### §. 46.

**XLIV. Franciscus II.** e Comitibus Förgács de Ghymes, illustre nascendi genus virtute, sapientia, Religionis studio, clarisque honoribus multo illustris reddidit. Patre Simone natus, exacta tacitus inter Musarum recessus adolescentia, Sacros ordines suscepit. Primum in Canonicorum Strigoniensium Collegium cooptatus, non multo post Veszprimienses Infulas Fejérvövyo Nitriam translato, anno 1587 obtinuit; illique, dum in Strigoniensem Archi-Episcopum fuerat renunciatus, iterum in Episcopatu Nitriensi, anno 1596 subrogatus. Dioecesim reperit ma-

xima sui parte a Sacris Catholicis alienam, Luther asseclis refertam, quibus velut murum aeneum sese opposuit, dimissis in eam Orthodoxae fidei Praeconibus, viris de Societate Jesu e Selyensi domicilio, quod munifica manu fovit, et sustentavit, accitis; qui vitae exemplo, morum probitate, et verbi Divini sparso semine, fructus legerent optatissimos. Studium hoc, quo Orthodoxam Religionem protexerat, Georgius Thurzo hoc tempore potentissimus novellae Doctrinae fautor, et Protector, hac Epistola ei vitio dat, quam ad Marcellum Nagy Usurpatorem Abbatiae Szkalkensis, et Archi - Diaconatus Trenchiniensis scripserat.

„Litteras Reverentiae Vestrae accepimus, ex  
 „quibus optime conjicere licet, quo amore nostrae  
 „Confessionis homines Reverendissimus Dominus E-  
 „piscopus, affinis alias noster, prosequatur: neque  
 „dubii est, eos, qui a Confessione nostra deficiunt,  
 „semper majori odio nos prosequi, quam eos, qui ab  
 „ineunte aetate in Confessione pontificia sunt enutriti.  
 „Non tamen in nobis tantum inhumanitatis signum  
 „deprehenditur. Nos enim Reverendissimo Domino  
 „Episcopo Episcopatum Nitriensem non invidemus,  
 „neque indignum eo officio, etsi alienum a nostra  
 „Religione, suam Reverendissimam Dominationem  
 „judicamus; quemadmodum ex litteris Reverendae  
 „Dominationis Vestrae patet, nostros verbi Divini  
 „Ministros indignos judicare; imo eos, qui veram  
 „Religionem evangelicam, ac Christianam profiten-  
 „tur, ut aliquando dignitatis titulo, ac honore fun-  
 „gantur; quod nunquam nec a Domino Archi-Episcopo

„(tunc Joanne Kutasy) aut aliis DD. Episcopis audi-  
 „vimus; neque in eorum litteris legimus: quod quam  
 „inhumanum sit, iudicio R. D. relinquimus. Alias si  
 „opinio Reverendissimi Domini haberet locum, Do-  
 „minum Parentem suae Reverendissimae Dominatio-  
 „nis Simonem Forgács, Socerum vero nostrum ob-  
 „servantissimum, indignum illis officiis, quibus certe  
 „digne ornabatur a Divis Imperatoribus, iudicaret.  
 „Egregia profecto filii erga Parentem esset affectio.  
 „Gratias itaque habemus suae Reverendissimae Do-  
 „minationi, quod omnino suum erga nos declarave-  
 „rit hac in re animum. Erit profecto nobis tam ho-  
 „nestius, quam etiam utilius, nostrisque Verbi Di-  
 „vini, et Sacramentorum Ministris, si ii ipsimet in-  
 „tra se boni Ordinis ergo insalutata sua Reverendis-  
 „sima Dominatione, quemadmodum ipsemet cupit,  
 „non Vice, sed vero Archi-Diaconum elegerint, et a  
 „Reverendissima Dominatione hac in re confirma-  
 „tionem non exspectaverint. Profecto non invidemus  
 „suae Reverendissimae Dominationi tam in hoc, quam  
 „futuro Saeculo statum; neque exoptamus Episcopa-  
 „tum Nitriensem, satis alias lautissimum: sufficit  
 „nobis Christus, in quo tam Ministris nostris, quam  
 „nobis certe gloriari licet. Ex Bitsa Die 28. Junii  
 „1598.“

Videtur nempe Zelosus Praesul nec Marcellum  
 Nagy, ad quem litterae datae sunt, usurpatorem Ab-  
 batiae Szkalkensis, et Archi-Diaconatus Trenchini-  
 ensis, nec caeteros, qui officia Vice-Archi-Diacono-  
 rum usurpabant, cum essent a Religione Catholica  
 alieni, pro talibus recognoscere voluisse. Quod Ge-

orgiūs Thurzo in iisdem litteris proposuit, ut ipsi Ministri insalutato Episcopo, inter se ordinem inducant, et non Vice, sed Archi-Diaconos eligant, id in parte, in sua Congregatione anno 1600 effectui dederunt. Acta hujus congregationis authentica habentur descripta in vetere Protocollo Parochiae Gradnensis sub hoc titulo: **Leges, hoc est: Ordo, et Disciplina Venerabilis Contubernii, seu Ministrorum docentium Evangelium in Ecclesiis superioris Districtus Trinchiniensis, scriptae, et promulgatae a DD. Fratribus ejusdem Dioeceseos unanimi consensu in generali Congregatione habita Bitschae Die 12ma Mensis Febr. anno Domini MDC. subscriptae et sigillis munitae.** — — Ex originali transumi, et exscribi curavit, et sigillo officii sui confirmavit Solnae in aedibus Parochialibus Anno MDCVI. Die 20ma Maji Daniel Krmann Ecclesiae Solnensis Pastor, et I. Comitatum Posoniensis, Nitriensis, Trenchiniensis, Liptoviensis, et Arvensis superintendens. m. p. L. S.

In sextum annum Franciscus Forgács continuo electi dumtaxat Episcopi nomen gessit, ac ita etiam in Diplomatis vocatus; quia Confirmatione Pontificia destituebatur, quam anno 1602 tandem obtinuit: ea obtenta, Capitulo suo Nitriensi salutare Constitutiones, dudum conceptas, sed ob defectum non obtentae confirmationis publicari intermissas, penes has Litteras submitit:

„Franciscus Forgács Dei, et apostolicae Sedis  
 „gratia almae Ecclesiae Nitriensis Episcopus, universis  
 „fratribus Venerabilis Capituli salutem in Domino.  
 „Quum essemus in istum Episcopatum Dei beneficio

„Ingressi, sub ipsis administrationis Nostrae initiis  
 „in unum collectas hujus Ecclesiae quasdam Consti-  
 „tutiones, quae certa antiquarum consuetudinum ca-  
 „pita complectebantur, nobis fraternitates Vestrae  
 „exhibuerunt, auctoritate nostra ad solidam earum  
 „firmitatem, si eas probaremus, roborandas, ac ra-  
 „tas habendas. Quod etiamsi in illis ipsis Pastoralis  
 „nostri Regiminis principiis efficere debuissemus,  
 „tamen etiam, quum vel ad condendas leges, vel ad  
 „conceptas a vobis, stabiliendas animadverteremus  
 „plenam nobis potestatem decesse ante Sedis aposto-  
 „licae confirmationem, a qua Jurisdictio, et potestas  
 „nostra omnis, velut a radice communicatur, super-  
 „sedendum tantisper ab hac molitione putavimus;  
 „donec gratia Confirmationis a SS. DD. nostro esset  
 „impetrata, ne sine ea leges inefficaces conderemus,  
 „et illae in contemptum venirent. Sublata jam tandem  
 „Dei gratia ista difficultate, non modo Vestrae Ex-  
 „spectationi, verum etiam muneri nostro faciendum  
 „fuit satis, ut certas regulas ad bene moderandum et  
 „Ecclesiae, et Canonicorum nostrorum statum prae-  
 „scriberemus, quae tum ex illis Consuetudinibus non-  
 „nullis, quas Ecclesia haec secuta est, tum quod in  
 „iis deerat, ex SS. Canonum praescripto essent de-  
 „sumtae. Et sane si Rempublicam, vel Civitatem  
 „aliquam bonae leges mirum in modum exornant, ut  
 „nihil illa vel oculis cerni jucundius, vel animo co-  
 „gitari possit felicius: quanto magis illi hominum sa-  
 „cratorum caetus splendore quodam eximio enite-  
 „scunt, quos sanctarum legum, et constitutionum  
 „Decor, atque aurea species exornat. Sed quid dico

„Respublicas, et hominum caetus legibus exornari?  
 „ipsa natura humana iis perficitur; ut merito illi ali-  
 „quid deesse, quando eae leges desunt, sentire pos-  
 „simus. Cernite haec in primi hominis constitutione,  
 „cui satis non fuerat a Deo, tanto artificio fabricari;  
 „ut parvum quemdam mundum in eo effingeret, le-  
 „gem statim in primo innocentiae suae statu accepit.  
 „Nimirum, quia natura hominis tamquam firmo prae-  
 „sidio, legis adminiculo munienda erat, ut etiam vi  
 „praecepti lumen, et dictamen rationis ad bonum se-  
 „queretur, et rectitudinem suam custodiret. Quodsi  
 „hanc curam Conditor et administrator vitae homi-  
 „nis Deus in dirigendo homine ad suum finem adhi-  
 „buit, ut etiam illi legem suam promulgaret, ad  
 „quam servandam illum adstringeret, quamvis nulla  
 „malitia in animo hominis inveniretur, nullis male  
 „agendi stimulis incitaretur, nullas in eligendo bono  
 „menti suae offusas tenebras sentiret: quanto magis  
 „recte moderandae vitae hominis nunc leges ipsae  
 „non tantum utiles, sed necessariae censendae erunt,  
 „quando peccato vitiata integritas, et tenebras igno-  
 „rantiae, et rebellionem partis sensitivae contra re-  
 „ctam rationem, denique langvorem quemdam in  
 „virtutum exercitatione patitur? — His igitur ex cau-  
 „sis nos quoque hunc laborem suscepimus, ut con-  
 „stantem quemdam modum, quem tum in morum  
 „elegancia, tum in Divinis Officiis Fraternitates Ve-  
 „strae sequerentur, praescriberemus; non quod ar-  
 „bitremur omnem perfectionem, quae in hominibus  
 „Ecclesiasticis requiritur, his legibus esse compre-  
 „hensam, sed ea tantum, quae gradum ad ea facere

possunt, imitati efficientium naturalium conditio-  
 nem, qui multis dispositionibus praevis materiam  
 ad receptionem formarum praeparant, quasi volen-  
 tes vim naturae inferre, sed providentes, ut for-  
 mae suavi quodam medio in digestam molem illa-  
 bantur. etc. — In arce sua Nitriae per Rédeium et  
 Botskajanos obsessus, a fidelitate legitimi Regis sui  
 dimoveri non potuit. Quantum in tutanda orthodoxa  
 Religione fuerit, ex his Roberti Belarmini Card. lit-  
 teris (Ep. 55.) ad eum datis discimus:

Illustrissime, ac Reverendissime Domine. Quan-  
 to nos moerore afficiunt Calamitates Ecclesiae Hun-  
 garicae; quas in litteris Rev. DVest. expositas cer-  
 nimus: tanta vicissim consolatione animum nostrum  
 reficit zelus honoris Dei, et salutis animarum, quem  
 in Vestro pectore spiritus S. accendit: et quemad-  
 modum pro illis avertendis communem Dominum  
 exoramus, ita pro isto magno suo beneficio quoti-  
 die augendo gratias agimus. Quod vero amplitudo  
 Vestra multum de me sibi polliceatur, facit pera-  
 manter, et juxta leges verissimae amicitiae, quae  
 inter nos fuit aliquando, et brevi, ut spero, cum  
 honoris accessione, fortiori vinculo adstringetur.  
 Pergat modo amplitudo Vestra sancto isto labore,  
 et pastoralis sollicitudine de Ecclesia Dei bene me-  
 reri; caetera enim omnia Deo imprimis, cujus servi  
 sumus, deinde etiam summo Pontifici curae erunt;  
 neque nos unquam deerimus, ubi nostra opera vel  
 necessaria, vel utilis esse videbitur. Atque interim  
 salutem, et incolumitatem Vestram, Ecclesiae Dei

„pernecessariam, ipsi Domino, quam devotissime  
„possumus, commendamus. Romae 30ma Nov. 1607.“

Forgácsius, qua Aulae Cancellarius Viennensem  
Pacificationem ddo 6tae Aug. 1606. vi officii, quod  
gesserat, subscripsit: ita etiam litteris securitatis Bo-  
hemis per nonnullos Proceres Regni datis occurrit  
subscriptus: sed hos Tractatus, ut Iatvánffy perhibet,  
relate ad foedus provinciarum tantum subscripsit, re-  
liquis Capitibus reclamavit. — A morte Joannis Ku-  
tassy Metropolitae Strigoniensis, Dignitas jam sex-  
tum in annum vacabat. Rudolphus, ut merita For-  
gácsii amplissima, virtutemque, et fidelitatem re-  
muneraretur, eundem 4ta Julii 1607 Metropolitam  
Strigoniensem renunciavit; Paulumque V. P. ut inter  
purpuratos Ecclesiae Romanae Patres adlegeretur,  
efflictim exoravit. Ejusdem anni 5. Nov. ab aposto-  
lica Sede Confirmationem impetravit, nec multo post  
10ma Decemb. Cardinalium Collegio adscriptus. Ec-  
clesiae suae Nitriensi donavit calicem majorem ex  
puro auro affabre factum, gemmis et lapidibus pre-  
tiosis exornatum, una cum patena aurea. Insuper  
Mitram, sive Infulam ex materia rubra auro inter-  
textam, unionibus ornatam, cujus utraque dependen-  
tia refert Scutum gentilitium, seu Insigne Comitum  
Forgács cum litteris F. F. E. N. seu Franciscus For-  
gács Episcopus Nitriensis 1597.

### §. 47.

XLV. *Stephanus IV.* Szuhay ex Praeposito  
majore Strigoniensi factus anno 1593 Episcopus Va-  
ciensis, peritilem navavit operam Rudolpho in pan-

gendo foedere cum Sigismundo Bátorio Transylvaniae Principe; nominatus dein Camerae Regiae Posoniensis Praefectus; anno 1598 Legatus cum Nicolao Istvánffy in Transylvaniam missus Michaellem Valachiae Principem in fide Caesaris, excepto ab illo juramento, firmavit. Inter haec saluti Reipublicae impensa officia; fasces Ecclesiae Agriensis accepit anno 1600. Post Joannis Kutassy Archi-Episcopi Strig-Decessum, Sacrorum administratio in Strigoniensi Dioecesi per Rudolphum ei anno 1601 commissa. Anno 1602. Decr. 13. Rudolphi art. 23. ad rectificationem metarum versus Moraviam deputatus. Gravis procella, ut Religioni Catholicae, ita et Szuhayo, aliisque Praesulibus Hungariae anno 1605 incubuit. Subacta per Bochkayum magna Hungariae parte, Is caetera inter postulavit, Cameras in Hungaria erectas abolendas; Praefectos earundem Stephanum, et Nicolaum Mikáczyum tanquam proditores Patriae exilio multandos. Rudolphus Bochkayi postulationi concessit locum, ut Camerae Thesaurarius more veteri sufficiatur, in exilium tamen Szuhayi minime consensit. Verba illius, ut acta Pacificationis referunt fuerunt: „Quodsi Rssum Dominum Agriensem indicta causa in exilium mitti postulant, id ipsis ratio non dictat; cum nemo inauditus, et non convictus condemnari, multo minus plecti debet.“ Illi nihilominus neglecto Juris ordine poenam exilii decreverunt. Dolorem Illius leniturus Rudolphus, cum Nitriensis Ecclesia per Forgácsii Translationem; Coloczensis vero per Martini Pethó mortem ab anno 1605 vacaret, Rudolphus Szuhayum ad Nitriensem Episco-

pen transtulit, collata ei simul Coloczensi Metropolitana Sede, per Turcas occupata, ut hoc Diploma testatur:

„Rudolphus etc. memoriae comendamus tenore  
 „praesentium, quod nos benigne considerantes, ni-  
 „hil ad propagandum Divini Numinis cultum, fidem-  
 „que orthodoxam, quam S. Catholica docet, et pro-  
 „fitetur Ecclesia, inter atrocissimorum hostium Tur-  
 „carum arma, et persecutiones, ac tot passim nunc  
 „vigentes haereses conservandam, et dilatandam ma-  
 „gis conveniens esse, et necessarium, quam ut Ec-  
 „clesiae Dei a bonis, et piis Ministris, tanquam Cul-  
 „tus Divini necessariis instrumentis, teneantur, et  
 „gubernentur: hoc ipsum cumprimis in Regnis, Pro-  
 „vinciis nostris, quibus ex Dei Clementia praeside-  
 „mus, omni cura, et studio, quovis tempore ita dis-  
 „ponere, et ordinare conati sumus. Vacante itaque  
 „in praesentiarum in Regno nostro Hungariae Colo-  
 „czensis, et Bachiensis Ecclesiarum Canonice unita  
 „rum Metropolitana altera Ecclesia, seu Archi-Epi-  
 „scopatu, legitimoque Pastore a paucis annis orbata,  
 „haud differre volumus, quin illi de idoneo Rectore,  
 „et praeclaro, iterum benigne prospiceremus. Ea-  
 „propter benignum habentes respectum ad singula-  
 „rem eruditionem, et non vulgarem Doctrinam, vi-  
 „staeque, et morum integritatem, caeterasque vir-  
 „tutes, et eximias animi Dotes fidelis nostri, nobis  
 „dilecti R. Stephani Szuhay, alias Agriensis, nunc  
 „vero Nitriensis Episcopi electi, Cameraeque nostrae  
 „hungaricae Praefecti, et Consiliari nostri, quibus  
 „ipsum Divino munere ornatum a certis, et pluribus

„jam annis, propria vestra experientia comperimus,  
 „non immemores etiam haud vulgarium ejus merito-  
 „rum, quibus se tum in aliis publicis, et privatis no-  
 „stris servitiis, atque in eximiis, magnique momenti  
 „negotiis, et Commissionibus fidei, et integritati suae  
 „concreditus, tum vero in praefato officio nobis suf-  
 „ficienter commendatum praestitit; eundem ab Epi-  
 „scopatu dictae Ecclesiae suae Nitriensis, quem ex  
 „benigna Collatione nostra nunc adeptus est, quem-  
 „que apud ipsum etiam num in administratione re-  
 „linquimus, ad praefatum Archi-Episcopatum Colo-  
 „niensis, et Bachfensis Ecclesiarum Canonice unita-  
 „rum, per mortem et decessum RR. quondam Mar-  
 „tini Pethó de Hetes, ejusdem Archi-Episcopatus ul-  
 „timi, veri, legitimi, et immediati Possessoris, de  
 „Jure, et facto vacantem transferendum, nominan-  
 „dum — — duximus etc“ — Belius perhibet Szu-  
 hayum 30. Oct. 1607 e vivis excessisse. Cum Ille ad-  
 ministrationem Episcopatus Nitriensis post Translato-  
 nem Forgácsii, quae mense Julio ejusdem anni 1607 con-  
 tigit, acceperit, inde paucis duntaxat mensibus eam  
 tenuisse perspicitur,

#### §. 48.

**XLVI.** *Valentinus Lépe* in monumentis Sce-  
 pusiensibus apud Vagner nominatur Praepositus Oro-  
 diensis, Custos, et Canonicus Jaurinensis, in Polo-  
 niam a Martino Pethaco missus. — Rudolphi Decreto  
 XII. art. 33 *Valentinus Lépe* Custos Jaurinensis ad  
 Tabulam Regiam Judicariam Assessor nominatus, In

Litteris Ungarorum Bohemis anno 1606 datis, Lépass Tinniniensis Episcopus occurit. Anno 1608, Die 19a Apr. electus Veszprimiensis vocatur, dum foedus cum Austriacis, et Moravis subscripsit. Adhaesit Mathiae contra Rudolphum, ut alii plerique, praeter Franciscum Forgács, qui nullo, ut Istvánffy scribit, nec minarum, nec acerbe mortis periculo terreri potuit, dicens: „se Rudolpho nolle esse ingratum, qui ex Episcopatu Nitriensi se Archi - Episcopum primae Sedis Strigon. creasset, et insuper commendatione ejus serio interveniente S. Romanae Ecclesiae Cardinalis esset.“ Sed postquam Rudolphus Fratri suo Mathiae Coronam Regni Hungariae cessit, eundem solemni Ritu inauguravit. Acta Coronationis Mathiae II. perhibent, Valentinum Lépass jam tum Nitriensem Episcopum, et Cancellarium fuisse; ita namque habent: „Cancellarii dignitatem RR. Valentinus Lépass Episcopus Nitriensis magno regiae gratiae testimonio obtinuit: quum in publicis negotiis, et legationibus virtute, ac prudentia enitisset.“ Cum axiomatico Cancellarii Decreto I. Mathiae II. in arce Posoniensi 16ta Dec. 1608 dato subscriptus: „Datum per manus fidelis nostri nobis dilecti R. Valentini Lépass Electi Episcopi Nitriensis, locique ejusdem Comitum perpetui, Consilarii, et aulae nostrae per Hungariam Cancellarii.“ — Intra Dioecesim Illius Solnae, ab asseclis Lutheri ultimis Martii Diebus anno 1610. Synodus auspitiis Palatini Thurzó celebrata fuit. Causam Synodi Thurzo Palatinus luculenter exposuit in Epistola ad Posonienses data sequente:

„Recenti tenent memoria generosae, prudentes,  
 „ac circumspectae DD. Vest. qualiter hisce superioribus  
 „temporibus per DD. Regnicolas Confessioni Augusta-  
 „nae addictos laboratum, effectumque, et publicis Regni  
 „Constitutionibus per suam Regiam Majestatem Do-  
 „minium nostrum Clementissimum solemniter Confir-  
 „matis, signatum, sancitum, et stabilitum sit, ut vi-  
 „delicet ad praecavenda inter Status et Ordines Re-  
 „gni aliqua odia, et dissensiones, quaelibet Religio  
 „suae Professionis superiores, et Superintendentes  
 „habeat. Quem articulum tamquam summe necessa-  
 „rium, quum ex officio, et auctoritate Palatinali ad  
 „effectum deducere, et manutenere velimus, gene-  
 „ralem Synodum reverendis DD. Ministris, in vici-  
 „nis hisce decem Comitibus Cis-Danubianis com-  
 „morantibus, in oppido Solna, ubi nimirum et nos  
 „ipsi commode praesentes esse possimus, ad 28vam  
 „hujus mensis Martii Diem, ante nostrum videlicet  
 „in superiores hujus Regni partes, quem jam appa-  
 „ramus, discessum, indicendam, et promulgandam  
 „esse duximus. Quocirca generosas, prudentes, et  
 „circumspectas DD. Vestras amice rogamus, et re-  
 „quirimus, velint ad eundem Diem unum ex DD. Con-  
 „cionatoribus, et alterum ex Concivibus suis, si eis-  
 „dem placuerit, in praedictum oppidum Solna emit-  
 „tere, qui ibidem una nobiscum de eligendis, et cre-  
 „andis hujusmodi Superintendentibus, Deo auspice,  
 „tractare, ac certi aliquid, quod pro firmo, ac rato  
 „habeatur, ab omnibusque eandem Confessionem Au-  
 „gustanam amplectentibus observetur, finaliter con-  
 „cludere possint, et sciant. — — Datum in arce no-

„stra Bitcha 13tia Martii anno 1610 Gen. Prud. et  
 „circumsp. DD. Vestr. Amicus benevolentissimus  
 „C. Georgius Thurzo.“

In hac laicalis auctoritatis Synodo 16. articuli  
 conditi sunt. Omnium primum statutum, ut decem  
 isti Comitatus in tres dividantur partes, ac totidem  
 suos habeant Superintendentes hoc Ordine: Liptovi-  
 ensis, Arvensis, et Trenchiniensis R. D. Eliam Lány.  
 — Thuroczyensis, Neogradiensis, Zoliensis, et Honth-  
 ensis alterum R. D. Samuelem Melichium. — Barsi-  
 ensis, Posoniensis, Nitriensis tertium, Rev. utpote  
 Isaacum Abrahamidem Praepositum Bajmoczensem.  
 Quumque in Regno hoc non saltem hungaricae, et  
 slavicae, verum et germanicae nationis Ecclesiae ha-  
 beantur, statutum, ut et natio germanica, similiter  
 et hungarica suos habeant Inspectores, qui mutuum  
 cum antelatis DD. Superintendentibus habeant cor-  
 respondentiam, et ab ipsis dependentiam. — De-  
 inde ut seniores etiam et Decani in singulis Distri-  
 ctibus, seu Dioecesibus, more antea solito, qui no-  
 biscum in Confessione consentiunt, maneat in suo  
 officio; qui vero tali certis de causis valedicerent,  
 alii eligantur etc. — — Conclusio finalis haec est:  
 „Postremo haec omnia praemissa, quo firmiter obser-  
 ventur, et in suo permaneant vigore, iidem DD. Su-  
 perintendentes post solemnem sui ad officium hoc in-  
 autorationem, in Ecclesia hac Solnensi publice fa-  
 ctam, Juramentum deposuerunt in hunc modum,  
 futuris etiam temporibus necessitate poscente ser-  
 vandum:

„Ego NNi DD. Ministrorum in Comitatu T. et T.

degentium Superintendens, juro coram Deo vivo, Patre, Filio, et Spiritu S. ac promitto, quod ego in vita mea nullam aliam Doctrinam docebo, et promovebo, publice, vel privatim, praeter eam, quae scriptis prophetis et apostolicis continetur, quae in Confessione Augustana Carolo V. Imperatori Augustae vindelicorum anno Domini 1530 exhibita, tum in formula concordiae comprehensa habetur; quam Confessionem, ut et DD. Ministri, curae meae commisi profiteantur, ac doceant, diligenter et serio invigilabo, et curabo. DD. Ministris Ecclesiarum, et toti gregi, a me dependenti, adjuvante me Spiritu S. gratia, sic praeesse studebo, uti bonum, ac fidelem animarum Pastorem, et Verbi Divini Praeconem decet. Ita me Deus adjuvet Pater, Filius, et Spiritus S. et mea fides Christiana. Amen. Actum et Datum in Oppido praenotato Solnae Die 30ma Martii anno Domini 1610.“

Ut primum Forgácsio Metropolitanae haec, quae Solnae agebantur, innotuerunt, suarum partium esse duxit, ut iis intercederet, edita die 17ma April. 1610 valvisque Templorum affixa Declaratione. Et ut validius scutum opponeret. Synodum provincialem Tyrnaviam indixit. Omnem movere adversarii lapidem, ut hanc metu eruptionis seditionis Rex prohiberet; sed nacti in Forgácsio Antistitem, qui animam poneret pro ovibus suis, causa, et conatibus ceciderunt. Aperta fuit Synodus prima Augusti, cui etiam Valentinus Nitriensis Episcopus interfuit, et subscripsit. In hac Synodo caetera inter conclusum fuit, mittendos ad Suam Majestatem Legatos, inter quos erant

ipse Cardinalis Forgács, et Cancellarius Valentinus Lépešs, qui praeter alia, agant pro restitutione pagorum, et Clenodiorum Ecclesiae Nitriensis: et si Clenodia in specie restitui non possent, ut decem illa Millia florenorum, in quibus inscripta sunt Bona Episcopatus Nitriensis, ad haec recompensanda a Sua Majestate convertantur.

Praeter Solnensem Synodum, Confessioni Augustanae adhaerentes, alteram quoque intra Dioecesis Nitriensem hoc tempore anno 1616 Synodum Bitschae ex mandato Palatini D. C. Georgii Thurzo, trium Superintendentiarum celebrarunt, in causa Joannis Moschoviny Ministri Rakoviensis, ob importatum errorem Photini, nomine, et in persona suae Celsitudinis accusati: Cujus Descriptionem vetus Protocolum Parochiae Gradnensis, supra memoratum, continet. — Valentinus Episcopus Nitriensis in Comitibus anno 1618 Mathiae Regis Dec. IV. art. 64. ex Praelatis Co-Judex ad appellationes Causarum in Partibus Cis-Danubianis nominatus fuit. Mortuo Mathia Rege per Successorem Ferdinandum II. anno 1619. quo Demetrius Napragyus obierat, Archi-Episcopus Coloczensis renunciatus, in ejus Litteris anno 1619. 29a Martii datis electus Archi-Episcopus Coloczensis dicitur. Cancellarii munus illum retinuisse patet ex his Ferdinandi II. Litteris ad Palatinum datis: „tametsi per fidelem nostrum RR. Valentinum Lépešs Archi-Episcopum Coloczensem, et ad aulam Nostram Cancellarium hac ipsa Die de nonnullis publicis Regnum istud concernentibus negotiis, vobis nuntiaverimus, etc. — Datum in Civitate Vienna Die 4ta men-

sis Junii 1619.“ — Eodem anno 24ta Sept. ad Jaurinensem Ecclesiam illum jam fuisse translatum, discimus ex epilogo Litterarum regiarum, ubi Valentinus Lépeš electus Archi-Episcopus Coloczensis, et administrator Jaurinensis appellatur. Hos titulos sibi adscripsit, quum inducias cum Gabriele Bethlen confecit Posonii 16ta Jan. 1620. Cum iisdem titulis subscriptus est litteris Ferdinandaeis 13tiae Julii 1622. sequenti tamen anno nusquam jam comparet, mortuus, ut Prajus notat, 6ta Maji 1623. — Ut vir doctissimus, et zelosissimus nationi suae, Religionique prodesset, idiomate hungarico vulgavit Conciones Sacras: *lucidum speculum mortalium judicandorum*. Praegae 1616 et; *Speculum ab inferno ad Coelum ducens*. Praegae 1617.

#### §. 49.

XLVII. *Joannes IV. Telegdy*. Viam ad honores Illi stravit Nicolaus Telegdy Episcopus Quinque-Eclesiensis, et Vicarius Strigoniensis. Ex Praeposito Majore Strigoniensi creatus Episcopus Bosnensis anno 1608; biennio post a Paulo V. P. confirmatus. Anno 1615 legitur fuisse Varadinensis; anno 1619 Nitriam translatus. In litteris Stirpi Dersenichianae per Ferdinandum II. datis 24. mensis Sept. 1619 jam legitur subscriptus *Joannes Telegdy electus Nitriensis*. Mox anno sequenti in arce sua Nitriensi per Gabrielem Bethlen obsessus; Szávodszyky, qui historiam Bethlenii scripsit ita habet: „Die 9a Sept. 1620 arx Episcopalis Nitriensis, cui sese incluserat Joannes Te-

legdy, cum mediocri Praesidio Germanorum et Hungarorum, postquam per Suam Serenitatem (Principem Bethlen) admotis aliquot tormentis, spatio mediae diei acrius impeteretur, deditionem fecit. Ipse vero Telegdynus cum suis liber Viennam dimissus. Arce probe munita, Majestas sua (Bethlen) Tyrnaviam contendit.“ Non diu arce Nitriensi Bethleniani sunt potiti; nam circa ipsum tempus, quo Buquojus mense majo 1621 arcem Poseniensem, et Civitatem pro Caesare recepit, etiam Nitriam Stephanus Litasy Capitaneus loci ejusdem, tradidit Caesareanis. In Diplomate, quo Ferdinandus jura Crucigeratus Soproniensis confirmat, 13tia Julii 1622, adhuc Joannes Telegdy electus Nitriensis nominatur. Eodem anno Ferdinandi II. Dec. I. art 43. ad appellationes penes Dominum Palatinum Co-Judex; et art. 63. Commissarius pro receptione Bonorum ad Austriam oppignuratorum constitutus. Subseque anno 1624 nominatus Archi-Episcopus Coloczensis, retenta administratione Episcopatus Nitriensis. Vix atque Pallium Roma obtinuit, circa usum ejus controversia illi per Pazmanum Strigon. Metropolitanam mota fuit, quod in Nitriensi Ecclesia, quae Strigoniensis suffraganea est, eodem uti coeperit Telegdius. Reclamavit Pazmanus, atque Pontificis, et S. Rituum Congregationis hac de re sententiam interpellavit. Hanc in favorem Metropolitanae pronunciatam fuisse, Litterae Roma datae docent, quae ita habent:

„Acceptis Litteris Amplitudinis Vestrae, Illustrissimi Patres sacris Ritibus praepositi, in eam devenere sententiam, ut nullo modo Coloczensi in-

„tra fines Strigoniensis Dioecesis Crucem praeferre,  
 „nec minus Pallio uti sit licitum. Quam sententiam  
 „unanimes eorumdem PP. voto prolatam, ac insuper  
 „apostolico SS. Domini nostri assensu roboratam,  
 „jusserunt iidem, ut praedicto Archi-Episcopo mit-  
 „terem: quibus, ut omnino ab iisdem praeeminentiis  
 „abstineat, de mandato ejusdem SS. benigne admo-  
 „netur. Meminerit etiam atque etiam Amplitudo Ve-  
 „stra, svaviter in utroque negotio pertractando, et  
 „ea, qua decet Ecclesiasticum virum, facilitate se  
 „gerere; aestimando tanti non esse ritus a Patribus,  
 „Ecclesiaeque praescriptos servare, si propterea dis-  
 „sensionum inter viros Deo mancipatos, semina ex-  
 „oriuntur. Deus Amplitudinem Vestram gratiae suae  
 „Praesidio custodiat. Romae Ima Martii 1625. Am-  
 „plitudinis Tuae uti Frater studiosissimus Cardinalis  
 „a monte.“ Haec sententia eadem Die significata fuit  
 Telegdio his litteris:

„Petitione Reverendissimi Archi-Episcopi Strigo-  
 „niensis in Sacra Rituum Congregatione proposita,  
 „votum fuit Illustrissimorum PP. Amplitudinem tuam  
 „nullo modo posse intra fines Dioecesis Strigoniensis,  
 „seu in Episcopatu Nitriensi crucem praeferre, et  
 „Pallium nuper ab apostolica Sede obtentum gestare.  
 „Quam sententiam a se SS. Dominus noster approba-  
 „tam Amplitudini Vestrae significari jussit, Paterno  
 „monitu jubens, ut in ejusdem observantia credat se  
 „non tam pro Ecclesiasticis Ritibus, quam pro turbis  
 „in Ecclesia Dei evellendis, decertare. Nec tamen  
 „propter hoc frustra usum sibi Palli concessum ex-  
 „istimet Amplitudo Tua. Tibi enim universae carnis

„viam ingresso (qui Dies diutius differatur) ex Insti-  
 „tuto SS. Canonum adhaerebit, ac tamquam propriae  
 „Ecclesiae ornamentum Amplitudinem tuam ad vin-  
 „dicandam precibus, ac lachrimis e Turcarum Tyra-  
 „nide Coloczensem Ecclesiam jugiter excitabit. Hor-  
 „tantur Illustrissimi PP. Amplitudinem tuam, ut  
 „etiam in explicandis (explendis) Apostolicae Sedis  
 „mandatis talem se praeferat, qualem in reliquis vir-  
 „tutibus, Romanae Curiae testimonio, praescriptis  
 „mensibus se praetulit, cui nostra omnia libenter  
 „offerimus, et salutem in Domino semper deprecamur.“

Decisa quaestione. ne Pallio Telegdyus a morte  
 dumtaxat ornaretur, Pazmanus ejus usum illi certis  
 Diebus benevole concessit hac forma:

„Nos Petrus Pázmán miseratione Divina Archi-  
 „Episcopus Strig. memoriae comendamus — — quod,  
 „quum Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus  
 „Joannes Telegdy Ecclesiarum Canonice unitarum Co-  
 „loczensis, et Bachiensis Archi-Episcopus, Admini-  
 „strator Episcopatus Nitriensis, nuper in Urbe Pal-  
 „lium a Sua Sanctitate pro memorato Archi-Episco-  
 „patu Coloczensi, et Bachiensi in persona obtinuit:  
 „quia vero Turcarum immanitate Sede sua Archi-E-  
 „piscopali spoliatus, Episcopatum Nitriensem, no-  
 „strae sedi Metropolitanae subjectum administrans,  
 „Pallio ibidem absque Metropolitanis assensu uti juxta  
 „Canones non possit: idcirco nos ex singulari, fra-  
 „ternoque erga praefatum Illustrissimum Dominum  
 „Archi-Episcopum Coloczensem et Bachiensem affe-  
 „ctu nostro, pro persona ipsius, sine praejudicio suc-  
 „cessorum nostrorum Archi-Episcoporum Metropoli-

„tanorum Strigoniensium, facultatem ei concedimus,  
 „ut vita sua durante in Festis Nativitatis Domini,  
 „Circumcisionis, Paschatis, Pentecostes, Assumptio-  
 „nis B. M. V. ac Patroni Ecclesiae Nitriensis, Pallio  
 „Archi-Episcopali uti possit, ac valeat in ipsa Eccle-  
 „sia Nitriensi, harum nostrarum vigore, ac testimo-  
 „nio litterarum. Datum Selye Die 18va Apr. 1625.“  
 „— In Comitibus Sopronii eodem anno celebratis Fer-  
 „dinandi II. Decr. II. art. 23. pro rectificatione, et re-  
 „ambulatione metarum circa Moraviam Commissarius,  
 et art. 51 ad Tabulam regiam pro partibus Cis- et  
 trans-Danubianis Telegdyus denominatus. In Co-  
 mitibus Posoniensibus in negotio Valachorum anno  
 1632 art. 14. Commissarius constitutus. Quum anno  
 1630 a Pazmano Tyrnaviae Synodus celebraretur,  
 Telegdyus, ut acta secundae Diei perhibent apud Pé-  
 terffy, ad eam vocatus comparuit, verum cum omni  
 lenitate, et mansuetudine declaravit, se quidem ad  
 praesentem Synodum celebrandam ab Illustrissimo  
 Domino Cardinali invitatum convenisse: nihilominus  
 de praerogativa sua Archi-Episcopali, quam sibi,  
 Successoribusque suis conservatam vellet, eandem  
 facere intendere protestationem, quam Praedecessor  
 illius Demetrius Napragyi Archi-Episcopus Coloczen-  
 sis, in actis Synodi provincialis anno 1611 celebratae  
 fecerat. Sed productis ab Archi-Episcopo Strig. ra-  
 tionum momentis, iisque per delegatos Episcopos  
 examinatis, quum constaret Illustrissimum Dominum  
 Cardinalem non Archi-Episcopatus, sed Primatiae  
 Jure dictum Dominum Archi-Episcopum Coloczen-  
 sem, quam suffraganeos ejusdem ad Synodum con-

vocare potuisse, id ipsum visum est S. Synodo, cui etiam tandem Illustrissimus Dominus Coloczensis a-  
 quievit, ac omni deinceps protestatione supersedit. In Synodo nihilominus, quam anno 1638 13tia Junii  
 Emericus Losy post Pazmanum ad Metropolim Stri-  
 goniensem translatus, celebraverat, Telegdyus non  
 comparuit. Archi-Episcopus Losy, ut in actis refer-  
 tur, interrogavit S. Synodum, an Illustrissimi, ac  
 Reverendissimi Domini Coloczensis Archi-Episcopi  
 adducta aegritudinis, ac aetatis senilis ratio sit suffi-  
 ciens excusatio absentiae? ruminata re, decrevit ea-  
 dem Synodus, rationem quidem aegritudinis, si ea  
 subsistat, ac aetatis senilis sufficiens pondus habere;  
 vicinitas tamen loci videbatur occasionem veniendi  
 praebere potuisse. "Nec enim inter Nitriam et Tyr-  
 naviam majus, quam dimidiae diei spatium interces-  
 sit; nec Ille plures quam 64. annos habuit. Ipse etiam  
 Nitriae anno 1633 Synodum cum suo Clero Dioece-  
 sano habuit, cujus acta nusquam prostant. Ob fractas  
 vires sub initium anni 1644 Episcopatum Nitriensem  
 dimisit, retento Archi-Episcopi Coloczensis honore.  
 Tantis adhuc anno insequente Viribus praeditus, ut,  
 quum Nicolaus Eszterházy Palatinus, qui in oppido  
 majore Hófflein anno 1645 Die 11. Sept. fatis con-  
 cesserat, Tyrnaviam devectus, in templo Societatis  
 Jesu, quod ipse e sclo excitaverat, conderetur, Die  
 11ma Decemb. anni ejusdem, ad Aras Telegdyus so-  
 lemniter operatus fuerit. Sed jam anno 1646 nonnisi  
 Legatum ad Comitata Poseniensa expedit; et anno  
 1647 Die 17ma Julii Coloczensis Ecclesia vacavit.  
 Kazius quidem Telegdyum hoc anno 13tia Febr. de-

cessisse scribit: quia tamen in Coronatione Ferdinandi IV. quae 16ta Junii peracta est, Archi-Episcopi Coloczensis tamquam superstitis mentio fit, serius mortem oppetiisse videtur. Vir optime de sacra, profanaque Republica meritis. Nitria, quamdiu steterit incolumis, ejus mémoriam tuebitur. Ecclesiam Cathedralem, quae seu temporum vicissitudine, seu per hostiles incursiones desolata fuerat, restauravit, adjecta ea parte, quae nunc superior Ecclesia dicitur. Civibus Nitriensibus libertates olim a Divis Regibus concessas, sed obsoletas, Decreto de 23tia Aprilis 1632 edito, et per Ferdinandum II. Diplomate de 5ta Maji 1632; subeque per Ferdinandum III. Die 4ta Maji 1637 ratihas, et confirmatas, in parte restituit, et restauravit. Pro sex Alumnis Dioecesis Nitriensis Tyrnaviae in generali Alumnatu educandis foundationem fecit; et suam amplam ibidem Domum Juvenibus nobilibus educandis, pro Seminario, seu Convictu, ut vocant, nobilium adolescentum donavit. Ecclesia Cathedralis ex ejus liberalitate hodieum possidet majus vasculum cum aspergillo, argenteum, bene inauratum pro aqua benedicta, quod in parte interiore scutum, seu insigne Telegdyanum continet. Capitulo Nitriensi penes Literas suas Donationales anno 1628 Nitriae Plateam Monachorum dictam, cum Molendino, caeterisque appertinentiis, per se a Conventu Posoniensi emtis, dedit, et contulit. Quod qua ratione contigerit, paucis juverit adnotare.

Exstitisse Nitriae extra Castrum in Suburbio Clastrum cum Ecclesia B. M. V. Ordinis minorum

**S. Francisci**, antiquissimis temporibus, ex pluribus litteralibus Documentis constat. Quo anno caeperit? certo erui non potest. Chronologi Ordinis FF. min. Provinciae B. M. V. initia referunt ad annum 1301. — Alii ejusdem Ordinis minorum Conventualium S. Elisabeth, ac inter hos P. Kraisz Conventum hunc jam anno 1248 exstitisse asserunt. Cum in Privilegialibus Belae IV. de anno 1248 hospitiibus Civitatis Nitriensis datis fiat mentio Ecclesiae B. M. V. cui Claustum Ord. S. Francisci adnexum fuit; et per Jacobum I. Episcopum Nitriensem anno 1238 Nitriae Ecclesiam B. M. V. consecratam fuisse, alio loco (§. 9.) dixerimus, Conventus illius initia ad tempora Belae IV. collocanda esse crediderim. Perstitisse eundem anno 1506 docent Stephani Podmaniczky Episcopi Nitriensis litterae, penes quas ablatum Molendinum Conventui B. M. V. extra Castrum Nitriense in suburbio consistenti restituit (§. 41.) Claustum nihilominus istud, primo hostili impetui expositum, per frequentes, quas Nitria patiebatur, hostiles incursiones, vastatum saepius, anno 1558 penitus eversum, ac dirutum fuit. Fratribus dilapsis, locus Claustrum cum appertinentiis usque pacatiora tempora per Rudolphum anno 1578 ad Conventum Posoniensem Ord. S. Francisci adplicitus fuit: sed prout tempore bellorum, intestinorumque motuum fieri assolet, appertinentiae a diversis direptae et occupatae, praeter exilem Decimam a quibusdam agris, nullum Fratribus Conventus Posoniensis fructum reddiderunt. Itaque Joannes Telegdy locum Claustrum cum Platea Monachorum, Barát-Utza dicta, molendino, caeterisque

appertinentiis a Conventu Poseniensi pro se emit anno 1626, et dein anno 1628 haec omnia Capitulo suo Nitriensi transcripsit, et donavit; in quorum Possessorio Capitulum de praesenti constituitur. Sed idem Archi-Episcopus, et Episcopatus Nitriensis administrátor Joannes Telegdy anno 1630 pro Fratribus religiosis ejusdem Ordinis S. Francisci intra Castrum Nitriense novum Claustrum exstruxit, illosque ad illud introduxit, assignata Dote 5000 florenorum; in quo religiosi hi Patres etiamnum jugem Deo exhibent famulatum; a tempore Augusti Imperatoris Josephi II. Parochiali animarum cura, quae cum Conventu connexa est, occupati, et promptam Parochis, dum opus est, subsidiariam operam navantes. — Ad hoc ab se erectum Claustrum Telegdyus, post resignatam Episcopatus Nitriensis administrationem, anno 1644 divertens, in eodem coram exmissis de Capitulo Joanni Püsky alteri in Episcopatu successoris, et per eum Episcopatu Nitriensi medio celebratae fassionis, Curiam suam nobilitarem in Possessione Üregh Comitatus Nitriensis, ad Episcopatum pertinente, habitam, cum una vinea, jure perpetuo dedit, donavit, et fassus est. In Claustro PP. Franciscanorum Nitriae Sabbatho proximo ante Festum Praesentationis Beatae semper Virginis Mariae. Anno 1644.

Sub Telegdyo intra Dioecesim Nitriensem alterum quoque Claustrum Ord. S. Francisci consurrexit, in Oppido Pruszka, ad Dominium Oroszlánykeó, quod familia Jakussich possidebat, pertinente. Familia Jakussichianorum, scribit Kazy ad annum 1625, detestata est inter alios novum Evangelium: hi Prusz-

kam Oppidum Ecclesiae Romanae restituerunt. Serius aliquantum Georgius Jakussich de Orbava, eotum Veszprimiensis Episcopus, ibidem religiosam familiam Ord. S. Francisci strictioris observantiae Provinciae SS. Salvatoris, aedificato Claustro, et Ecclesia induxit, in hodiernum usque ibidem Deo famulantem. In fronte aedis haec habetur Inscriptio: „Orate pro Georgio Jakussich Episcopo Veszprimiensi, qui mole peccatorum pressus, hoc monasterium a fundamentis erexit. A. D. 1642.“ In Ecclesia eadem conditus est, hac inscriptione lapidi sepulchrali addita:

„Illustrissimi, ac Reverendissimi DD. Georgii Jakussich de Orbova, Episcopi Agriensis, Comitatum Hevess, et utriusque Szolnok supremi Comititis, S. C. Regiaeque Majestatis Consiliarii intimi, qui pie obiit A. 1647 Die 21a Nov. aetatis suae annorum 38.“

### §. 50.

**XLVIII.** *Stephanus V. Bosnyák* de Magyarbél. Juxta Prajum fuit anno 1640 Episcopus Quinque-Ecclesiensis; dein anno 1642 Veszprimiensis, et Regni Cancellarius; post resignationem Telegdii anno 1644 factus Nitriensis. Scribit autem eundem 13tia Sept. 1644. ex Veszprimiensi Nitriam translatum. Erroris virum doctum convincit unicum, quod in actis Nitriensibus exstat, Documentum, videlicet: Confirmatio Constitutionum Capituli Nitriensis, quas Episcopus Franciscus Forgács dederat, ut superius

(§. 46.) diximus, per Successores illius usque Stephanum Bosnyák confirmatas, quas ille quoque sibi praesentatas ratihabuit hac forma:

„Cum omnia, quae a Deo sunt, ordinata sint: idcirco etiam Venerabile Capitulum Ecclesiae nostrae Cathedralis Nitriensis volens hunc ordinem cum in aliis, tum vero in Statutis et Constitutionibus suis, olim ab Antecessoribus nostris, sancitis, approbatis, et confirmatis illibatum, atque integrum conservare: idem Venerabile Capitulum Nitriense eadem Statuta, et Constitutiones suas nobis etiam Stephano Bosnyák de Magyarbél Electo Episcopo dictae Ecclesiae Nitriensis, locique, et Comitatus ejusdem Comiti Perpetuo, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Consiliario, et per Hungariam Aulae Cancellario approbandas, confirmandasque praesentavit. Ideo nos quoque relectis, et accurate perpensis hujusmodi statutis, et Constitutionibus omnibus, easdem veluti Juribus Canonicis valde consonas, et Disciplinae Ecclesiasticae cum primis congruas, ac necessarias approbamus, atque in omnibus punctis, et clausulis rite observandas, confirmamus, propriaeque manus subscriptione, et sigilli appensione ratificamus. In Festo S. Mariae Magdalena. Anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto. Stephanus Bosnyák El. Episcopus Nitr. mp.“ — Si 23tia Sept. e. a. ut habet Praj e vivis excessit, paucis mensibus Nitriensem Episcopatum tenuit. Mense Novembri anno eodem 1644 jam fuisse Joannem Púsky in Episcopatu Nitriensi Successorem, ex fassione eidem per Joannem Telegdy celebrata (§. praec.) extra dubium est.

## §. 51.

**XLIX. Joannes V. Púski:** fuit primum Canonicus Strigoniensis, et ab anno 1633 Abbas Szkal-kensis: factus anno 1637 Episcopus Csanadiensis; atque a morte Decessoris sui Stephani Bosnyák, Episcopus Nitriensis. Nam anno 1644 in festo Simonis et Judae, datis Litteris Abbatiam de Rupibus cum consensu Ferdinandi Regis in Collegium Societatis Jesu Trenchiniense, quod Archi-Episcopus Strigon. Georgius Lippay erexit, Jure Collatoris transtulit. (§. 10.) — Interfuit Comitiis Posoniensibus anno 1647: in conclusione Dec. II. Ferdinandi III. nominatus, ubi nomine *Elécti* insignitus, art. 70. ad rectificationem, et reambulationem metarum Regni circa Silesiam, et Moraviam Commissarius: ita etiam art. 91. ad tollenda sicca telonia deputatus; et art. 103. ad appellatorium Judicium penes Dominum Palatinum ex Praelatis nominatus. Anno 1648 coram Palatino Joane Draskovics certa prata, aedibus Abbatiae Szkalkensis vicina, eidem Abbatiae perennaliter factus est. Ob fractas vires dimisso Episcopatu Nitriensi, anno eodem 1648 legitur Episcopus Vaciensis; adeoque in Sede Nitriensi vix fuit per apostolicam Sedem confirmatus. In Synodo Lippayana 2da Dec. 1648 occurrit subscriptus electus Vaciensis, et Praepositus Posoniensis, ac Sághiensis. Qua Vaciensis anno 1649 Coloczensis Archi-Episcopi honorem obtinuit, quem in Vaciensi Episcopatu gessit ad annum 1650; honoremque hunc eodem anno secum ad Jaurinensem Ecclesiam transtulit, quem post tam fre-

quentes Sedium mutationes usque obitum suum Diem **Svan** Martii 1657 retinuit. Mirum est, illum vitam tamdiu produxisse, qui Nitriensem Episcopatum ob attritas vires decennio prius dimisit, ut **Kazius L. 6.** his verbis refert: „**Joannes Púskius** Antistes Nitriensis, quum humeros annis, vigiliis, taediis, ac laboribus fractos oneri impares sentiret, munus utrumque, et Episcopi, et supremi Provinciae ejusdem Comitum, Regi apostolicò, cui in acceptis ferebat, restituit. Quod reliquum erat affectae aetatis sibi, pietatique seposuit.“ Interim quietem, quam quaesivit, in tumulto reperit, anno 1557 ad superos translatus.

### §. 52.

**L. Georgius II. Szelepcsényi**, nobilibus de **Pohráncz**, sed tenuium facultatum Parentibus natus, a **Cardinale Archi-Episcopo Pazmano** in protectionem sumtus, atque Romam studiorum causa missus; cui ibidem theses theologicas, quas propugnandas suscepit, inscripserat, profusam illius in se liberalitatem in Dedicatione celebrando. Patriae redditus anno 1627, et Collegio **Canonicorum Strigoniensium** sub annum 1634 adlectus. Anno 1638 **Abbas de Földvár** factus. Primum **Infulam Veszprimiensem** anno 1644 consecutus, in **Dec. II. Ferdinandi III.** concl. electi Episcopi titulo insignitur. Post resignationem **Joannis Púski** Die 18va April. 1648 **Nitriensem Episcopatum** consecutus; simul **Aulae Cancellarius**. In Comitibus ejusdem anni **Ferdinandi III.** **Dec. III. art. 27.** Reverendissimus Dominus **Georgius Szelepcsényi E-**

piscopus Nitriensis Cancellarius Regni, constituitur  
 Comissarius pro revisione, et rectificatione metarum  
 circa Moraviam; et art. 28. Legatus in Poloniam ra-  
 tione Castri Lubló. Mox initio sui Episcopatus, prae-  
 ter Abbatiam de Szkalka, quam Púski Collegio So-  
 cietatis Jesu Trenchiniensi contulit, quamve Collatio-  
 nem ipse quoque confirmavit, Altariam SS. Trinitatis  
 Trenchinii fundatam, una cum suis Bonis, et utili-  
 tatibus in idem Collegium transtulit, eamque cum  
 Ecclesia S. Xaverii Canonice univit. (§. 10.) Legatio-  
 nem ad Georgium II. Rákóczyum arma Polonis infer-  
 re volentem 1657. suscepit, quam Kazius L. 7. ita  
 refert: „Leopoldus Polonicum Rákóczii iter leniori  
 remedio ut sisteret, Georgium Szelepcsényium Co-  
 loczensem Archi-Episcopum ad eundem ablegat cum  
 litteris, ad temperandum illum inconsulti, ac inau-  
 spicati belli ardorem factis, et institutis. Szelep-  
 csényius Striae adhuc versantem, resque ordinan-  
 tem reperit; atque ut erat vir acri consilio, robusta-  
 que eloquentia, ea ad hominem oratione usus est,  
 qua flecti posset, nisi profunda regnandi cupiditate  
 abreptus, sanioribus consiliis locum in animo nullum  
 reliquisset.“ — Male Kazius Szelepcsényium hic Ar-  
 chi-Episcopum Coloczensem vocat. Melius ipse Rá-  
 kóczyus datis ad Syeciae Regem eodem anno 27ma  
 Febr. litteris; a titulo hoc abstinet, et Nitriensem  
 Episcopum vocat: „Cancellarius, inquit, Regni Hun-  
 gariae, Nitriensis Episcopus ab Imperatore ad me  
 solemniter expeditus Legatus, nudius tertius huc ve-  
 nit.“ Venit itaque Szelepcsényius 25ta Febr. qua  
 Púskius Coloczensis Archi-Episcopus adhuc superstes

erat, 8va Martii mortuus. Eodem hoc anno quo Púskius decesserat, Szelepcsényius, Ecclesiae Nitriensis administratione retenta, Coloczensis Metropolita renunciatus est. — Sub Praesule Szelepcsényio anno 1663 Nitria Proditione Sub-Centurionis germani, qui dein Posonii Capite plexus fuit, et hungari Nytray, qui militibus hungaris in Castro praeerat, et defectione ad Turcas paenam declinavit, per Turcas fuit capta: sed mense Aprili anni sequentis 1664. per Caesarem Ducem Susa, seu Souchesium recuperata. Rem, quomodo gesta sit, describit Cornelius in frag. hist. hung. hoc modo: „Souchesius collecta bellatorum in Moravia sex millia, imperialium 4 Legiones, duas Brandeburgorum, et Hungaros, qui a Comite Stephano Kóhario, Baronibus item Balassa, et Joannellio, nuperis Comitibus inter hungaros cooptato, regebantur, universim 16,000 Nitriae admovit postridie, quam illic Tefterdar, bellicus quaestor cum 50,000 Imperialium, in Stipendia erogandorum, Újvariensis Bassa, et Mahomet Aga, Agriensis Gubernatoris germanus, aliique Praefecti convenissent. Hos exercitus Christiani adventus ita perculit, ut quidam in unicum Arcis puteum se daret praecipitem, ac redderet inutilem. Et quamquam scalis applicatis muros illico superari non sint passi; post exauditas tamen frequentes bombardarum displusiones, eodem Die (erat 16. Apr.) succenso utroque oppido, in arcem refugiunt. Mox a nostris adversus eruptiones, ponti, arci, molae agger objectus. Schenkus Caesaris Tribunus in erigendis Cuniculis sudat: Saxonum Pretribunus Branden excubat, nequis laborem inter-

turbet: pone veterem Ecclesiam in inferiore oppido tormentarius suggestus erectus: trecentis Hungaris, ut agro, Nitriam, et Újvárinum interjacente, discurrant, datur in mandatis. Postera Die ignivomae ollae necessitatem nudandi tectis domos attulerunt; et prima omnium inter bellica instrumenta decidit haud otiosa. Vix alter dies illuxit; ab Újvárino venientes Castra, et fortunam Arcis exploratum, hungari concidunt, 60. captis. Ex his septem ac decem cum denis Capitibus in aggere ex pertica affixis, protinus obsessis triste spectaculum fuere. Post tridui verberationem procubuere muri, et altera Olla in Ecclesiam delapsa Praefectum, aliosque perstringit. Nec propterea minus ad defensionem obfirmatos volitans rubeum in propugnaculo vexillum, et continuae praesertim in suggestum tormentorum, sed innoxiae jaculationes ab arce indicabant. Solus Újvárinensis, seu Nitriensium fortunae diffideret, seu Praefecturae negotiis revocaretur, nostras inter legiones fallens, aut si quae obviam se inferret, perrupturus, cum 300 Újvarinum demigrare habebat in animo, et jam Nitria excedebat; sed infeliciter. Nam pro ponte a 600 Germanis occupatus, aegre cum 60. evasit. Is, dum male multatur in oculis Nitriensium, Újvárinenses Domi suae recens e Mahometano Christianus, nomine Lazarus, egregie ludificat. Chlamydem, Cydarim, ac reliquum Turcicum cultum duobus cum sociis indutus, Újvárinum fidenter subit, et velut cum mandatis Budam Nitria properans, quinque ac vicanos securitatis causa comites impetrat. Inde in sylvam non invitos, ubi Comilites deseruerat, a sylvam

Comaromium, atque in Carcerem, suam detestantes credulitatem perducit. Secunda Maji speciem parantium aggressionem praebuimus. Dein aequandis fossis, laxiore ruina muros verberare institimus; dum circiter medium Majum non expectata aggressionem arcem Turcae dederent, pacti, ut sine noxa excedere universis liceat. Equites 200, pedites altero tanto plures, Convolutis signis, armisque demissis, a 500. Ujvarinum deducti sunt. In arce 40. tormenta, incendiarii pulveris affatim, annonae, praeter interfectos 20. equos, qui Turcarum mensis pro delitiis inferebantur, perparum repertum.“ Susa, postquam Nitriam Episcopo suo asseruit, relictis pro praesidio 700tis Levam excurrit. — Georgio Lippay die 3tia Jan. 1666 rebus humanis exempto, Szelepcsényi a Leopoldo I. ejusdem anni, mensisque Die 15ta Regni Hungariae Primas, et Archi-Episcopus Strig. nominatus. Ad hanc supremam in Ecclesia Hungarica Dignitatem evector, quas res ad Dei gloriam, Patriae, Dioecesisque suae felicitatem promovendam egerit, recensere hujus loci non est: ea paucis commemorabo, quae in bonum Episcopatus Nitriensis, dum ei praefuerat, praestitit. Filiis beati Francisci Nitriae Sacrarium posuit Patres Societatis Jesu Solnam induxit. Canonicis large dotatum votivum fundavit. Ecclesiam in honorem SS. Andreae et Benedicti in monte Zobor perfecit. In Cathedrali Ecclesia nobilissimam aram cum Depositione Christi de Cruce, in alabastro affabre excisa, comportatis de longinquo marmoribus, construxit. Suppellectilem Sacram adauxit. Possidet Ecclesia ab ipso Librum Evangelio-

rum in Pergamena descriptorum, in cujus theca est crux argentea cum effigie Crucifixi, B. M. V. et S. Joannis, atque Scuto gentilitio Szelepcsényiano.—Novenario major in Moravia Letoviczii vitae curriculum confecit anno 1685; tumultus, ut ipse vivens voluit, in majoribus cellis marianis in Styria.

### §. 53.

LI. *Leopoldus* C. a Kollonich, natus Comaromii 26ta Oct. 1631 Ernesto Kollonichio Patre, Praesidii Comaromiensis Gubernatore, Matre Elisabetha a Kuffstein, rarae pietatis Matrona; Sacris undis ablutus a Petro Pazmano Cardinali. Pueritiam domi exegit, fructu tum docentium industriae pari, tum discantis ingenio maximo. Innocui ejus mores, discendi cupiditas, ingenii facilitas, precandi studium, et ad sacras exercitationes alacritas, jam tum praesagiebant, quis, quantusve futurus esset. Anno aetatis quarto decimo sublimiorum scientiarum causa Viennam translatus, ac in aulam Ferdinandi III. assumtus, Ferdinando IV. tantisper ab obsequiis aulicis fuit. Subinde Melitensium Equitum Ordinem ingressus, anno 1650, quum Mahomedes IV. terra, marique Candiam oppugnasset, septem supra viginti barbarorum triremes, viginti et unam Melitensem adortae, anceps, et cruentum certamen fecerunt; Kollonichius uno saltu se in hostile navigium projicit, et elato candidae Crucis vexillo, exemplo suo, et periculo usque adeo Comilitones suos excitavit, ut inimica classe partim capta, partim mersa, nobilem vi-

ctoriam reportaverit. Ob praeclarum hoc facinus Kollonichius a magno Ordinis Magistro Melitae Castellanus est constitutus. Biennio hanc provinciam gessit, non minore sui gloria, quam Christiani nominis accessione: quippe et turpem Captivorum multitudinam abolevit, et mancipia in libertatem aere suo asserta, Christiana prorsus fovit charitate. Dum continua virtutum suarum Documenta ederet, Praefecturis in Austria, et Bohemia admotus, prope erat, ut alienae caderet victima invidiae, veneno, quod illi paratum fuerat, per alium hausto. Tanto discrimini ereptus Clericum induit, sacris ordinibus a Georgio Széchényi initiatus. Ad aulam Caesaream reversus, a Leopoldo I. clavim auream, magnum Caesarei favoris pignus obtinuit anno 1659. — Praesul Ecclesiae Nitriensi datus anno 1668 Die 30ma Sept. confirmatus: Diplomati Leopoldino, quod est de confirmato nobilium adolescentum Contubernio Sopronii erecto, Vienna Austriae 27ma mensis Jan. 1669; et alteri, quo Andrassii libera mineras effodiendi potestas intra ambitum Dynastiae Kraszno-hörkensis tribuitur de 26ta mensis April. 1669 subscriptus Episcopus Nitriensis. Adeptus Episcopatum, mox Religionem propagare, haeresim atterere, languentes verbo et exemplo ad Virtutem excitare, inter primas curas habuit. Aedes sacras refecit, muros praesidii restauravit, unum praeterea propugnaculum adjecit. — Gliscente seditione, Episcopatu sese abdicavit; jam 23tia Dec. ejusdem anni 1669 legitur Episcopus Neostadiensis. Memoriam ejus retinet Ecclesia Nitriensis in Cruce pectorali aurea cum annulo ordinis

Hieros. quae interne habet inscriptionem: „*Leopoldus Comes a Kollonich Episcopus Nitriensis, Eques S. Joannis Hieros. Ordinis donavit.*“ — Aerarium dein Regium administrandum accepit; qua cura ei decedendum fuit, dum anno 1681 revocata vetere Comitiorum anni 1608 lege dispositum esset, ne sacris Viris aerarii Praefectura crederetur. Quum an. 1683 Mahometes IV. Viennam obsidione cinxisset, aliis fugam arripientibus, Kollonichius intrepide in eam se recepit. Fervente dura obsidione, quid egerit in salutem Urbis, et Civium, illius aevi Scriptores, fusa narratione prosequuntur. Leopoldus Imp. viri merita remuneraturus, ei Episcopatum Jaurinensem anno 1685 contulit, et pro Galero Cardinalitio eundem Innocentio XI. P. impensius commendavit. Valuit Caesaris commendatio: anno 1686 eo ipso die, quo Buda in potestatem Christianorum venit, in purpuratorum Patrum senatum assumptus; et quum Innocentio decedente, electioni novi Pontificis Alexandri VIII. interfuisset, titulo Cardinalis Presbyteri S. Hieronymi Illyricorum insignitus. — Biennio post an. 1691 Coloczensis, et an. 1695 Strigoniensis Archiepiscopus factus, cui Ecclesiae ad an. 1707 praefuit, Die 21ma Jan. Viennae mortuus; Posonii in Templo SS. Salvatoris, quod ab Augustanae Confessionis hominibus violente occupatum, receperat, ad Aram S. Francisci Xav. marmori inciso Epitaphio sepultus. — Illi in acceptis debetur Conventio ex parte Cleri cum Fisco Regio inita, quoad substantiam Episcoporum, et Praelatorum a morte relictam, quae ab ejusdem nomine Kollonichiana vocatur, cujus Tenores, cum

non sint omnibus noti, ea forma, qua per Cameram aulicam Cardinali Primati a Kollonich pro publicatione transmissa fuerat, describendos, subnectendosque esse existimavimus.

„Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis  
 „nomine Eminentissimo Domino Leopoldo S. R. Ec-  
 „clesiae Cardinali a Kollonich, tit. gratiose signifi-  
 „candum.

„Meminerit haud dubie Eminentia Vestra, quid-  
 „nam in Congressu 5ta Dec. elapsi anni 1702 sub  
 „Praesidio ejusdem inter Venerabilem Clerum Regni  
 „Hungariae, et Cameram hanc Caesaream Regio-Au-  
 „licam praesentibus ex parte Cleri, ac Inclytae Can-  
 „cellariae Regio-Aulicae Illustrissimo ac Reverendis-  
 „simo D. Ladislao Mattyassovszky Episcopo Nittrien-  
 „si, ac Regni Cancellario, Reverendissimo D. Augu-  
 „stino Benkovics Episcopo Varadinensi, Illustrissimo  
 „ac Rever. D. Emerico Csáky Episcopo Noviensi,  
 „Spectabilibus ac Magnificis, ac Perillustribus D.  
 „Francisco Klobusiczky L. B. de Zetén I. Comitatus  
 „de Zarand supremo Comite, nec non Personalis  
 „Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenente, D.  
 „Barone Hoffman, D. Barone Mednyánszky, D. Pa-  
 „tatich praefatae I. Cancellariae Consiliariis; ac ex  
 „parte Camerae aulicae Caesareo-Regiae, ejusdem  
 „Consiliario, ac Referendario Intimo hic subscripto,  
 „celebrato, occasione gravaminum motorum a Reve-  
 „rendissimo D. Stephano Telekessy Episcopo Agriensi  
 „tam circa contraventionem Resolutionis Ratificatoriae  
 „14 Aug. 1694 super Restitutione Bonorum ad Epi-  
 „scopatum Agriensem pertinentium emanatae, ac a

„suo Antecessore in Episcopatu D. Episcopo Georgio  
 „Fenesty piae Recordationis obtentae, quam ratione  
 „Bonorum mobillium et fructuum tempore mortis  
 „praefati D. Episcopi Antecessoris sui existentium,  
 „uti et medio tempore vacantiae perceptorum a Fisco  
 „Regio apprehensorum, et praetensorum ad stabili-  
 „endam in hisce Casibus, eveniente scilicet morte  
 „alicujus Ecclesiastici, non tantum quoad formalita-  
 „tes in obsignatione haereditatis, conficiendo Inven-  
 „tario, ac administratione Bonorum sede vacante,  
 „sed etiam quoad quantum pro confiniis et fortalitiis  
 „juxta Tenorem et mentem Diplomatis piissimo Imp.  
 „et Rege Ferdinando II. gloriosissimae reminiscen-  
 „tiae pro Ven. Clero Hungariae adhuc anno 1625 Die  
 „11. mensis Dec. ratione concessae de Bonis mobi-  
 „libus testandi facultatis emanatae applicandum, cer-  
 „tam regulam, et normam firmam ad tollenda in  
 „ejusdem casibus hucusque inter Ven. Clerum et Fis-  
 „cum Regium obinde in summum utriusque praeju-  
 „diciam exorta sumtuosa litigia, controversias, et  
 „querelas, nec non praecavendas occasione, et sub  
 „velamine eorundem, saepe non parvo Religionis  
 „nostrae scandalo practicatas, haereditatum expila-  
 „tiones, ac Distractiones, omni ex parte proficuum,  
 et omnino necessarium fore visum fuerat, nimirum:

„Primo: Ut quoad obsignationem Bonorum et  
 „facultatum omnium etiam allodialium a quovis Prae-  
 „lato vita functo relictorum immediate, et omni mora  
 „seclusa, post casum mortis a duobus Capitularibus,  
 „et uno Officiali Cameratico cujuscunque gradus aut  
 „officii in loco illo existente omnia Bona mobilia que-

„vis nomine vocitata, maxime vero litteralia Docu-  
 „menta, exceptis tamen utensilibus communibus (uti  
 „jam prius per Benignam Resolutionem declaratori-  
 „am Diplomatis Die 29na Dec. anni 1675 emanatam  
 „sanctum est) et super quae a quovis Episcopo et  
 „Capitula Inventaria authentica servanda forent, in  
 „Loco, quantum fieri potest, tuto, fideliter reponan-  
 „tur, ac trium antedictorum sigillis obsignentur: si  
 „autem illo in loco Cameraticus nullus adesset, Per-  
 „sonae Capitulares interea soli obsignent, et ab iis-  
 „dem casus mortis viciniore Cameratico quantocum-  
 „que per Cursorem, aut Tabellarium proprium intime-  
 „tur, quod et Cameraticus vice versa praestabit, si  
 „ipso praesente Capitulares abesse contingeret. Ex-  
 „post

„Secundo: Super mobilia haec obsignata (aviti-  
 „cis, in quae cognati succedunt, et fundationalibus,  
 „quae Beneficio annexa manent, seclusis) pariter a  
 „praedictis duobus Capitularibus, cum deputato eum  
 „in finem a Camera Regia, aut pro diversitate Loco-  
 „rum ab Administrationibus Cameralibus, homine  
 „Regio, seu Commissario simul plenum, bene ordi-  
 „natum, ac legitimum, sigillorum et manus apposi-  
 „tione roboratum conficiatur Inventarium, cum an-  
 „nexa Taxatione, seu aestimatione rerum singula-  
 „rum justa, et aequa; tale Inventarium unus Capi-  
 „tularium cum Testamento defuncti Domino Ordina-  
 „rio, alter Metropolitano, Cameraticus vero suae  
 „Instantiae conservandum tradat: si vero Bona sint  
 „immobilia, sive haereditaria, sive adquisita nullo  
 „consensu Regio pro ulteriori Dispositione firmata,

„ex quo soli Fisco Regio qua legitimo successori cedere deberent, Capitulares nullam in iisdem jurisdictionem exercere, aut super iisdem aliquod Inventarium, seu Conscriptionem formare possent, hoc Jure exmissis solum Cameraticis competente.

„Tertio: Executio Testamenti, si quod adest, aut si nullum adesset, Bonorum in ordine sic debito in Inventario conscriptorum, et taxatorum distributio ab iis, quos Defuncti Ordinarius, et Metropolitanus, ac ex parte sua Fiscus constituerit, quamprimum, ne mora temporis res vel distrahantur, vel deteriores, modo fiat sequenti; ut omnium primo expensae funerales pro viribus facultatum et cujusvis gradui competentia insummenda, nec non stipendiati servitores, uti et creditores solvantur, ubi tamen attendendum, quod si aliqua Debita in praesudicium Ecclesiae, aut Seminarii, de quo inferius mentio erit, a Defuncto essent contracta, ea uti hisce expresse prohibita, pro irritis habeantur, adeoque nulla ratione solvantur; dein Libri omnes, uti et Manuscripta Capitulo, si cujus membrum Defunctus fuerit, aut Beneficio, quod habuit, ad augendam, vel erigendam, aut instruendam Bibliothecam cedant. Indumenta vero Sacerdotalia, Vasa sacra, et Altarium ornamenta, tamquam res Deo jam sacratae, Ecclesiae obveniant; prouti utensilia domestica, scilicet mensae et culinae, cellarii quoque suppellex, sedilia, Lecti, Tapetes successori relinquenda, in quem finem non tantum liceret Ecclesiasticis quoddam ejusmodi domesticae suppellectilis Inventarium conficere, quae de Successore ad Suc-

„cessorem venire quis desideret, sed etiam utile, imo  
 „necessarium foret, bene ordinatum Urbarium, seu  
 „omnium Jurium, Possessionum, fruetuum Beneficii  
 „registum pro Directione Successorum conscribere.

„Quarto: Ut quod deducto sic aere alieno in  
 „rem Episcopatus aut Praelaturae, ejusdemque Ec-  
 „clesiae verso, nec non distributis supradictis super-  
 „fuerit, id in tres partes aequales dividatur, e qui-  
 „bus unjus partis electio fiat in Emolumentum Eccle-  
 „siae, id est in usum erigendi, vel augendi Clerico-  
 „rum Seminarii, aut Ecclesiarum meliorationem, ac  
 „Parochiarum restaurationem, quo Defunctus desi-  
 „gnaverit. Secunda Tertialitas obveniat Fisco Regio  
 „Hungariae Praesidiis et Fortalitiis vel conservandis,  
 „vel instaurandis impendenda. Et de Tertia pro li-  
 „bitu et arbitrio suo quisque Ecclesiasticorum dispo-  
 „nere possit, sive pro refrigerio animae in pia le-  
 „gata, sive pro Cognatis, aliisque, aut si Praelatus  
 „ab intestato decederet, in hanc tertiam partem ii  
 „Cognati succedant, qui vi Legum Patriarum ab in-  
 „testato morientibus succedere deberent, si vero ta-  
 „lium Cognatorum nullus superesset, eo in casu haec  
 „Tertialitas tanquam a defuncto indisposita relicta,  
 „ex media parte Fisco, et ex alia parte Ecclesiae di-  
 „vidatur.

„Quinto: Bonorum Ecclesiasticorum, seu ad  
 „foundationem Ecclesiasticam spectantium administra-  
 „tio, sit penes, juxta benignissimam mentem Suae  
 „Majestatis Caesareo-Regiae, anno 1675. Die 29na  
 „Decembris explanatam, nempe Ecclesiasticum unum,  
 „et Fiscalem alterum; illum defuncti Ordinarius,

„hunc Camera constituet, qui mutua Potestate admi-  
 „nistrabunt omnia, et eo maxime reflectent, ne Bona  
 „desolentur, aut eorum Proventus minuantur, aut  
 „quae ad bonam oeconomiam exercendam spectant,  
 „negligantur, ob quam diligentiam competentem re-  
 „munerationem in fine administrationis accipient.

„Sexto: Proventus et fructus omnes durante hac  
 „Beneficii vacantis administratione collecti, aut pro  
 „hoc tempore colligendi usque ad Installationem Suc-  
 „cessoris (si Beneficium ultra quadrantem anni vacare  
 „contingat) bifarie dividantur, una parte Fisco, altera  
 „Ecclesiae remanente.

„Septimo: Quodsi vero aliquis, cujuscunque  
 „Conditionis ille fuerit, a praespecificatis Bonis ex  
 „Haereditate defunctorum Ecclesiasticorum, aut etiam  
 „fructibus medio tempore vacantiae perceptis quid-  
 „quam auferre, aut celare, vel quacunque ratione  
 „Ecclesiam et Fiscum eatenus damnificare auderet,  
 „condigna legibus paena rigorose puniatur; quae o-  
 „mnia et singula Suae Majestati SSmae Caesareae,  
 „Regiaeque per delegatam in Hungaricis Commissio-  
 „nem ministerialem demississime relata, ab eademque  
 „in omnibus et per omnia clementissime sunt adpro-  
 „bata, et ratificata, ac ab inde Eminentiae Vestrae  
 „eum in finem insinuantur, ut sancitam desuper hanc  
 „benignissimam Suae Majestatis Declarationem ac  
 „Resolutionem finalem saepefato Venerabili Regni  
 „Hungariae Clero debite notificare, ac pro regula et  
 „norma in futurum in hisce Casibus inalterabiliter  
 „observanda intimare non gravaretur. Cui de cae-  
 „tero etc. Viennae Die 15a Junii 1703.

## §. 54.

LII. *Thomas III.* Comes **Pálffy** ab **Erdőd**, nobilissima, eaque antiquissima familia ortus; philosophicas scientias in athenaeo Tyrnaviensi; theologicas Romae feliciter emensus, diu latere non potuit, quin admotus sacrae, profanaeque Reipublicae muneribus, palam omnino faceret, quanta praeditus scientia, summos etiam honores promereretur. **Archi-Praesul Strigoniensis Georgius Lippay Thomam Ecclesiae suae Strigoniensis** Canonicum nominavit; an. 1653 jam electum **Csanadiensem** fuisse, ex patentibus, quas dedit, Litteris constat, quarum initium est: „**Nos Thomas Pálffy ab Erdőd electus Episcopus Csanadiensis, Abbas de Batha, Archi-Capituli Strigoniensis Custos et Canonicus, ejusdem Ecclesiae Metropolitanae Generalis Vicarius; Damas notitiae etc. Datum Tyrnaviae in aedibus solitae nostrae Residentiae 15. Maji anno 1653,**“ Eodem hoc anno **Trenchinii** in aede **D. Xaverio Sacra** a **Georgio Lippayo**, assistentibus **Szelepcsényio Nitriensi Episcopo**, et **Regni Cancellario**, tum **Sigismundo Zongor Varadinensi Episcopo**, et **Praeposito Psoniensi consecratus**. Anno 1668 **Episcopus Vaciensis**, et **Praepositus Psoniensis**, dein anno 1660 **Episcopus Agriensis**, in **Concl. Dec. II. Leopoldi** de an. 1662 nominatus; an. 1670 **Nitriam** translatus, simulque **Regni Cancellarius** creatus; quod perhibet **Diploma concessas a Leopoldo R. Divae Clarae S. Virginibus de veteri Buda Caenobii Psoniensis**, quasdam immunitates complectens; „*Datum per manus fidelis no-*

*stri, Nobis dilecti Reverendi Thomae Pálffy ab Erdőd, Episcopi Ecclesiae Nitriensis, locique ejusdem, ac Comitatus Supremi, ac perpetui Comititis, Consilarii Nostris, ac per Regnum Nostrum Hungariae Aulae nostrae Cancellarii, in Civitate nostra Vienna Austriae Die 1ma mensis Novem. anno Domini 1670.*“ Praeterlapso uno lustro, ob praeclare in utraque Republica exantlatos labores, et merita longe amplissima, Praepositura beati Joannis de Jászó eidem collata est. Fuit vir adeo facundus, ut inter primos aetatis suae Oratores numeraretur. Decem fere annos Nitriensem gubernavit Ecclesiam, nihil eorum omittens, quae Pastoris vigilantissimi industriam magnopere commendare solent. Nitriae propugnacula Castri Episcopalis ad formam justi munimenti erexit anno 1673, fossamque de rupe altius cavatam circumduxit. Scutum illius gentilitium muro propugnaculi insertum hodie dum visitur. Ecclesiae suae Nitriensi dedit Reliquiare majus, Sarcophagi formam referens, argenteum, cum inscriptione, superius incisa: „*Divis Tutelaribus Ecclesiae Nitriensis Andreae, et Benedicto MM. Thomas Pálffy ab Erdőd Epp. Nitr. Cancell. Ung. F. F. anno Domini 1674 in quo sacra ossa reposita sunt.*“ Praeterea Crucem auream ad formam hispanicam rubinis Nro 31 expositam, in adversa parte cum eadem inscriptione: Divis etc. 1675. Item: Pacificale argenteum cum Sacris Reliquiis, Insigni gentilitio, et Inscriptione: *Th. Pálffy ab Erdőd Epp. Nitr. et Hung. Cancell.* 1674. Thuribulum argenteum cum navicula, continens eandem inscriptionem cum Scuto gentilitio, et annum 1670. Insuper imaginem

B. M. V. ex lamella argentea in lista argento obducta, aureis cziradis vestita, cum Scuto gentilitio et inscriptione: *Th. Pálffy Epp. Nitr.* 1676. Suppellectilem quoque Sacram Planetis, seu Casulis violacei et viridis coloris adauxit. — Nec Agriensis Dioecesis oblitus Possessionem Hejczze, ad Episcopatum Agriensem antea spectantem, sed turbulentis illis temporibus abstractam, quam vineta inprimis nobilioris famae commendant, tricenis florenorum Millibus, ab Elisabetha Rákóczy, conjuge postea Georgii Erdódy redemit, et Seminario Cassoviensi, quod Episcopus Benedictus Kisdi pro Clero Agriensi fundaverat, donavit. Mortuus Viennae Die 7ma Maji 1679.

§. 55.

LIII. *Joannes VI. Gubassóczy* ex Canonico Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis factus primum Episcopus Quinque-Ecclesiensis anno 1668; deinde an. 1676. Vaciensis; postea an. 1680 translatus Nitriam, adjuncto Cancellarii munere; in Convocatione Comitiorum Sopronium, seu in litteris regalibus de 28va Febr. 1681 subscriptus *Cancellarius et Episcopus Nitriensis*. Demum anno 1685, postquam Széchényus 20ma Apr. 1685 ad Strigoniensem Metropolim promotus fuit, retenta administratione Episcopatus Nitriensis, denominatus *Archi-Episcopus Coloczensis*. Quantus vir fuerit, quantopere Patriae suae saluti intentus, quamve Sagacis Consilii, palam fecit, tunc vel maxime, quum per Litteras a Leopoldo consultus, qualem in ea, quae vigebat,

turbulento illo tempore, animorum exasperatione, malo tam pertinaci medicinam opportunissimam putaret? sub 22. Jan. 1678 Vaciensis eotum Episcopus, propositis Sigismundi, et Ludovici I. exemplis, erga tumultuantes, et seditiosos Clementiam rigori praeferendam svasit. „Quia, inquit ille, praeferenda est Clementia rigori, praesertim hoc rerum statu, misericordia justitiae, salus et conservatio Subditorum perditioni, Conservatio Sangvinis Christiani effusioni, bonum publicum privatae utilitati: — Operari oportet, dum tempus est. Occasio enim calva, periculum quasi praeforibus videtur esse. Hostis nec in Hyeme est otiosus. Luna ottomanica de nocte surgit, ut Christianos jugulet. Gallus similiter vigilat, et Socios quaerit Confaederationis. Quilibet fortunae suae prospicit. Periclitatur nimirum residua, et ultima pars fortissimi propugnaculi Christianitatis ob tot internorum et externorum hostium motus, et machinationes: qua perdita, aperta erunt inimicis omnia. — Rara dies est, qua Sangvis Subditorum Majestatis Vestrae a capitali inimico Christiani nominis, Christianitatis non effundatur, eoque jam tendit furor turcicus, quatenus Montanarum Civitatum, seu aurifodinarum incolis ob frequentes incursiones terrorem incutiat, et ad miseram sortem tributariorum redigat, pretiosumque nervum Belli aurum et argentum subtrahere Majestati Vestrae, vel saltem diminuire valeat. Advertunt inimici Majestatis Vestrae, quid sit Hungaria; nimirum non solum murus, et antemurale Christianitatis ad coerendum et impediendum progressum ipsorum, Dei

Beneficio constitutum, et erectum; verum etiam Mater multarum Coronarum. — Quum sit medium conservationis Hungariae, defendenda, et protegenda est: ne, si deseratur, infelicem sortem matris subeant et filiae; valedicentisque Matris Cineres, sequantur cum lachrimis.“ — Sed consiliis his mitioribus severiora praevaluerunt, et Patriam in gravissima mala praecipitarunt, quibus Gubassoczyus immortuus est Viennae 10. April. an. 1686. sepultus ibidem in templo Societatis Jesu, cui fuerat addictissimus. Nitriae Palatium Episcopale, dum viveret, instauravit. Missam votivam in Cathedrali sua fundavit. Huic mitram pontificalem, seu Infulam ex rubra Bysso, aureis floribus acu phrygia pictis exornatam, quae in posteriore sui parte Scutum gentilitium Gubassóczyanum exhibet, donavit. Et quod pro Dioecesi longe utilissimum fuit, foundationem pro duodecim Clericis Nitriensibus intertenendis in generali Seminario fecit.

### §. 56.

LIV. Petrus III. Korompay in oppido Nahács natus anno vicesimo tertio, supra millesimum sexcentiesimum. Politiores litteras Tyrnaviae, philosophiam, et theologiam Viennae juniore clero adscriptus, magna celebritate ingenii, majore virtutis, condidit; ubi etiam prima laurea theologica condecoratus est. Aris admotus, ac multiplici Doctrina instructus, sedulam curam animarum gessit in gemina Dioecesi Agriensi, et Jaurinensi. Auxit subinde nu-

merum Canonorum Vacienſium, atque in hac eadem Dioceſi Antíſtiti ſuo Vicariam operam praestitit. Demum ad an. 1679 Praepoſitus major Metrop. Capituli Strig. renunciatus. Per hos gradus dignitatum ad Episcopatum Vacienſem pervenit Die 5ta Jan. 1680; confirmatus a ſummo Pontifice anno vertente, Die 28va April. atque ferventibus Comitibus in Urbe Poſoniensi, per Metropolitanam Strigoniensem Georgium Szelepcsényi Sacris pontificalibus inauguratus Die 20. Septemb. Sed brevi post, exeuntibus Comitibus Sopronienſibus, ſat turbidis, voluntate Leopoldi Imp. viduatae Ecclesiae Agriensi Pastor datus, ubi illum ad annum 1688 ſediſſe, eodemque anno Nitriam translatum fuiſſe Praejuſ adnotavit. Sed minus recte. Petrus namque *electus Episcopus Nitriensis* legitur ſubſcriptus in Collationalibus de 16ta Dec. anni 1686. per quas Georgio Fenessy electo Agriensi Episcopo Praepoſitura S. Joannis de Jászó per translationem Petri Korompay ex Episcopatu Agriensi ad Nitriensem vacans, confertur. In Concl. etiam Dec. IV. Leopoldi de an. 1687 nominatur Petrus Korompay Episcopus Nitriensis, locique, et Comitatus ejusdem Supremus Comes, Conſiliarius Regius, et per Hungariam Cancellarius. — Famam aequitatis, ac cognitionis Legum, quam in tractatione publicorum negotiorum collegerat, Status Regni in Comitibus congregati agnoverunt, dum eum arbitrum nominarunt ad dirimendas Lites, quae inter Fiscum Regium, et Nobiles agitabantur, ratione Bonorum, turbulentis iis temporibus a Fisco occupatorum, pluraque ejusmodi intricata, ac litibus obnoxia, peritiae et inte-

gritati ejus comiserunt Leopoldi Dec. III. an. 1681. art. 11. — Nitriensi Ecclesiae vix quadriennio praefuit. Obiit Viennae Die 12ma Maji 1690, ac Die 13a ejusdem in Templo Domus professae Soc. Jesu tumultatus, funebrem Pompam Comitantibus Széchényo Strigoniensi Metropolita, et Mathia Radonayio Episcopo Quinque-Ecclesiensi. In Nitriensi Ecclesia Altare majus, Cathedram, et Canoniorum Stalla fieri curavit; votivam Missam in honorem SS. Petri, et Pauli App. fundavit. Ecclesia Cathedralis ex liberalitate illius possidet elegantem Calicem argenteum, bene inauratum, pretiosis lapidibus, et sex picturis ornatum, in cujus pede praeter ejus Insigne, Inscriptio haec legitur: *„Petrus Korompay Episc. Nitr. Lo-  
cique, ac Comitatus ejusdem Supremus et perpetuus Comes, Sacrae Caesareae, Regiaeque Apost. Majestatis Consiliarius, Aulae ejusdem Cancellarius etc. hunc Calicem in perpetuam sui memoriam legavit Cathedrali Ecclesiae Nitr. anno 1690.*

### §. 57.

LV. *Jacobus II.* Haskó ex Praeposito Vág-Ujhelyiensi anno 1690 Episcopus Nitriensis creatus. Quae officia gesserit? quibus fatis pressus fuerit, ipsemet succincte in Manuscripto adnotavit, quod P. Mathaeus Vankovics Ord. S. Francisci, qui ei in adiutorium datus, usque obitum penes illum fuerat, continuavit, ex libro historico Conventus Beczkoviensis, cujus fuerat Fundator, desumptum, propriis illius verbis damus. Sic vero habet:

„**Jacobus Haskó natus in Possessione Trubin, quae est in Districtu S. Crucensi ad fluvium Granum, Parentibus Catholicis Martino Haskó, et Dorothea Koza, in an. Domini 1622. Die 27ma April. qui anno 1637 Tyrnaviam descendit, ibique an. 1642 Rhetoricam absolvit; exposit in Praepositura Lelesziensi Juventutem una anno docuit; inde Tyrnaviam reversus, reassumta studia propter disturbia Rákócziana interrompere debuit. Exu! factus Csepreginum se recepit; post Sárvarinum; ad extremum Ikérvarini Rectorem Scholae egit; quo Rectoratu resignato Viennam se contulit; ibique in Collegio Pazmanino Clericali militiae adscriptus, studia sua continuavit. Tandem an. 1651 Presbyter factus, in Comitatu Liptoviensi in Szent-Ivány duobus annis Capellanum egit. Postea ab an. 1653 usque ad an. 1660 Parochiam Szomolányensem administravit, eodemque anno Modram, et post septem hebdomadas Csejtam expeditus fuit; ubi Canonicatum Poseniensem an. 1662; anno vero 1664 in ipsis disturbiiis turcicis, Strigoniensem obtinuit cum Cathedra Slavonica, in cujus gratiam Parochiam Csejtensem deserere, et Tyrnaviam transferre jussus, ibi usque ad annum 1666. mansionem suam continuavit. Tandem a Compossessoribus Bonorum Beczkoviensium ad Praeposituram Ujhelyiensem evocatus, cum licentia Superiorum Tyrnaviae valedixit, et hic usque hodiernum Diem id est 30. Decem. anni 1686 mansionem suam continuavit, posthabitis omnibus aliis, eidem oblatis altioribus promotionibus, titularem Episcopatum Rosonensem, et Abbatiam Rajkensem sibi ultro oblatam an. 1672**

acceptavit, in Abbatemque se eodem anno ritu solenni in Ecclesia Vág-Ujhelyiensi benedici curavit, Quae omnia annotavit idem Jacobus Haskó Praepositus Die et anno quibus supra.“

Haec, quae sequuntur, addidit infrascriptus : „Tandem an. 1690 Episcopus Nitriensis creatus, eundem post cursum unius anni resignavit, et in dolorem digiti majoris in pede dextro incidit, in quo gangraena serpere coepit; neve ulterius serperet, consilio medicorum eundem absecari curavit; verum eadem gangraena semper ulterius serpente, totam partem inferiorem usque ad articulum ita exedit, ut carne exesa ossiculi omnes excepti sint, solis eminentibus nervis, et venis, quod meismet oculis quotidie perspexi, et ossa colligens in scatula conservavi, eamque ad tumbam cum ipsis recondidi; et hos omnes dolores tanta patientia sustinuit, ut nequidem minimum signum alicujus impatientiae ostenderit. Post hos omnes dolores patientissime toleratos sancte finem vitae suae terminavit 1695 Die 19. Octob. in festo S. Petri de Alcantara, ad quem specialem Devotionem habuit; assistente eidem in infirmitate, et doloribus, ac in articulo mortis me P. Mathaeo Vankovics, pro tunc Capellano Vág-Ujhelyiensi mp. Requiem aeternam dona ei Domine, et Lux perpetua luceat ei. Requiescat in Pace. Amen.“

Etsi Dignitatem Episcopalem per vim impositam Jacobus annum duntaxat sustinuit; habet tamen Ecclesia Nitriensis ab Illo magnum monstratorium argenteum ut pulchrum visu, ita in se pretiosum, non modico sumtuum impendio procuratum; lapidibus bo-

hemicis, et Iconibus numero 15. vitam Christi representantibus, exornatum, cum Insigni ejusdem, et inscriptione inferius excisa: „*Jacobus Haskó emeritus Episcopus Nitriensis hanc monstrantiam donavit Cathedrali Ecclesiae Nitriensi an. 1692.*“ Item calicem argenteum, bene inauratum labore filograno, lapidibus, et sex picturis ornatum, inferne cum hac inscriptione: „*Jacobus Haskó emeritus Episcopus Nitriensis hunc Calicem donavit Cathedrali Ecclesiae Nitriensi an. 1692.*“

Patribus Ord. S. Francisci strictioris observantiae, Provinciae S. Salvatoris Conventum Beczkovii in Comitatu Trenchinensi aedificavit. Caeperat quidem hunc aedificare C. Franciscus Nádasdy Judex Curiae Regiae, qui postquam ad Sacra Catholica rediit, mox in Bonis suis sanctimoniam Templis restituit; Aram Beatissimae Virgini in Cellis, Claustrum cum templo ejus servis Laurenti in Soproniensi, et Eremitis S. Augustini Lencae in Castriferrei provincia exaedificavit; Patribus vero Franciscanis Beczkovii aedificare coepit; infeliciter e vivis sublatus prius, quam aedificium e fundamentis, fuisset eductum: illud dein anno 1689. Haskó Praepositus Vág-Újhelyiensis continuandum alacriter suscepit, et quamvis vita Comite plene illud perficere nequiverit, necessariis tamen sumtibus pro plena perfectione per Tabulas ultimae voluntatis relictis, cura Joanni Rácsay Canonico Nitriensi, et Parocho Beczkoviensi demandata, opus consummari fecit. Exstat hodie, Fundatoris sui in precibus memor.

## §. 58.

LVI. *Blasius Jáklin* post renunciationem *Jacobi Haskó* anno 1691 nominatus **Episcopus Nitriensis, et Regni Cancellarius**: antea **Praepositus Major Strigoniensis, et Episcopus Tinniniensis**. **Cl. Praj** nullam illius in serie **Episcoporum Nitriensium** facit mentionem; cum tamen eundem qua **Regni Cancellarium et Episcopum Nitriensem** pluribus **Diplomatibus**, per manus ejus datis, subscriptum non potuerit non legisse; sic subscriptus occurrit in **Diplomate**, quo **Leopoldus Stephanum Galambos** nobilitavit de 9na Julii 1694. *Blasius Jáklin Cancellarius et Episcopus Nitriensis*; pluribusque aliis. Mox initio sui **Episcopatus** pia studia convertit ad erigendam, fundandamque **Fratribus Ord. Camaldulensium S. Romualdi Eremum** in **Monte Zobor ad Nitriam**, eo loco, quo **Abbatia S. Hippoliti M.** constiterat. In societatem pii operis adscivit **Patruclum suum Nicolaum Jáklin Baronem de Eleffant**, hac inita conventionem:

„Ego infrascriptus notum facio tenore praesentium significando, quibus expedit, universis: quod cum singulari Omnipotentis Dei providentia, et munificentia largam in facultatibus, bonisque Benedictionem acceperim: ideo pro tanto ejusdem Divini numinis beneficio in me collato, nequaquam ingratus esse volens, deliberato, ac prompto animo decrevi, statuique, tam pro honore, et gloria Divinae Majestatis, quam etiam refrigerio, et salute animae meae, non solum in erigendo, continuando, et usque ad perfectionis statum etiam deducendo, in

„monte Zobor S. Hippolyti, pro Sacro Camaldulen-  
 „sium ordine, caenobio, verum ibidem intertentione  
 „etiam 12. personarum Religionis ejusdem, aequali-  
 „bus cum Illust. et Rev. Domino Blasio Jáklin Epi-  
 „scopo Nitriensi, fratruale meo Charissimo expensis,  
 „me concurrere, perpetuamque foundationem facere  
 „velle. Ad quae praemissa omnia, et singula ex-  
 „acte observanda, et quantocyus effectuada reci-  
 „proce ego quoque Blasius Jáklin Episcopus Nitri-  
 „ensis me obligo, et obstringo, hac per expressum  
 „ab utrinque apposita etiam conditione, et reservata  
 „facultate, ut in casu Decessus unius, aut alterius  
 „nostrum, Is, qui superstes fuerit, hujusmodi salu-  
 „tarem intentionem nostram, tam de suis, quam de  
 „mortuae partis Bonis effectuare studeat, debeat,  
 „teneaturque, nihil prorsus ei alterutrius Partis con-  
 „tradictione, inhibitione, revocatione, aut contraria,  
 „si quae fors subsequeretur, ultimaria voluntate, et  
 „testamentaria dispositione obstare valente. In cujus  
 „rei majorem fidem, solidiusque testimonium prae-  
 „sentes Litteras nostras propriis Chirographis, et si-  
 „gillis nostris communitas dandas duximus. Actum  
 „Nitriae 28va Junii Anno 1691. Blasius Jáklin Epi-  
 „scopus Nitr. Nicolaus Jáklin Liber Baro de Eleffant.“

Huic Conventioni superinductus fuit consensus  
 Regius, hujus Tenoris:

„Nos Leopoldus Dei gratia electus Romanorum  
 „Imper. semper Augustus etc. Memoriae commenda-  
 „mus tenore praesentium significantes, quibus expe-  
 „dit, universis: quod Nos, cum ad demissam fidelis  
 „nostri, nobis dilecti Reverendi Blasii Jáklin Episco-

„pi Nitriensis, locique, ac Comitatus ejusdem su-  
 „premi et perpetui Comitis, Consilarii nostri, et  
 „Anlae nostrae per Hungariam Cancellarii, instan-  
 „tiam, sed et aliorum fidelium nostrorum humilli-  
 „mam supplicationem nostrae propterea factam Ma-  
 „jestati, tum vero pia, salutarique, et laudabili ejus-  
 „dem Cancellarii Nostri intentione, atque proposito,  
 „quod ipse in promovendo Divini Cultus zelo, sacro-  
 „rumque religiosorum Ordinum per memoratum Re-  
 „gnum nostrum Hungariae augmento, signanter vero  
 „Sacri Camaldulensium Ordinis, et instituti ad prae-  
 „fatum Episcopatum suum Nitriensem, montemque  
 „arci, et Civitati Nitriensi adjacentem, vulgo Zëbor  
 „nuncupatum, alias SS. Eremitarum Andreae Zoë-  
 „rardi, et Benedicti incolatu memorabilem, indu-  
 „ctione, ibidemque fienda accomodatione, sequi, tali-  
 „terque suppressam quodammodo et obsoletam priscis  
 „caeteroquin temporibus celebrem ibidem loci prae-  
 „libatorum Sanctorum memoriam, ab oblivione hu-  
 „mana vindicare, pristinoque suo Cultui, venera-  
 „tioni, et reminiscentiae ceu postliminio restituere,  
 „et redintegrare institerit, Clementer moti, ac pie-  
 „tate quoque in Deum, uti et peculiari nostro Cae-  
 „sareo et Regio, quo erga praerecensitum Sacrum Ca-  
 „maldulensium Ordinem veluti de Ecclesia Dei bene  
 „meritum, ac Sanctitatis laude, et encomio ubique  
 „commendatissimum, cujus suffragiis, et devotis pre-  
 „cibus in prosperitate armorum nostrorum, secundo-  
 „que victoriarum, et accumulatorum adversus natura-  
 „les Christiani nominis hostes, triumphorum suc-  
 „cessu, Imperiique, et regiminis nostri dilatatione

„juvari quoque nos credimus, ducimur affectu, pa-  
 „terne inclinati, hoc, et id de Regii et Apostolici  
 „nostri muneris exigentia, et autoritate, praefato  
 „Blasio Jáklin Episcopo Nitriensi annuendum, et  
 „concedendum esse duximus, quatenus idem prae-  
 „nuncupatum Sacrum Camaldulensium Ordinem in  
 „memoratum Regnum nostrum Hungariae, antela-  
 „tumque Episcopatum suum Nitriensem, et conse-  
 „quenter locum, seu montem supraspecificatum rite  
 „introducere, ibidemque necessariam, et conveni-  
 „entem eidem Ordini Residentiam constituere, ac ut  
 „destinandis eorsum Religiosis personis necessaria  
 „vivendi, et subsistendi media suppetant, Abbatiam  
 „quoque Pilisiensem, alias per annotatum Blasium  
 „Jáklin ex benigna Collatione nostra Regia hactenus  
 „possessam, simul cum omnibus Bonis illius tempo-  
 „ralibus, oppidis nimirum, et Pagis, Villis, Posses-  
 „sionibus Praediis, Sylvis, agris, pratis, proventi-  
 „bus, obventionibus, emolumentis, Juribusque qui-  
 „buslibet possessionariis, et pertinentiis, quocunque  
 „nomine vocitatis, ubivis in antelato Regno nostro, et  
 „Partibus eidem subjectis existentibus, et habitis,  
 „ad eandem Abbatiam de Jure, et ab antiquo spe-  
 „ctantibus, et pertinere debentibus, hac expressa sub  
 „conditione, et cautela eorsum applicare valeat; ut  
 „nimirum praeattacti Patres Camaldulenses montem  
 „praedecelatum, et Eremum incolentes, antelatam  
 „Abbatiam tamdiu tenere, et possidere, fructusque  
 „et emolumenta ejusdem percipere possint, donec  
 „videlicet per nos, vel saepefatum Episcopum Ni-  
 „triensem Blasium Jáklin, aut Successorem ejusdem,

„sive alium quemlibet Benefactorem de constanti,  
 „sufficientique fundatione in Bonis, seu Juribus pos-  
 „sessionariis, sive censu alicujus Capitalis summae,  
 „unde duodecim Personarum religiosarum cum familia,  
 „necessaria, comoda, et sufficiens Intertentio juxta  
 „ejusdem Ordinis institutum haberi, et de tempore in  
 „tempus infallibiliter suppeditari queat, provisum, or-  
 „dinatumque fuerit; quo in casu dicta Abbatia Pilisi-  
 „ensis rursus ac denuo ad liberam Collationem no-  
 „stram Regiam redire, liberaeque Dispositioni, et  
 „Jurisdictioni nostrae Regiae identidem subesse, et  
 „subjacere debeat. Imo annuimus, applicamus, da-  
 „musque, et concedimus, harum nostrarum, secreto  
 „sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur, in-  
 „pendenti communitarum vigore, et testimonio litte-  
 „rarum mediante. „Datum in Civitate nostra Vienna  
 „Austriae Die 5ta Mensis Sept. Anno Domini Mille-  
 „simo sexcentesimo nonagesimo primo.“

Postquam Metropolitanae Strigoniensis, et Prima-  
 tis Georgii Széchényi ddo 18va Dec. 1691 assensus  
 quoque accessisset, necessaria aedificia strui coepe-  
 runt, illisque consummatis anno 1695 PP. Camaldu-  
 lenses introducti fuerunt, et pro illis per B. Nicola-  
 um Jáklin coram Capitulo Nitriensi fassio celebrata,  
 per Leopoldi hasce Privilegiales confirmata:

„Nos Leopoldus Dei gratia electus Romanorum  
 „Imp. etc. — Memoriae commendamus tenore prae-  
 „sentium significantes quibus expedit, „universis :  
 „quod pro parte Religiosorum Patrum FF. Eremita-  
 „rum montis coronae, Ordinis, seu Instituti Camal-  
 „dulensium eremi Zobriensis prope Nitriam in Co-

„mitatu ejusdem nominis existentis, medio Religiosi  
 „Patris F. Joannis Felicis eremitae Camaldulensis,  
 „praefati eremi Zobriensis primi superioris exhibitae  
 „sunt nobis et praesentatae certae quaedam litterae  
 „fidelium nostrorum honorabilium Capituli Ecclesiae  
 „Nittriensis fassionales in simplici papyro, et uno  
 „arcu, seu ternione constantes, latino idiomate con-  
 „scriptae, praefatique Capituli authentico sigillo ab  
 „extra in superiore earundem margine impressivae  
 „communitae, nec non ad fassionem fidelis nostri  
 „Magnifici Nicolai Jáklin Liberi Baronis in Elefant,  
 „feria secunda proxima post Dominicam primam  
 „Adventus Domini anno ejusdem Millesimo sexcente-  
 „simo nonagesimo quinto proxime praeterito emana-  
 „tae, quibus mediantibus idem Nicolaus Jáklin so-  
 „litis oneribus, et gravaminibus, legalisque Evictio-  
 „nis cautela in se assumtis, et levatis, nomine quo-  
 „que Conthoralis suae Generosae, ac Magnificae Do-  
 „minae Judithae Gellérth sexcentos florenos Rhenen-  
 „ses in rationem ratae medietatis foundationis prae-  
 „fati Eremi Zobriensis se respiciens, cedere deben-  
 „tis, durante vita sua, et praefatae Conthoralis suae  
 „memoratis Patribus FF. Eremitis Camaldulensibus  
 „dictae Eremi Zobriensis annuatim numerare, et  
 „praestare velle se obligasse, et appromississe, ac  
 „nihilominus, ut de praespecificatis sexcentis florenis  
 „praevia modalitate annuatim pendendis, etiam post  
 „fata antelati Baronis Nicolai Jáklin, et praefatae  
 „Consortis suae, iidem Patres FF. Eremitae Camal-  
 „dulenses praefati eremi Zobriensis securi esse vale-  
 „ant, mox et de facto Bona sua Elefantensia cum

**Castello ibidem exstructo, ita et Alsó-Eleffantensia cum**  
**„cunctis eorundem appertinentiis, et utilitatibus**  
**„quibuslibet in et pro summa florenorum decem mil-**  
**„lium eisdem Patribus FF. Camaldulensibus Zobri-**  
**„ensibus, certis ex respectibus, rationabilibusque de**  
**„causis, et motivis, modis, formis, et Conditioni-**  
**„bus in iisdem litteris Capitularibus fassionalibus lim-**  
**„pidius expressis, et denotatis obligasse, et inscri-**  
**„psisse dignoscebatur, tenoris infrascripti. Suppli-**  
**„catum itaque existit Majestati nostrae pro parte**  
**„praefatorum Religiosorum Patrum FF. Eremitarum**  
**„Camaldulensium montis Coronae antelati eremi Zo-**  
**„briensis medio annotati ejusdem Eremitae Prioris de-**  
**„bita cum instantia humillime, quatenus nos attactas**  
**„Litteras Capitulares fassionales, omniaque et singula**  
**„in eisdem contenta, ratas, gratas et accepta habeu-**  
**„tes, Litterisque nostris de verbo ad verbum inseri,**  
**„et inscribi facientes, Regia autoritate nostra con-**  
**„firmare, approbare, roborare, et ratificare, ejus-**  
**„modique obligationi, appromissioni, et inscriptioni**  
**„praefati Baronis Nicolai Jáklin modo praevio factis,**  
**„nostrum Regium consensum pariter, et assensum**  
**„praebere dignaremur: quarum quidem litterarum**  
**„Fassionalium Tenor talis est: Nos Capitulum Ec-**  
**„clesiae Nitriensis damus pro memoria, quod Spe-**  
**„ctabilis ac Magnus Dominus Nicolaus Jáklin Li-**  
**„ber Baro in Eleffant coram nobis personaliter con-**  
**„stitutus, oneribus, et quibuslibet gravaminibus uni-**  
**„versorum Successorum, Amicorum, Proximorum,**  
**„Consangvineorum, affiniumque suorum, ac aliorum**  
**„cunctorum, quos videlicet infrascriptum tangeret,**

„et concerneret, seu tangere, et concernere posset  
 „negotium, per omnia in se assumtis, et levatis, ma-  
 „tura etiam et exacta intra se animi deliberatione  
 „præhabita, sponte et benevole, vivaque vocis elo-  
 „quio fassus sit pariter, et retulerit taliter: Qualiter  
 „nimirum idem D. Fatens animo crebrius perpedens,  
 „ac serio omnino revolvens, quot, quantave bene-  
 „ficia de manu Dei in Collatione etiam Bonorum tem-  
 „poralium, seu Jurium possessionariorum acceperit,  
 „proinde gratum se cupiens vicissim exhibere, pro  
 „promovendo Divini Numinis cultu se etiam annua-  
 „tim sexcentos florenos Rhenenses Patribus FF. Ca-  
 „maldulensibus Eremitæ Zobriensis prope hanc Civita-  
 „tem Nitriensem in Comitatuque nominis ejusdem si-  
 „tuatae, in rationem ratae medietatis Foundationis  
 „ejusdem eremii se respicientis cedere debentes du-  
 „rante vita sua, et Conthoralis suae Generosae ac  
 „Magnificae Dominae Judithae Gellérth, numerare, et  
 „praestare velle, atque teneri obligasset, et appro-  
 „misisset, quemadmodum se ad id obligat, et ap-  
 „promittit nomine etiam attactae Conthoralis suae.  
 „Ut autem de praescriptis sexcentis florenis modali-  
 „tate praevia annuatim pendendis etiam post fata  
 „antelati Domini fatentis et praescitae Consortis suae  
 „iidem Patres, et Fratres securi valeant esse, mox  
 „et de facto Bona sua Felső-Eleffantensia cum Ca-  
 „stello ibidem exstructo, et habito, ita et Alsó-Elef-  
 „fantensia cum cunctis eorumdem appertinentiis et  
 „utilitatibus quibuslibet, eisdem Patribus, et Fra-  
 „tribus Camaldulensibus Zobriensibus obligat, et in-  
 „scribit in summa flor. decem millium, ut ex eorum

„annuo Interesse memoratos sexcentos florenos con-  
 „tinuo habere possint: hoc tamen per expressum de-  
 „clarato, ut casu quo praelibatum Dominum faten-  
 „tem prius, quam praedecaratam Consortem suam  
 „Dominam Juditham Gellérth e vivis decedere con-  
 „tingeret, tali in casu, dum et quandocunque eadem  
 „Domina Juditha Gellérth dictam decem millium flo-  
 „renorum summam eidem Conventui, seu Claustro  
 „Zobriensi Patrum FF. Camaldulensium pro Capitali  
 „ratae suae mediae Portionis, et foundationis, ipsum  
 „D. fatentem respicientis deposuerit, sine ullo Juris  
 „strepitu, tergiversationeque absque omni, praedi-  
 „ctus Conventus eandem summam levare, dictaque  
 „Bona, et Castellum remittere debeat, et teneatur  
 „ipso facto, harum nostrarum vigore, et testimonio  
 „litterarum mediante. Datum feria secunda proxima  
 „post Dominicam primam Adventus Domini; Anno  
 „ejusdem Millesimo sexcentesimo, nonagesimo quin-  
 „to. — Nos itaque humillima hujusmodi supplicatione  
 „pro parte memoratorum Patrum FF. Camaldulen-  
 „sium Eremitae Zobriensis nostrae modo, quo supra,  
 „porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita, cle-  
 „menter et admissa, praescriptas litteras Capitulares  
 „fessionales praefati Baronis Nicolai Jáklin, non  
 „abrasas, non cancellatas, neque iur aliqua sui parte  
 „suspectas, sed omni prorsus vitio, et suspicione  
 „carentes praesentibus litteris nostris de verbo ad  
 „verbum sine diminutione, et augmento aliquo in-  
 „sertas, et inscriptas, quoad omnes earundem con-  
 „tinentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus  
 „eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribus-

„que earundem veritas suffragatur, ratas, gratas,  
 „et accepta habentes, praemissis obligationi, appro-  
 „missioni, et inscriptioni praerecensiti Baronis Nico-  
 „lai Jáklin nomine etiam antelatae Conthoralis ejus-  
 „dem Judithae Gellérth factis, aliisque omnibus et  
 „singulis superius in tenore praecinsertarum littera-  
 „rum fassionum uberius contentis, et expressis no-  
 „strum Regium consensum benevolum pariter prae-  
 „buerimus et assensum: imo praebemus, et easdem  
 „Regia nostra autoritate et Potestatis plenitudine  
 „confirmamus, ratificamus, approbamus, salvo Jure  
 „alieno. Harum nostrarum, quibus sigillum nostrum  
 „secretum, quo videlicet ut Rex Hungariae utimur,  
 „appensum est, vigore et testimonio litterarum. Da-  
 „tum in Civitate nostra Vienna Austriae Die 1ma  
 „mensis Julii anno Domini Millesimo sexcentesimo  
 „nonagesimo sexto.“

Zobriensis haec Camaldulensium Eremus usque annum 1782 perstitit. Hoc anno Augustus Imp. Josephus II. intra Provincias Regnorum suorum Ordinem hunc religiosum suppressit, et abolevit. Sublationis, seu suppressionis Decretum PP. et FF. Zobriensibus in unum congregatis in monte Zobor per Commissarios Regios Die 9na April. 1782 publicatum fuit, Pensione annua Patribus addicta; Bonis vero, et omni supellectile pro Fundo Religionis occupatis. Ecclesia elegans novissimis annis vendita et diruta est. Caetera aedificia triste rudus exhibent. — Episcopus Blasius Jáklin eodem anno, quo supra descriptae Confirmationales datae sunt, anno videlicet 1696 ad aeternitatem translatus est.

## §. 59.

**LVII. Ladislaus II. Mattyasovszky**, nobilis fortunae, et originis, sed sapientia, Zeli ardore, Jurisprudencia, proque amplianda numinis gloria profusa liberalitate longe nobilissimus. Primum Canonicus Strigoniensis; dein Praepositus Scepusiensis, et Episcopus Tinniniensis: postea Episcopus Nitriensis 21ma Junii 1696 nominatus, simul Regni Cancellarius; occurrit jam in Diplomate, quo Stephanus Bodonyi numero Nobilium adscribitur, de 19na Julii 1696, dato *per manus fidelis Ladislai Mattyasovszky Episcopi Nitriensis; locique et Comitatus ejusdem supremi ac perpetui Comitum, Consiliarum, et aulae nostrae Cancellarium*. Pluribus deinceps usque annum 1705 Diplomatum eodem modo subscriptus. Multa Praesulis hujus liberalitatis, tum intra, tum extra Dioecesim suam exstant monumenta. Nitriae an. 1702. Clericos regulares, a Scholis piis vocatos fundavit, per has, a Leopoldo Imp. confirmatas, Litteras fundationales:

„Nos Leopoldus Dei gratia electus Rom. Imp.  
 „etc. memoriae commendamus, tenore praesentium  
 „significantes, quibus expedit, universis. Quod fi-  
 „delis noster nobis dilectus Reverendus Ladislaus  
 „Mattyasovszky Episcopus Nitriensis, Locique, et Co-  
 „mitatus ejusdem nominis supremus, ac perpetuus  
 „Comes, Consiliarius, et per praefatum nostrum Re-  
 „gnum Hungariae Aulae Cancellarius noster, suo et  
 „religiosorum Sacri Ordinis Patrum servorum Beatae  
 „Mariae Virginis, Scholarum piarum, in inferiore

„Civitate Nitriensi, Comitatu ejusdem nominis exi-  
 „stente, per dictum Cancellarium nostrum pie funda-  
 „torum nominibus, et in personis, exhibuit Maje-  
 „stati nostrae certas Litteras fundationales, propria  
 „sua Syngrapha, et sigillo communitas, et post ac-  
 „ceptionem infrascriptorum punctorum, ac obliga-  
 „tionum, per praefatum Sacrum Ordinem authentice  
 „factam, in ordinem, et stylum redactas, quibus  
 „mediantibus memoratus Episcopus et Cancellarius  
 „noster praedictum Sacrum Ordinem in dicta infe-  
 „riore Civitate sua depositis et exsolutis pro integra  
 „fundatione ejusdem, Collegiique ac Templi erectio-  
 „ne viginti quatuor millibus florenorum Rhenen. fun-  
 „dasse, et introduxisse, ac ad Juventutem in scien-  
 „tiis, Litteris, Virtutibusque, ac bonis moribus in-  
 „struendam, et erudiendam, piasque Preces, et Sa-  
 „crificia pro Fundatore persolvenda obligasse, et ob-  
 „strinxisse; idem vero S. Ordo de praeattacta vi-  
 „ginti quatuor millium florenorum summa plenarie  
 „jam contentatus, universis conditionibus, et obli-  
 „gationibus in iisdem litteris fundationalibus uberius  
 „expressis, sponte, et benevole acceptatis, ad ob-  
 „servationem, et effectuationem earundem Religio-  
 „sos suos in eodem Collegio commoratueros in perpe-  
 „tuum obligatos reddidisse dignosceretur, Tenoris  
 „infrascripti: supplicando Majestati nostrae debita  
 „cum instantia humillime, quatenus nos praeattactas  
 „litteras fundationales, modo praevio emanatas, o-  
 „mniaque, et singula in iisdem contenta, ratas, gra-  
 „tas, et acceptas habentes, Litterisque nostris inseri,  
 „et transcribi facientes, approbare, ratificare, ac

„Pro memorato Sacro Ordine servorum B. M. V. Scho-  
 „larum piarum in perpetuum valituras, autoritate  
 „nostra Apostolico-Regia clementer confirmare di-  
 „gnaremur, quarum Litterarum Tenor sequitur in  
 „hunc modum: — Nos Ladislaus Mattyasovszky Epi-  
 „scopus Nitriensis, locique et Comitatus ejusdem  
 „supremus, ac perpetuus Comes, S. C. Regiaeque  
 „Majestatis Consiliarius, ac per Hungariam aulae  
 „Cancellarius etc. Memoriae commendamus signifi-  
 „cantes quibus expedit universis. Quod nos plurima  
 „a Deo accepta beneficia, pia semper et grata memo-  
 „ria recolentes, animumque nostrum in id intendentes,  
 „ut ea quae Divinitus gratis accepimus, devota mente  
 „fructuose, et utiliter ac salubriter dispensare valea-  
 „mus; cum nihil antiquius habeamus, quam ut ad  
 „laudem, et gloriam Dei omnipotentis, ejusque sine  
 „labe conceptae Matris Virginis, totiusque Curiae  
 „Caelestis honorem, augmentumque et propagatio-  
 „nem S. Matris Ecclesiae, et bonum proximi promo-  
 „vere possimus. Hinc nos quoque Divina benignitate  
 „Episcopatus et Dioecesi Nitriensi in spiritualibus si-  
 „mul et temporalibus praefecti et praesidentes, post  
 „propulsatam gloriosis et victoriosis Caesareo-Regiis  
 „armis ex eadem Dioecesi nostra Ottomanicam perfi-  
 „diam, et a Jugo Turcico plene eliberatam, volen-  
 „tes de salutari et opportuno remedio, quo haere-  
 „sum etiam, et sectariorum impietas, quae hactenus  
 „multis in locis invaluerat, sensim eliminari, ac ve-  
 „rae orthodoxae fidei claritas reduci, corruptique  
 „longiori cum impiis conversatione mores in melius  
 „converti valeant, paterne providere; proximius ad

„hanc intentionem nostram medium haud adesse exi-  
 „stimabamus, quam ut tales ad id opus viros accer-  
 „seremus, qui compositis ad Christianam perfectio-  
 „nem moribus, et exemplis populo praeesent, ac  
 „simul teneriores adolescentiae mentes litteris, et  
 „scientiis imbuerent, et conformibus ad veritatem  
 „evangelicam Doctrinis, eosdem viam Caeli edoce-  
 „rent. Et licet complures in apostolico hoc Regno  
 „hungariae reperirentur Scholae, Academiaeque, et  
 „Gymnasia; quia tamen tum ob eorundem longiorem  
 „distantiam, sed vel maxime attenuatas diuturno  
 „bello miserorum incolarum facultates, et liberorum  
 „suorum in Academiis et Gymnasiis longius distanti-  
 „bus intertentionis mediorum defectum, capacissimi  
 „ingenii subjecta delitescere, talentaque sua Divini-  
 „tus obtenta, defodere coguntur, fructificareque ne-  
 „queunt: ac proinde tum ex eo, tum vero pro no-  
 „stra in Deum pietate, ac ad majorem cultus Divini  
 „propagationem, atque boni publici conservationem,  
 „et augmentum, proximorumque animarum salutem,  
 „pro peculiari nostro quo erga religiosum RR. PP.  
 „servorum B. M. V. piarum scholarum sic nominato-  
 „rum Ordinem, veluti de Ecclesia Dei, et Religione  
 „Catholica, praesertim in instruenda Juventute, be-  
 „ne meritum, et summe commendatum, ducimur  
 „affectu, motu, animoque bene deliberato, ac ma-  
 „turo Consilio eundem S. Ordinem (quo liberius,  
 „suoque Instituto conformius Pietatis in Deum, et  
 „proximos, ministeria exercere valeant) in inferio-  
 „rem Civitatem nostram Nitriensem, Comitatuque  
 „ejusdem nominis existentem, non solum admitten-

„dum esse censuimus, imo pro perpetua Collegii ac  
 „Templi sub titulo, ac patrocinio S. Ladislai R. Hun-  
 „gariae pro ipsis aedificandi, et exstruendi funda-  
 „tione, juxta postulatum ipsiusmet S. Ordinis viginti  
 „quatuor millium florenorum summam exsolvendam  
 „deputavimus; his per expressum sub Conditionibus;  
 „et quidem

„Primo: Ut ultra praeattactam summam pecunia-  
 „riam, jam in toto exsolutam, ad alia praestanda,  
 „praeter assistentiam in casu impetitionis ejusdem S.  
 „Ordinis exhibendam, nullatenus obligemur.

„Secundo: Haec praefati S. Ordinis in eandem  
 „Civitatem nostram admissio nobis et Successoribus  
 „nostris, ac etiam Capitulo nostro, prout et Loci Pa-  
 „rocho, Ludimagistro, PP. Franciscanis, et Civibus  
 „nostris, signanter vero respectu Decimarum, Ma-  
 „cellorum, Educillorum, Mendicationum, Functio-  
 „num Parochialium, et his similium nullatenus prae-  
 „judicet. Hinc

„Tertio: Eidem S. Ordini nonnisi usque dum  
 „templum sibi erigere poterit, concedetur in templo  
 „Parochiali interea Diebus Dominicis et festis hora  
 „decima matutina post consuetum Sacrum Parochi, et  
 „Concionem, pro studiosa Juventute, quam habituri  
 „sunt, Missam in propriis eorundem apparamentis  
 „et ad luminaria aequae propria celebrare: Diebus  
 „autem ferialibus in Domo eorundem propria, pro  
 „comoditate, sua Sacra peragere, Confessiones stu-  
 „diosorum exaudire, ac sub iisdem Divinis Sacram  
 „Synaxim iisdem dumtaxat studiosis, et non aliis

„(nisi in Templo, aut necessitate infirmorum, ac  
 „foeminarum praegnantium ita exigente) admini-  
 „strare liberum est. Postquam autem

„Quarto: Templum idem Ordo erexerit, statu-  
 „entur certae horae, quibus conciones, et cantata  
 „Sacra in eodem sine impedimento Sacrorum et Con-  
 „cionum in Cathedrali, Parochiali, et PP. Francisca-  
 „norum Templis peragi hactenus solitorum, per RR.  
 „Patres praefati Ordinis Scholarum piarum comode  
 „absolvi possint. E converso

„Quinto: Juxta Institutum ejusdem S. Religio-  
 „nis, piisque ac praecipuum intentum nostrum,  
 „idem S. Ordo Scholas erigere, et continuare, ac  
 „per Religiosos suos Juventutum tam Nitriensem,  
 „quam externam, et adventitiam ad Scholas recipere,  
 „ac a parvulis duntaxat majoribus (et non infra, ad  
 „praecavendum Ludimagistri praepudicium, nisi in  
 „casu extraordinario, respectu status et conditionis  
 „eximiarum, et nobilium Personarum, super quo  
 „per expressum dispensatur) incipiendo, usque ad  
 „Rhetoricam inclusive in litteris et scriptura, ac aliis  
 „scientiis, utpote Arithmetica, cantu, et si neces-  
 „sitas postulaverit etiam casibus conscientiae ac po-  
 „tissimum in virtutibus, ac bonis moribus instruere,  
 „et erudire obligabuntur. Sed et

„Sexto: Ad augendum Cultum Divinum iidem  
 „Religiosi (salvis tamen eorundem privilegiis) ad  
 „publicas Processiones, et quidem SS. Corporis Chri-  
 „sti, S. Marci, Rogationum, et gloriosissimae in  
 „Caelos assumptae Reginae, et Patronae Virginis Ma-

„riae, Studiosos suos una cum magistris (praecedente  
„Schola Parochiali) aggregabunt. Ac etiam

„Septimo: Ex eadem Juventute Scholastica seli-  
„gent aliquot idoneos Juvenes, qui solemnioribus fe-  
„stivitatibus in Templo Cathedrali ad requisitionem  
„V. Capituli nostri, et Custodis ejusdem, pro acoly-  
„this, Thuriferario, et naviculario in vestibus Cle-  
„ricalibus, et superpelliceis per Ecclesiam Cathedra-  
„lem subministrandis, ac etiam facigeris adhiberi  
„possint. Et tandem

„Octavo: Desideratur sub obligatione a RR. Pa-  
„tribus in hoc neo-erigando Collegio commoraturis,  
„ut praeter consuetas pro fundatore orationes, etiam  
„unum Sacrum qualibet hebdomada feria sexta, (nisi  
„solemne festum impediatur) de Passione Christi Do-  
„mini, cum collecta de remissione peccatorum: *Ex-*  
„„audi *quaesumus* etc. pro nobis, velut Fundatore suo  
„celebretur in perpetuum.

„His itaque Conditionibus per eundem S. Ordi-  
„nem sponte et benevole acceptatis, et ad observa-  
„tionem et effectuationem earundem eodem S. Ordine  
„semet obstringente et obligante: Nos quoque prae-  
„attactam viginti quatuor millium florenorum sum-  
„mam ex integro jam enumerari, et exsolvi fecimus,  
„et hanc piam Functionem ad majorem Dei O. M. glo-  
„riam, immaculatae et intemeratae Mariae Virginis,  
„S. Ladislai Regis Hungariae, totiusque triumphan-  
„tis Ecclesiae honorem, militantis vero augmentum  
„et propagationem effectui mancipare cupimus, ac  
„per Suam Majestatem SSam, qua Regem Hungariae

„Apostolicum suprema ejusdem auctoritate confir-  
 „mari procurabimus: Nostros etiam Successores ob-  
 „secrantes, et quantum possumus, obligantes, qua-  
 „tenus eandem Fundationem nostram per se, suos-  
 „que in perpetuum firmam, stabilem, ac inviolatam  
 „servent, tueantur, ac defendant. In cujus rei me-  
 „moriā, firmitatemque perpetuam praesentes Chi-  
 „rographo, et sigillo nostro munitas praelibato S. Or-  
 „dini Piarum Scholarum extradandas duximus, et  
 „concedendas. Datum Viennae Austriae Die 29na  
 „mensis Junii Anno Domini 1702, Ladislaus Mattya-  
 „sovszky Epis. Nitr. — Nos itaque humillima me-  
 „morati Episcopi, et Cancellarii nostri suo, et prae-  
 „fati S. Ordinis nomine, nostrae modo, quo supra,  
 „facta Majestati supplicatione, Regia benignitate Cle-  
 „menter exaudita, et admissa, pro eo etiam, quo  
 „erga religiosos quosvis Ordines ducimur zelo, ac  
 „pietate, propensioneque, praeinsertas Litteras fun-  
 „dationales non abrasas, non cancellatas, neque in  
 „aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio,  
 „ac suspitione carentes, praesentibus litteris nostris  
 „de verbo ad verbum sine diminutione, et augmento  
 „aliquali insertas, et inscriptas, quoad omnes earum-  
 „dem continentias, clausulas, et articulos, ratas,  
 „gratas, et acceptas habentes Apostolico-Regia au-  
 „ctoritate nostra, omni meliori modo approbamus,  
 „ratificamus, ac pro toties fato S. Ordine servorum  
 „B. M. V. Scholarum piarum valituras clementer con-  
 „firmamus, inviolabiliterque observandas committi-  
 „mus: harum nostrarum secreto sigillo nostro majiori  
 „in pendentem, quo ut Rex Hungariae utimur, vigore

„et testimonio litterarum mediante. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae Die 10ma mensis Dec. Anno Domini 1702.“

Huic fundationi pro Collegio, adjecit per Codicillum anni 1705 aliam pro Seminario, seu Convictu nobilium Adolescentum sub cura eorundem Patrum educandorum hac facta Dispositione:

„Primo: Si quidem compererim in nonnullis Comitatus Hungariae, signanter Liptoviensi, Trenchiniensi, Thurocziensi, Scepusiensi, et Arvensi numerosam Juventutem nobilitarem haeresi infectam reperiri, et potissimum hac de causa, quod post Scholas triviales, ex defectu mediorem studia sua continuare non valeant; et huic indigentiae pro modulo meo ut succurram, Juventusque ejusmodi haeretica ad Scholas Catholicas invitetur, relinquo pro uno Seminario sub cura PP. piarum Scholarum Nitriae erigendo aureos sex mille pro intertentione similium nobilium Juvenum egentium ad minus triginta intertentionum, et erectione Seminarii humilis et non superbi aedificii. Qui quidem Juvenes, si usque ad Syntaxim, vti Grammaticam convertentur, similes Rhetoricam etiam in eodem Seminario absolvere poterunt (si tamen Virtuosi, et bene studentes fuerint) si autem spes modica in iis convertendis affulserit, vel etiam discolori, et minus virtuosae fuerint, neque usque ad Syntaxim permittantur in Seminario. Onero autem Conscientias PP. Scholarum piarum, ne proventus hujus Fundationis praeter intertentionem dictorum Juvenum alio

„convertant, etiam sub obligatione dandarum Ratio-  
 „num Episcopo aut Capitulo Nitriensi. Manebit au-  
 „tem pro Regente Seminarii unus Pater, et alter Ma-  
 „gister ex Sacra Religione, si Seminarium ad perfe-  
 „ctionem deveniat, vel etiam alia necessitas ita po-  
 „stulaverit.“

Collegium hoc cum Gymnasio Nitriae hodiedum  
 floret, Patresque Ordinis Institutione sedula Juven-  
 tutis in litteris, et moribus occupantur. Sed Semina-  
 rium Adolescentum, sive convictus, ut vocari sole-  
 bat, Decreto Augusti Imperatoris Josephi II. sublatus  
 est, et Fundatio in Stipendia Studiosorum conversa,  
 pro qua Suae Caesareo - Regiae Majestati Adolescen-  
 tes via Consilii L. R. proponendi, sive candidandi  
 Jus Episcopis Nitrien. competit.

Memor etiam necessitatum Dioecesis suae in Te-  
 stamento, quod 4ta Novemb. 1704 condidit, Ni-  
 triae Seminarium pro octo Clericis erigendum  
 disposuit §o 4to:

„Tametsi Dioecesis mea Nitriensis quoad Paro-  
 „chos ex foundationibus Joannis condam Telogy, et  
 „alterius Joannis Gubasséczy Praedecessorum meorum  
 „Episcoporum Nitriensium sat comode provisum habe-  
 „retur: quia tamen ipsa Ecclesia Cathedralis in eo  
 „minus provisum dignosceretur, quod pro assistentia  
 „Divinorum obsecutorum in solemnibus etiam Festi-  
 „vitatibus praeter ipsos Canonicos, et duos Capella-  
 „nos, nullum ex minoribus Clericis pro acolythis,  
 „thuriferis haberet, ut huic etiam indigentiae suc-  
 „curratur, et Cultui Divino prospiciatur, pro eri-

„gendo eum in finem Seminario Clericorum in superiore Civitate Nitriensi, lego summam quinque millium Imperialium, in specie in medietate Possessionis Krajnya sic dicta, inque Comitatu Nitriensi adjacentem, ac in Niva Csazkoczensi, ac certis Pratis, ibidem fl. 1650 haerentes, ac insuper decem millia florenorum apud Comitem Petrum Zichy existentium ea conditione, ut Ven. Capitulum Nitriense curam ejusdem Seminarii in se assummat, quotannis in Praefectum e commembris suis eligendo, Clericos adminus octo, si non plures, bonae indolis, et singularium talentorum ex Syntaxi, Poësi, et Rhetorica interteneat. Aggravo autem Capituli Conscientiam, si ex aliquo favore, et respectu inhabiles, immorigeros, et minus qualificados Juvenes pro eodem Seminario elegerit, inhabilibus siquidem prout Tyrnaviae, ita et Viennaë ad Collegia praecluderetur aitus.“

Fecit insuper complures alias fundationes pro pauperibus Parochis, proque illis, qui in cura animarum lassati deficiunt; pro Ministris ad Orthodoxae fidei gremium redeuntibus; pro pauperibus in Xenodochiis Nitriae, et in Mocsonok; pro Ecclesiis in Bonis Episcopatus, turbulento hoc motuum Rákóczyanorum tempore ruinatis; Ecclesiae suae sacram suppellectilem auxit. Capitulorum, quorum aliquando Commembrum, aut Praelatus fuit, haud oblitus, Metropolitano Strigoniensi praeter Pedom, seu Baculum Pastoralem, Legatum liberale pro Missa votiva; ita etiam Capitulo Posopiensi, Scepusiensi, et Nitriensi Capitales summas pro votivis Missis reliquit. Pa-

tribus Societatis Jesu Szegedini, aut alibi domicilium exstruendum disposuit, et Eremitas Camaldulenses in Scepusio fundavit, quibus Claustum Lechnicz olim Cartusianorum, quod e manibus saecularibus triginta millibus florenorum redemit, cum omnibus Bonis donavit.

Intra Dioecesim Nitriensem, dum huic Episcopus Ladislaus praefuit, ad oppidum Illava inducti sunt Patres Trinitarii de Redemptione Captivorum. Fundator illorum fuit Archi-Episcopus Strigoniensis, et Primas Regni Georgius Szécsény anno 1696, qui illis pro Intertentionali subsistentia contulit summam octvagiñta millium florenorum, Fisco Regio pro Bonis Illaviensibus solutam, et his inhaerentem. Postquam Familia Comitum Breüner Bona haec ab Imp. Leopoldo impetrasset, et se statui fecisset, ab inhaerente Capitali summa annum Interesse Religiosis his solvere, aut Capitale deponere obligabatur. Haec potiozem partem arcis Illaviensis cum horto Patribus hujus Ordinis Jure perpetuo assignavit, in formam Claustrum redactam, in quo hi Patres Deo juxta Ordinis sui Disciplinam, et animabus servivere usque annum 1783, quo per Augustum Imp. Josephum II. ordo iste in Caesareo-Regiis Ditionibus penitus abolitus fuit. Ecclesia vero Conventualis in vicem antiquae ruinosae Parochialis Ecclesiae pro Parochiali assignata, in hunc Usus actu etiam servit.

Praeterea sub eodem Antistite Princeps Paulus Eszterházy Solnam in Comitatu Trenchiniensi religiosos Patres Ordinis S. Francisci Strictioris observantiae Provinciae SS. Salvato-

**r**is an. 1704 induxit; qui hodieum non modo utilissimam subsidiariam in cura animarum praestant operam; sed etiam in Gymnasio majori Juventutem in litteris, virtutibusque instituunt et educant.

Inter haec, quae zeloso Pastori non modicam attulerunt Consolationem, adhuc ante suum ex hac vita Decessum Episcopus Ladislaus, experiri debuit Direptionem Bonorum suorum, de qua in Testamento suo queritur, et arcis suae Nitriensis per rebelles Rákóczyanos oppugnationem, quam praesidarii sive fame pressi, siue novarum rerum cupidi anno 1704. 24ta Aug. Berchényio tradiderunt; ad quam Franciscus Rákóczy post acceptam ad Pudmericz cladem se contulit; unde Conventum suorum Széchénium indixit, datis ad eos in arce Nitriensi 19na Aug. 1705. litteris; quae nonnisi post illatam Rákóczyo ad Trenchinium per Heisterum cladem, anno 1708, expugnata, et recepta fuit. De quo in historia Imp. Josephi ita scribitur: „Equitatu ad Szeredinum in nova certamina refecto, Nitriam, Comitatum Hungariae maximum, lapso anno a Starhembergio nequicquam tentatam, adjecit animum victor Heisterus, Posonium idcirco profectus, ut Danorum, qui tandem advenerant, copias exciperet, machinas, ac machinatores coram urgeret, frumenta denique, ne in diem vivendum esset, ac vehicula expediret; nihil alienis curis, toties fallacibus, permetteret. Hoc paratu, altero, quam Nitriam pervenerat, die (25. Aug.) contortis in augustam alioqui, et situ quam opere fortiolem arcem, 300 ignivomis pilis, deditionem obtinet: Cohortem cum 300 equitibus praesidio im-

ponit; equitibus 200 amplam regionem perequitare jussis.“ Sed hanc arcis suae stragem Mattyasovszky Episcopus non amplius supervixit. Anno 1705 Die 10 Maji meritis dives Viennae mortuus, ibidemque sepultus,

### §. 60.

**LVIII. Ladislaus III, Adamus Comes Erdödy.** — Cl. Praj unum Erdödyum, quia duplex lustricum nomen gessit, in duos dividit. Adamum ab an. 1707 usque an. 1715. — Ladislaum vero Erdödy ab an. 1720 ad an. 1736 Ecclesiae Nitriensi praefuisse scribit; cum tamen unus idemque fuerit, Patre Christophoro C. Erdödy natus; Romae litterarum studiis, quae in Hungaria coepit, coronide imposita; Senis in Hetruria Sacerdotio initiatus. In Patriam subin redux, quum et Claritate nascendi excelleret, et praesertim Doctrinae, modestiae, comitatis, probissimaeque indolis eximia specimina ederet, Canonicorum Jaurinensium Collegio est accensus. Praepositus postea SS. Salvatoris de Papoczio renunciatus. Aliquanto post exsplendescens magis illius virtutibus ab Imp. et Rege Josepho I. an. 1706 Episcopus Nitriensis nominatus, anno subsequo 1707 Die 3tia April. Romae confirmatus, simul Regni Cancellarius. — In Episcopatu Nitriensi solidos omnino triginta annos exigens, majora gessit, quam pro dignitate in nucleo referri possint. Ecclesiam suam Cathedralem, hostili oppugnatione desolatam, substructionibus exquisitis, auro quaqua versum il-

lito, picturisque decentissimis a summo ad imum perornavit; tessellatis de marmore pavimentis constravit; Aras, et ipsos Parietes exquisito artis plasticæ artificio perpolivit, Cathedram, Thronumque Episcopalem eleganti opere construxit; sedilibus, majore organo — — providit; et subtus eam pro sepultura Episcoporum et Canonicorum Cryptam erexit. Ad latus Ecclesiae, vetere, quod per hostiles oppugnationes vastatum fuerat, submoto, Palatium pro se, successorumque residentia extulit, omnibus commoditatibus instructum. Turrim editam, ac spatiosam, stautis, pergulis, cancellisque insignem reddidit, in eaque Bibliothecam, lectis codicibus instructam, collocavit. Possessiones Episcopales amplis commoditatibus usui Successorum honestavit. Nihil non egit, ut in Clerum suae Dioecesis adlegeret Juvenes, ingenio inprimis, inculpatisque moribus praecipuos, quos, ut ad litterarum studia excitaret, crebro, et copiose liberalitatem suam testatus fuit. Praecavit autem quam diligentissime, ne qui Parochiis, animarumque Procuratori praeficerentur, qui vitae integritate, qui sufficienti eruditione, qui praesenti ad res administrandas consilio haud pollerent. Illud maximae tandem industriae, et perenni omnino famae, ac sempiternae gloriae cessit, quod videlicet per id tempus, quo ipse vigilabat Pastor super grege suo, quinquaginta et amplius millia ovium perditarum ad ovile reducta, legitimoque Christi gregi apposita, ac persanata fuerint. In Comitibus an. 1715 super Edoctione Jurium in Bonis a Turca revindicatis Commissarius constitutus art. 10; metarum Regni

circa Austriam revisor art. 39; ita etiam in Comitibus 1723 ad haec deputatus. Juribus Episcopatus sui prospecturus, Privilegia super honore, et officio Comitatus, moderationi suae crediti, a Divis Regibus inde a Carolo I. Rege concessa, a subsequis Regibus saepe confirmata, ad novas Privilegiales transcribi, et per Carolum VI. Imp. et Regem confirmari an. 1727 Die 5ta Maji procuravit. Demum Legatione ad Fridericum Augustum Saxonem Poloniae Regem, aut potius Rempublicam Polonicam functus, hemiplexia tactus, abinde redux, dimisso Cancellarii munere reliquum vitae, quod supererat, Nitriae aeger consumsit, in eo quod ipse struxerat Palatio. Anno 1736 Die 12ma Maji, postquam Ecclesiam Nitriensem annis triginta rexisset, supremum vixit. Corpus in Crypta, quam ipse construxit, depositum interea, dum quatríduanae Exequiae fuissent persolutae, ablatum 11ma Octob. ad S. Catharinam prope Szomolány Mausolaeum familiae Erdódyanae: ubi a PP. Franciscanis condecenter receptum, Tumulo majorum, ut ipse disposuerat, appositum fuit. Reliquit Ecclesiae suae Pedum, seu Baculum Pastoralem argenteum; inauratum, in curvatura labore filigrano, lapidibus bohemicis, et Icunculis exornatum cum Scuto gentilitio Comitum Ladisłai Adami Erdódy Episcopi. Obtigit etiam Ecclesiae ex Sacro ejusdem apparatu Casula ex materia argentea floribus aureis intertextis cum latis aureis fimbriis; exsutoque Insigni ejusdem Episcopi. Simile Pluviale cum quatuor Dalmaticis, et requisitis appertinentiis.

## §. 61.

**LIX. Joannes VII. Ernestus S. R. J. Comes a Harrach et Rorav anno 1737 Die 2<sup>ma</sup> Martii Episcopus Nitriensis renunciatus, a Clemente XII. P. confirmatus, Romae consecratus pridie nonas Octob. ut ipse in sua Littera Pastoralis Romae 1737 typis edita annunciavit, quam inde Nitriam ad Clerum, Populumque suae curae creditum dimiserat. Ex qua discimus, quis, quantusve fuerat Harrachius, Nitriae nuspian visus, nec antea de nomine notus. Fuerat Ille Praepositus Cathedralis Passaviensis, et Collegiatae Ecclesiae SS. Cosmae et Damiani Vetero-Boleslaviensis; Abbas B. M. V. de Pétsvárad, et S. Catharinae de Celano, Metropolitanae Salisburgensis, nec non Cathedralis Passaviensis Canonicus Capitularis, ac Sacrae Caesareae et Catholicae Majestatis rebus gerendis apud Sacram Sedem Curator. Vir singularis scientiae, discreti Judicii, magnique zeli; nihil magis habebat in votis, quam post obtentam Episcopalem Consecrationem, ut in sua pastoralis littera declarat, Roma Nitriam ad suum gregem advolare; sed negotiis in Urbe commissis detentus; Clerum suum per viscera misericordiae Dei oravit, obtestabaturque, ut Populum Disciplina Deifica erudiendo, ac ejus gressus in viam salutis dirigendo, impleat absentia Praelati vices. In Possessorium Bonorum Frater Episcopi introductus fuerat. Curam Dioecesis Vicarius per eum constitutus, Stephanus Nozdoviczky electus Episcopus Catariensis, Tabulae Septemviralis Assessor gessit. Ob luem pestiferam Nitriae anno**

1739 grassantem, Romae moratus, quantumvis absens omni auxilii genere, tum ope medica, tam aere ex Episcopalibus redditibus liberaliter resoluta succurrebat. In Seminario Adolescentum, seu Convictu Nitriensi per Episcopum Mátyasovszky fundato, pro tribus adolescentibus Nobilibus alendis, et vestiendis foundationem fecit. Dum ita Nitrienses animis in magnas spes erectis, Praesulis sui adventum anhele expectabant, Ille inter has spes ereptus est, Romae ex variolis malignis mortuus Die 17ma Decemb. an. 1639, aetatis suae anno 35. A morte illius pars substantiae e redditibus Episcopalibus collectae, Cathedrali Ecclesiae cessit.

## §. 62.

**LX. Emericus** e vetusta familia Comitum Eszterházy de Galantha. Fuit per plures annos senioris Emerici Eszterházy Patru sui, Archi-Episcopi Strigoniensis Suffraganeus, Consecratus Episcopus Doriensis, simulque Praepositus Major Strigoniensis. Id subinde indefessis in obeundo utroque munere studiis, et conatibus; id publica virtutis, prudentiae, Doctrinae existimatione promeritus, ut ipso Divi cognominis sui Die an. 1740 ab Serenissima Regina Maria Theresia Nitriensis Episcopatus Dignitatem collatam acceperit; jam an. 1741 in Comitibus praesens, in clausula Decreti nominatus. Cum sub ipsis Comitibus Bullas Pontificias receperit, has publicandas Capitulo suo submisit: Ipse vero nonnisi 19a Novemb. anni ejusdem 1741 Nitriam venit, Episco-

pale auspicatorum officium. In altero Regni Conventu an. 1751. Commissarius ad revisionem metarum versus Austriam constitutus; subsequo 1752 Archi-Episcopo Strigoniensi, et Primati Nicolao Csáky Pallium Roma missum, Tyrnaviae imposuit. In Cathedrali sua fornicem navis, ruinam minitantem anno 1753 restauravit. In Colle arcis pone Castrum Episcopale sumtuosam non minus, quam elegantem Statuam magnam B. M. V. erexit. Dein anno 1760 Pontificalem apparatus, auro exsutum Ecclesiae suae donavit. Templum in Motsonok et Zsére, Dominii sui Episcopalis locis, in Szombathely haeredio suae Familiae; in Dömöss, qua Praepositus simul S. Margarethae V. et M. erexit. Fractus aetate viribusque, anno 1762 aetatis suae tertio supra septuagesimum Coadjutorem Episcopum cum spe successionis accepit Joannem Gusztinyi Canonicum Agriensem Tabulae Regiae Judiciariae Praelatum. Non diu superstes: mox anno sequenti 1763 Die 19na Nov. vitae mortalis cursum finivit: in sua Cathedrali, cui 23 annis praefuit, honorificentissime sepultus.

### §. 63.

**LXI. Joannes VIII. Gusztinyi.** Humili loco natus anno 1712, Doctrina, virtutumque meritis ad Ecclesiasticas dignitates eluctatus. Pro Dioecesi Agriensi Clericum induit anno 1729, ubi successive Parochias Pirintsensem, Miskolczensem, Sátor-alya-Ujhelyiensem gubernavit. Anno 1745 Capitularis Canonicus Agriensis, et brevi postea Tabulae Regiae

Judiciariae Assessor, et Praelatus factus. Episcopo Eszterházyo senescenti Joannes anno 1762. 13. Maji Coadjutor datus cum spe successionis, et Episcopus Sergiopolitanus anno 1763 mense Januario consecratus. Qua Coadjutor simul Supremus Comitatus Nitriensis moderator fuit constitutus hoc Diplomate:

„Nos Maria Theresia etc. Memoriae comenda-  
 „mus tenore praesentium significantes quibus expe-  
 „dit universis: quod nos humillima fidelis nostri,  
 „nobis sincere dilecti Reverendi Spectabilis, ac Ma-  
 „gnifici Comitis Emerici Eszterházy de Galantha, E-  
 „piscopi Nitriensis, et Comitatus nominis ejusdem  
 „Supremi, ac Perpetui Comitis, Consiliarii que nostri  
 „Actualis Intimi supplicatione, nostrae propterea fa-  
 „cta Majestati, clementer permotae, ex rationibus  
 „et motivis per eundem declaratis: quod nimirum ob  
 „ingravescentem aetatem suam, antelati Comitatus  
 „supremi perpetui Comitis officio haud semper fungi  
 „debite queat, ut suum in Episcopatu Coadjutorem  
 „fidelem aequae nostrum, nobis dilectum, Reveren-  
 „dum Joannem Gusztinyi in publicis, ac juridicis per  
 „decennalem Tabulae nostrae Regiae Judiciariae Prae-  
 „laturam laudabiliter gestam, multum versatum, de-  
 „que Augusta Domo nostra, et Republica Christiana  
 „bene meritum, pro Supremo ac Perpetuo Comite  
 „praelati Comitatus Nitriensis in locum sui substi-  
 „tuere, et suo modo installare possit, ac valeat: ex  
 „peculiari gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia  
 „benigne annuimus, idemque officium seu honorem  
 „Supremi, ac Perpetui ejusdem Comitatus, per glorio-  
 „sae memoriae Praedecessores nostros, legitimos Hun-

„gariae Reges, Episcopatus Nitriensi jure perpetuo  
 „adnexum, simul cum consveta Jurisdictione, soli-  
 „tisque obventionibus, ac Emolumentis eidem Joanni  
 „Gusztinyi, eodem jure perpetuo dandum duximus,  
 „et concedendum; ita tamen, ut idem praeattacti  
 „Comitis Episcopi Coadjutor, et Successor Joannes  
 „Gusztinyi nobis Juramentum fidelitatis praestandae  
 „servare, Judiciumque, et Justitiam citra persona-  
 „rum delectum omnibus ex aequo administrare, uni-  
 „versos denique Status et Ordines praeattacti Comi-  
 „tatus Nitriensis in suis Juribus, Libertatibus, Prae-  
 „rogativis, ac Immunitatibus conservare debeat, et  
 „teneatur, attendatque diligenter, ac invigilet, ut  
 „omnes et singuli proventus Camerae nostrae Regiae  
 „de eodem Comitatu provenire debentes nobis, et  
 „ad dictam Cameram nostram fideliter administren-  
 „tur, mandata vero nostra tam Ipsemet observet,  
 „quam ab omnibus aliis in eodem Comitatu degen-  
 „tibus, et commorantibus observari faciat: imo da-  
 „mus, conferimusque praesentium per vigorem. Quo-  
 „circa Vobis universis, et singulis Reverendis, Ho-  
 „norabilibus, Spectabilibus, ac Magnificis, Magni-  
 „ficis item, Egregiis, et Nobilibus, ac alterius cu-  
 „juscunque Status, gradus, et conditionis, in sae-  
 „pefato Comitatu Nitriensi possessionatis hominibus,  
 „harum serie firmiter committimus, ac mandamus,  
 „quatenus memoratum Joannem Gusztinyi a modo  
 „imposterum pro vestro vero, legitimo, ac indubi-  
 „tato supremo ac perpetuo Comite habere, tenere,  
 „et recognoscere, Judicioque ac Judicatu illius ad-  
 „stare, in omnibus denique licitis ac consvetis rebus

„Jurisdictioni ipsius competentibus parere, et ob-  
 „temperare modis omnibus debeatis, et teneamini.  
 „Secus non facturi. Praesentibus perlectis exhibenti  
 „restitutis. Datum per manus fidelis nostri, Nobis  
 „sincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Comitis Ni-  
 „colai Pálffy ab Erdőd perpetui de Vöröskeő, aurei  
 „Velleris Equitis, Comitatus Posoniensis Perpetui  
 „Comitis, Arcisque nostrae Regiae, nominis ejusdem  
 „Haereditarii Capitanei, Consilarii nostri actualis  
 „intimi, Curiae nostrae Regiae per Hungariam Ma-  
 „gistri, ac per antelatum nostrum Hungariae Re-  
 „gnum Aulae nostrae Cancellarii— In Archi Ducali  
 „Civitate nostra Vienna Austriae Die 25ta mensis  
 „Septemb. anno Domini 1762.“

Mortuo Eszterházyo, anno 1764 Joannes Die  
 Ima Jan. in Episcopatu successit. Erat Ille magni in-  
 genii, profundae Eruditionis in sacris litteris, Pa-  
 trumque scriptis, in utroque Jure versatissimus: vi-  
 rorum litteratorum aestimator, quorum consuetudine  
 adeo oblectabatur, ut, dum iis convesceretur, ipsa  
 Mensa fuerit quasi litterarum palaestra. Parochos  
 quoque Dioecesis suae sive dum Parochias ad nor-  
 mam SS. Canonum perlustrabat annis 1766 et 1767;  
 sive Pastorales litteras dabat, identidem ad littera-  
 rum studia hortabatur. Conscripsit Patria lingua, et  
 evulgavit praeclarum opus de SS. Eucharistiae Sa-  
 cramento *Üdvösség mannája*. Pie munificus erga pau-  
 periores Ecclesias et Parochias, partim novas struxit,  
 partim desolatas instauravit. Fundationes in favorem  
 Parochorum, Xenodochiorum, et Studiosorum fecit.  
 Ecclesiae suae Cathedrali splendidum, auro divitem

Pontificalem ornatam; justae magnitudinis Statuas B. M. V. et S. Joannis Evang. item Crucem majorem ex argento ad altare majus; Thesaurario Ecclesiae crucem auream pectoralem cum Smaragdis, vestitam adamantibus, cum simili annulo reliquit. Pro Clero juniore Seminarium, parvo illo vetere sublato, a fundamentis novum, amplum et decorum aedificavit; et pro Parochis in cura animarum lassatis vicinam Seminario Domum comparavit, et utriusque Domus Dotem liberaliter adauxit. — In monte Kövesd ad Nitriam, pone Ecclesiam B. M. V. a concurrente Populi frequentia ab antiquo celebrem, pro viris religiosi congregationis Nazarenorum, quae tum primum coaluerat, et in sui pene ortu, utpote a Sede apostolica non approbata, extincta fuit, Domicilium posuit. Patribus Piarum Scholarum altas elegantesque Turres eduxit.

Dum posterioribus Mariae Theresiae Regiminis annis Hungaria diuturniore pace perfruebatur, Regina ordinandis rebus sacris et profanis curas suas impendit, novosque Episcopatus erexit, et hac occasione Nitriensi quoque Episcopatu, cujus Dioecesis a prima sua origine nullis certis limitibus fuit definita, adeoque disordinata, ut interjectis Parochiis Strigoniensis Dioecesis ipsa communicatio cum maxima Dioecesis parte, quam Comitatus Trenchiniensis constituit, fuerit impedita (S. III. §. 7) materna sollicitudine de meliore nexu inter Parochias Comitatus Trenchiniensis cum Nitriensi inducendo providit, excorporando et dismembrando Parochias Nro 13 e Strigoniensi, et Nitriensi Dioecesi eas adjiciendo; super

quo Sedis apostolicae quoque consensum, et confirmationem obtinuit, quam Pius VI. P. dedit edita Bulla hujus Tenoris:

„Pius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. — Inscrutabili Divinae Providentiae arcano ad Divi Petri Cathedram licet immeriti sublimati, eo nostrae considerationis aciem convertere debemus, quo nostrae Apostolicae Potestatis Auctoritatem Christi fidelium saluti novimus utiliter proficere: quam ob rem Regalium Principum id a nobis sollicita pietate exoptantium pia eorum vota prosequi studemus, prout confidimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque Charissima in Christo Filia nostra Maria Theresia Hungariae et Bohemiae Regina Apostolica nobis exposuerit, nonnullas Parochiales Ecclesias in Comitatu Nitriensi ad Archi-Dioecesim Strigoniensem pertinentes, eo situ positas esse, ut ipsae Parochiales Ecclesiae limitibus Dioecesis Nitriensis fere includantur; ut quoque alias variis titulis exemptas Parochiales Ecclesias a praedicta Archi-Dioecesi Strigoniensi adeo dissitas esse, ut etiam istae a respective Dioecesis, in quorum Dioecesibus sitae reperiuntur, melius administrari possint; ideoque eadem Maria Theresia Regina Apostolica nobis humiles preces obtulerit, ut Parochiales Ecclesiae praedictae suis respective Dioecesibus incorporarentur, et Apostolica auctoritate uniantur. Nos igitur precibus hujusmodi annuentes, motu proprio, deque Apostolicae Potestatis plenitudine ab ipsa Archi-Dioecesi Strigoniensi tenore praesentium perpetuo dismembramus, se-

„jungimus, ac separamus infrascriptas Ecclesias Pa-  
 „rochiales; videlicet *Districtum Veszteniczensem* nun-  
 „cupatum; nec non ex Districtu pariter nuncupato  
 „Tapolcsanensi Parochiales Ecclesias *Bossanensem,*  
 „*Elefanthensem, Kolossiensem, Kovarczensem, Szép-*  
 „*lakiensem, Szolcsanensem, in Comitatu Nitriensi ex-*  
 „*istentes, easque Dioecesi Nitriensi apostolica aucto-*  
 „*ritate praedicta etiam perpetuo adjicimus.* Et Pa-  
 „rochiales Ecclesias *Leleszensem, Király-helmocensem,*  
 „in Comitatu *Zemplinensi* existentes, easque Dioe-  
 „cesi *Agriensi* eadem apostolica auctoritate etiam per-  
 „petuo unimus, et incorporamus: et Parochiales Ec-  
 „clesias *Barbacsensem, Berkesdiensem, Borokien-*  
 „*sem, Kemendiensem, Péts-varadiensem, Szajkien-*  
 „*sem, Szctenyensem* in Comitatu *Baranyensi*; nec  
 „non *Battensem, Bathaszekiensem, Földvariensem,*  
 „et *Sexardiensem* in Comitatu *Tolnensi* sitas, eas-  
 „que Dioecesi *Quinque-Ecclesiensi* eadem apostolica  
 „auctoritate pariter perpetuo etiam adjicimus: et Pa-  
 „rochiales Ecclesias *Szegediensem* in Comitatu *Cson-*  
 „*gradiensi* sitam, eamque Dioecesi *Csaniensi*: et  
 „Parochiales Ecclesias *Albaregalensem* in Comitatu  
 „*Albensi*, et *Szár, seu Vörösberényiensem* in Comi-  
 „tatu *Veszprimiensi* sitas, easque *Veszprimiensi* Dioe-  
 „cesi eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo  
 „respective assignamus: ac Parochiales Ecclesias *Isz-*  
 „*kariensem, et Papensem, et Vásárhelyiensem* in  
 „eodem Comitatu *Veszprimiensi* existentes, illasque  
 „Dioecesi *Jaurinensi* apostolica auctoritate praedicta  
 „pariter perpetuo unimus, et incorporamus: ac de-  
 „num Parochiales Ecclesias *Eszekiensem* in Comi-

„tatu Veróczyensi, et Petro-Varadiensem in Comitatu  
 „Szirmiensi sitas, Dioecesis Bosnensi et Szirmiensi  
 „invicem perpetuo canonice unitis, una cum Eccle-  
 „siis filialibus Apostolica auctoritate praedicta per-  
 „petuo quoque adjungimus; decernentes, easdem  
 „praesentes semper et perpetuo validas, et efficaces  
 „esse, et fore, suosque plenarios, et integros effe-  
 „ctus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus et singu-  
 „lis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in  
 „futurum firmiter et inviolabiliter observari etc. —  
 „— Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagi-  
 „nam nostrae dismembrationis, sejunctionis, sepa-  
 „rationis, adjectionis, unionis, incorporationis, ad-  
 „junctionis, decreti, et derogationis infringere, vel  
 „ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc at-  
 „tentare praesumserit, indignationem Omnipotentis  
 „Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus  
 „se noverit incursum. Datum Romae apud S. Pe-  
 „trum anno Incarnationis Dominicae Millesimo septin-  
 „gentesimo, septuagesimo quinto. Tertio Idus Mar-  
 „tii, Pontificatus nostri anno secundo.“

Ab anno itaque 1776, quo Dismembratio et  
 unio in effectum deducta fuit, Dioecesis Nitriensis  
 adjectione Parochiarum illarum aucta, meliorem for-  
 mam, nexumque nacta est. — Hoc eodem anno Au-  
 gusta Domina Regina Maria Theresia Trenchinium ad  
 Collegium, quod Archi-Episcopus Georgius Lippay  
 pro PP. Societatis Jesu erexerat (§. 10.) abolito or-  
 dine, vacuum, Clericos regulares Scholarum piarum  
 induxit, Scholasque gymnasiales iisdem tradidit; et  
 anno sequenti 1777 iisdem Patribus pro recipiendis,

ibidemque educandis Novitiis foundationem constituit, Litteris suis foundationalibus, quarum Tenores sunt:

„Nos Maria Theresia etc. Memoriae comendamus  
 „Tenore praesentium significantes, quibus expedit  
 „universis. Quod nos in Clementissimam Reflexio-  
 „nem sumentes laudabile illud studium, quo Reli-  
 „giosi Patres 'Ordinis Clericorum Regularium Pau-  
 „perum Matris Dei Scholarum Piarum per zelosam  
 „Verbi Divini Praedicationem, obsequiave spiritua-  
 „lia, per eximiam item Juventutis in Litteris eruditio-  
 „nem, et in bonis moribus Institutionem, in incre-  
 „mentum orthodoxae Fidei Romano-Catholicae, ac  
 „in bonum publicum constanter feruntur, praedictis  
 „piarum Scholarum Patribus, abolito Societatis Jesu  
 „Ordine Trenchinium introductis, et in Collegium  
 „antea per dictam Societatem inhabitatum illocatis,  
 „pro intertenendis ad rationem Regni nostri Hunga-  
 „riae, et magni Transylvaniae Principatus majóri  
 „numero Novitiis, summam quinquaginta millium flo-  
 „renorum ea lege Clementer addixerimus, ut remen-  
 „tionati piarum Scholarum Religiosi ex obveniente a  
 „praenotata quinquaginta millium flor. summa, nunc  
 „apud Cameram nostram Regiam hungarico-aulicam  
 „erga quatuor per centum elocata, annuo censu, prae-  
 „ter et ultra Novitiorum hactenus etiam numerum  
 „Prividiae, ac alibi ubicunque ex praehabitis aliis  
 „foundationibus aliorum, ad minimum Nro 12; quod  
 „si autem successu temporum praenotatum 50,000  
 „flor. capitale deinceps ut pure foundationale conside-  
 „randum, erga majorem censum, cum cautelis ta-  
 „men per B. Resolutionem nostram sub 7ma mensis

„Sept. anni ultimo praeteriti, intuitu capitalium  
 „summarum ex dividendis abolitae Societatis Bonis  
 „provenientium, emanatam, ac via Consilii nostri  
 „Regii Lottlis publicatam, praescriptis, in eoque po-  
 „tissimum subsistentibus, ut ejusmodi summae Ca-  
 „pitales semper intabulentur, et ne dimidium Bono-  
 „rum pro hypotheca inscribendorum Valorem supe-  
 „rent, sive insimul, sive etiam per partes elocari va-  
 „luerit, aut secus pro ratione temporum, circum-  
 „stantiarumque exigentia, Capitalium in fundo Ca-  
 „merali radicatorum Interusura elevari contigerit,  
 „vel etiam alias ipsa temporum felicitas, rerumque  
 „abundantia admiserit, plures etiam, quam 12. No-  
 „vitiis ex annuo fundationalis hujusce 50,000 flor.  
 „summae censu intertenere, individuaque tam pro  
 „ipso antelato Regno nostro Hungariae, quam et pro  
 „supra dicto Magno Transylvaniae Principatu enu-  
 „trire, ac quod reipsa enutrient, singulis annis ea-  
 „tenus Consilio nostro Regio Lottli cum specifica no-  
 „minum, et cognominum Designatione relationem  
 „facere teneantur, et neque valeant saepefati Patres  
 „Scholarum piarum idem hoc fundationale Capitale  
 „aliter, quam cum cautelis superius attactis, et erga  
 „factam praevis Diocesano, ac medio ejus antelato  
 „Regio nostro Locumtenentiali Consilio insinuatio-  
 „nem, obtentumque idcirco Indultum ullis unquam  
 „temporibus elocare, aut de uno in alium locum  
 „transponere, penes quos quidem ipsae originales  
 „obligatoriae litterae maneant, semper tamen etiam  
 „in Archivo Commissionis piarum foundationum in au-  
 „thenticis paribus asserventur. Ipsi porro Novitii ex

„hac fundatione intertenendi vita nostra comite sin-  
 „gulis diebus tria Pater, et totidem Ave post missae  
 „sacrificium alta voce in Choro, aut alio Ecclesiae  
 „loco, ad id per P. Rectorem destinando, orare; Die  
 „autem nostra natali, quae Dies 13tia mensis Maji  
 „est, una hora, ac demum, postquam ex hac mor-  
 „tali ad immortalem vitam evocatae fuerimus, Die  
 „obitus nostri anniversaria, quotannis una itidem  
 „hora pias ad Deum Preces pro nobis qua Fundatrice  
 „sua, fundere sint obligati. Dum igitur piam hanc  
 „fundationem animo deliberato, et de plenitudine  
 „potestatis nostrae Regiae instituimus, nihil prorsus  
 „ambigimus futurum, ut nostri quoque Regiminis  
 „Successores praesentes benignas fundationales no-  
 „stras omni semper tempore inviolate observare, et  
 „omnimode protegere; quin imo novis etiam favori-  
 „bus augere adnisi sint. Ac proinde benigne prae-  
 „cipimus, et mandamus, quorum interest, aut inter-  
 „erit, universis: quatenus praesentem fundationem  
 „nostram in omni evenibili casu ad amissim obser-  
 „vare noverint, eidemque sub incursu Indignationis  
 „Regiae quaqua ratione contraire, aut alios in ob-  
 „versum ejusdem quidpiam moliri permittere non  
 „praesumant; quin imo eidem piae fundationi no-  
 „strae in casibus necessitatis opera, auxilio, assi-  
 „stentia sua promptissime adesse, eamque in omni-  
 „bus Juribus et praerogativis efficaciter manutenere;  
 „verbo: quidquid ad provehenda illius incrementa  
 „facere posse videbitur, benignaeque voluntati, ac  
 „piae Intentioni nostrae conforme erit, conferre te-  
 „neantur, sintque obstricti. In quorum majus robur,

„perpetuamque memoriam, ac firmitatem hasce se-  
 „creto majori sigillo nostro, quo ut Regina Hunga-  
 „riae Apostolica utimur, in pendenti communitas,  
 „extradandas esse duximus, et concedendas litteras  
 „fundationales. Datum per manus fidelis nostri no-  
 „bis sincere dilecti Spectabilis et Magnifici Comitis  
 „Francisci Eszterházy de Galantha, in Archi-Ducali  
 „Civitate nostra Vienna Austriae Die 7ma mensis  
 „Octob. anno Domini 1777. etc. —“

Joannes Episcopus his non diu supervixit, eodem anno 1777 Die 31ma Januarii in Mocsnok mortuus, et in Crypta Cathedralis Ecclesiae suae solemni funebri ritu tumulatus. A morte Illius plura Jura et privilegia ab Ecclesia Nitriensi fuerunt abstracta. Primum: Honor et Dignitas Supremi Comitis Provinciae Nitriensis, a tempore Caroli I. Episcopatus Nitriensi perpetuo Jure concessa, subsequentium Regum Privilegiis confirmata; per ipsam etiam Mariam Theresiam Gusztinyio adhuc Coadjutori ob perpetuum Ecclesiae Nitriensis Privilegium collata, illo e vivis excedente, per Eandem Regnam Apostolicam, ab Episcopatu Nitriensi adempta, et viris saecularibus collata fuit, conferturque hodie. Deinde: Praepositura Dömössiensis, quae titulo Cambii cum Episcopatu Nitriensi, ut supra (§. 39.) docuimus, in perpetuum unita fuerat, avulsa, et Archi-Diaconis Metropolitanus Capituli Strigoniensis fuit collata. Nec satis: Dominium Episcopale Szka-csán dictum, cum connexis villis, perinde ab Episcopatu fuit abstractum, et pro fundatione Praepositurae Majoris, qua Capitulum Nitriense ab eo tempore

quo Episcopatus instauratus est, destituebatur (P. I. S. III. §. 7) aliisque Ecclesiae necessitatibus conversum, prout Diploma Mariae Theresiae de anno 1779 et Bulla Pontificis Pii VI. de eodem anno uberius exhibent. Quae sunt hujus Tenoris :

„Nos Maria Theresia Divina favente Clementia  
 „Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariae, Bohemiae  
 „Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Galliciae etc.  
 „Regina Apostolica etc. — Memoriae commendamus  
 „tenore praesentium significantes, quibus expedit  
 „universis. Qualiter nos benigno revolventes animo,  
 „quam salutare, atque decorum sit, quantumve stabilien-  
 „diendis et firmandis Regnorum nostrorum, Imperii-  
 „que rebus expediat in augendum atque amplian-  
 „dum orthodoxae Religionis Bonum promptissima  
 „quaque conferre studia, quo et Posteritas laudabilia  
 „Praedecessorum suorum vestigia conspiciendo,  
 „ad parem virtutem, et aliorum bonorum, pietissimorum-  
 „que operum prosecutionem erecta, gloriam hanc quasi  
 „simulacrum prae oculis semper habere possit; quo-circa  
 „cum Capitulum Nitriense a tempore quo olim Prae-  
 „positura Nitriensis ad Episcopatum evecta est, Prae-  
 „posito suo destituatur, e re autem continendi in bona  
 „Disciplina Capituli, tutorumque, secundum morem in  
 „omnibus reliquis perchari Regni nostri Hungariae  
 „Capitulis vigentem, Jurium Capitularium omnino foret,  
 „ut ad plenariam dicti Capituli perfectionem et regulationem  
 „non solum Praepositura erigatur; et fundetur, sed  
 „et ultra Praeposituram, iusuper Columnarum etiam  
 „Capituli, tum Archidiaconorum, Cathedralis Ec-

„clesiae, et Seminarii hactenus exiguis re-  
 „visorum Dos melioretur, et una Fundus pro defi-  
 „cientibus in cura animarum Parochis praeexistens,  
 „et vix tribus alendis sufficiens augeatur. Idcirco pro  
 „summo illo Jure Patronatus, quod qua Apostolica  
 „Regina Hungariae in conferendis, et pro ratione  
 „necessitatis ac utilitatis publice dirigendis Beneficiis  
 „;Ecclesiasticis, regulandisque Dioecesibus optimo jure  
 „habere, et exercere dignoscimur, in dicto Capitulo  
 „Nitriensi nunc occasione vacantis Sedis Episcopatus  
 „Nitriensis, accedente praevia Sanctae etiam Sedis  
 „Apostolicae eatenus benedictione, ex amplissimis  
 „caeteroquin Bonis, et re-  
 „ditibus, Episcopali mensae  
 „addictis Praeposituram erigere, et necessitatibus  
 „praeexpositis, ratione mox ab infra uberius decla-  
 „randa, subvenire in animum nostrum induximus,  
 „et quidem: ut proventibus annuis neo-fundati Prae-  
 „positi in quinque mille florenis benigne definitis,  
 „qui siquidem qua Canonicus Capitularis congrua ex  
 „actualibus repetiti Capituli Nitriensis Bonis, in sua  
 „integritate relictis (praeter votiva, de quibus ille  
 „nonnisi in quantum de hinc post sui in Capitulum  
 „ingressum aliqua fundarentur, participabit) non-  
 „gentis circiter florenis providendus sit, residua sum-  
 „ma, ad quinque mille florenorum proventum de-  
 „siderata, et quatuor mille centum florenos consti-  
 „tuens, ex Proventibus Episcopalibus hunc in finem  
 „sequestrandis, et modalitate infrascripta praefato  
 „Capitulo Nitriensi uniendis quotannis pendatur;  
 „Capitulo autem praespecificati nongenti floreni, Prae-  
 „posito velut decimo Canonico pro futuro e Proven-

„tibus Capitularibus praestandi, perinde ex dictis  
 „Episcopatus redditibus bonificentur; pro aedificanda  
 „autem Domo Praepositoriali, sumtibus dicti Praepo-  
 „siti conservanda, ex praedictis vacantis Episcopa-  
 „tus redditibus decem mille floreni semel pro semper  
 „numerentur. Porro repetiti Capituli Lectori qua-  
 „dringenti floreni, Cantori tercenti floreni, Custodi  
 „ducenti floreni, tribus Archi-Diaconis singulo cen-  
 „tum quinquaginta floreni, in summa vero quadrin-  
 „genti quinquaginta floreni; aequae ex iisdem Bonis  
 „dicti Episcopatus, praeter Canonicam Portionem,  
 „ea lege quotannis adjiciantur, ut Beneficia hactenus  
 „privatim habita, quae in Vineis, et Agris consi-  
 „stunt, Capitulo ad communem Oeconomiam cedere  
 „debeant. Tum, siquidem Notarius, cujus fidei, et  
 „curae publicum Regni, Capituliq[ue] Archivum con-  
 „creditum est, nullo annuo salario provisus sit, Taxae  
 „autem pro Expeditionibus pendi solitae sexaginta  
 „solum florenos annue, adeoque summam vix pro  
 „intertentione unius Scribae sufficientem efficiant,  
 „eapropter in benignam reflexionem sumto etiam  
 „eo, quod Capitulum legalis, authenticusque sit locus  
 „in quo tantarum Familiarum literalia Instrumenta,  
 „pro futura Jurium earumdem cautela invicem Do-  
 „cumentorum deservitura, velut inaestimabilis qui-  
 „dam thesaurus deposita conservantur, quorum de-  
 „bita conservatio, exactaque in Regestrum illatio,  
 „aliiq[ue] Archivario incumbentes labores subjectum  
 „idoneum, atque a rerum usu, et integritate com-  
 „mendatum deprecant; hinc causa Publico debite  
 „prospiciendi, pro dicto Notario tercentorum flore-

„norum annum salarium ex repetiti Episcopatus  
 „reditibus pendendum clementer deputamus. Non  
 „secus, siquidem Dote Ecclesiae Cathedralis actu  
 „nonnisi septingentos sexaginta florenos annuos con-  
 „stituente, Episcopus, et Capitulum in erogationes  
 „pro eadem Ecclesia necessarias quotannis mille  
 „octingentos decem florenos conferre debebant; ad  
 „evitandas proinde differentias, quae inter Episco-  
 „pum et Capitulum idcirco suboriri valerent, Capi-  
 „tulique ab onere isthoc relevandi sortem melioran-  
 „dam, bis mille ducenti quadraginta floreni ex dictis  
 „reditibus Episcopalibus suppeditentur, Dosque di-  
 „ctae Ecclesiae hac ratione ad annuos ter mille flo-  
 „renos fixe, et pro perpetuo constituatur, Capituli  
 „Custodi cum exordio anni erga ejusdem Quietan-  
 „tiam per Capitulum consignanda, qui illam in Suc-  
 „centorem, duos Praebendatos, ad decantandum  
 „Chorum requisitos, sufficientique congrua providen-  
 „dos, Musicam, aliasque Ecclesiae necessitates impen-  
 „dere, et super factis hujusmodi erogationibus cum  
 „exitu anni Rationes debite concinnare, atque ipsi  
 „Episcopo, Sede autem Episcopali vacante Capitulo  
 „revidendas consignare teneatur. Demum Praeposi-  
 „tura Dömössiensis, ad Episcopatum Nitriensem ad-  
 „usque pertinente, Archi-Capitulo Strigoniensi cum  
 „conditione in benignis nostris fundationalibus Litte-  
 „ris, pro eodem Archi-Capitulo Strigoniensi elargitis,  
 „signanter quoad tres Clericos pro Dioecesi hac Ni-  
 „triensi in generali Seminario Budensi, praeter alios,  
 „qui actu in eodem generali Seminario ex fundatio-  
 „nibus Nitriensibus intertenentur, quorumve nume-

„rus nullo sub praetextu minuendus erit, expressa,  
 „collata existente; pro meliore adhuc junioris Cleri  
 „hujus Dioecesis Nitriensis subsistentia, et interten-  
 „tione, Seminario ex Proventibus Episcopalibus, pro  
 „ejusdem mensa post dismembrationem etiam prae-  
 „missam, ac infra uberius declarandam remansuris,  
 „tam Sede vacante, quam et per futuros Dioecesa-  
 „nos mille floreni quotannis irremisse solvantur. Ac  
 „cum Fundatio pro deficientibus Parochis Dioecesis  
 „Nitriensis in septingentis quinquaginta annuis flore-  
 „nis actu subsistens, vix alendis tribus ejusmodi De-  
 „ficientibus sufficiat; praeattactae Fundationi mille  
 „quinquaginta florenos annuos ex redditibus toties  
 „dicti Episcopatus Nitriensis Capitulo resignandis ad-  
 „jiciendos statuimus; ex qua fundationali summa sex  
 „deficientes Parochi intertenebuntur. Ut autem iidem  
 „Viri de Republica Christiana optime meriti, et ae-  
 „tatem suam, ac vires in gravi animarum cura ab-  
 „summentes, reliquos vitae suae dies tranquille, et  
 „ab omni sollicitudine liberi agere, terminareque  
 „possint, sequentia clementer statuimus: quo ad ra-  
 „tionem cujuslibet eorum tercenti floreni deputentur,  
 „utpote centum quinquaginta floreni pro victu, quin-  
 „quaginta pro intertentione Famuli, medicamentis,  
 „calefactione, aliisque necessariis ejusmodi expensis;  
 „reliqui denique centum floreni pro amictu, albis  
 „vestibus, et aliis minutioribus erogationibus: qui  
 „postremo specificati centum floreni iisdem Deficien-  
 „tibus ad usum praescriptum convertendi immanua-  
 „buntur. — Quod vero domum pro iisdem Deficien-  
 „tibus exstruendam concernit, clementer jam dispo-

„suimus, ut in contiguitate Seminarii Tractus unus,  
 „pro futura junioris Cleri Professorum habitatione  
 „deserviturus, aedificetur, Domus autem illa, in  
 „qua actu dicti Professores degunt, pro usu et habi-  
 „tatione dictorum sex deficientium Parochorum in-  
 „struatur, ac hoc fine ex dicti vacantis Episcopatus  
 „Nitriensis Proventibus septem mille floreni Capitulo,  
 „cujus curae et vigilantiae praeattacti aedificii stru-  
 „ctura incumbet, erga dandas super perceptis et ero-  
 „gatis Rationes actutum, casum autem in illum, quo  
 „forte cassa Episcopalis aliis assignationibus gravata  
 „foret, intra duorum ad minimum annorum decur-  
 „sum semel pro semper numerentur. Quoniam au-  
 „tem pro Fundatione neo - erigendae Praepositurae,  
 „et procurandae benignae Intentionis nostrae, incre-  
 „mentum orthodoxae Religionis pro scopo designato  
 „habentis, effectu (huc non intellectis Positionibus  
 „pro educatione trium junioris Cleri Individuorum  
 „ex redditibus Praepositurae Dömössiensis, et mille  
 „flore nis annuis e Proventibus Episcopalibus penden-  
 „dis) sed et pro onere ad Cassam fortificatoriam in-  
 „fra declarando modo per Capitulum pendendo, sum-  
 „ma decem mille tercentorum quinquaginta floreno-  
 „rum desideretur, Dominium vero Szkacsán, cujus  
 „annui Proventus ultra decem mille tercentos quin-  
 „quaginta florenos constituunt, pro supra specifica-  
 „tarum Erogationum Fundo vel ex eo etiam desti-  
 „navimus, quod Proventus ejusdem prae reliquis Bo-  
 „nis Episcopalibus fixi, securique sint; sed caetero-  
 „quin etiam idem Dominium Szkacsán velut exiguam  
 „cum caeteris Bonis Episcopalibus connexionem ha-

„bens, cum minori Episcopalis oeconomiae jactura a  
 „reliquo Bonorum Corpore avelli possit; eapropter  
 „praefatum Dominium Szkacsán pro fundo supra di-  
 „ctarum erogationum per nos clementer deputatum,  
 „administrationi Capitulari resignamus: imo idem  
 „Dominium Szkacsán simul cum cunctis appertinen-  
 „tiis, Terris scilicet arabilibus, „cultis et incultis,  
 „Agris, Pratis, Pascuis, Campis, Foenetis, Hortis,  
 „Pomariis, Sylvis, Nemoribus, Dumetis, Virgultis,  
 „Exstirpaturis, Montibus, Collibus, Vallibus, Vi-  
 „neis, et earum Promontoriis, Fluviis, Aquis, Pi-  
 „scinis, Piscaturis, Pisciumve clausuris, et aquarum  
 „decursibus, Molendinis, et eorumdem locis, Edu-  
 „cillis, et Macellis, generaliter vero quarumlibet  
 „utilitatum, obventionum, reddituum, et pertinen-  
 „tiarum suarum integritatibus, quovis nominis vo-  
 „cabulo vocitatis, sub suis veris metis, et antiquis  
 „limitibus existentibus, ad praedictum Dominium  
 „Szkacsán de jure, et ab antiquo spectantibus, et  
 „pertinere debentibus, ubicunque sub Sacra praere-  
 „petiti Regni nostri Hungariae Corona existentibus,  
 „et habitis, quemadmodum hucdum ad Episcopatum  
 „Nitriensem possidebatur, eidem Capitulo Nitriensi  
 „modo, quo supra, titulo perpetuae Dotis, et Fun-  
 „dationis, ea tamen ratione conferendum esse duxi-  
 „mus; ut cum Proventus ejusdem Dominii expensas  
 „supra specificatas, et ad decem mille tercentos quin-  
 „quaginta florenos computatas, quadringentis quin-  
 „quaginta septem florenis superarent, resultans haec  
 „summa, eidem Capitulo ea cum obligatione cedat,  
 „quo idem pro omnibus fortuitis casibus cavere, at-

„tactasque expensarum rubricas suo periculo accurate  
 „praestare debeat, ac teneatur: vacante autem neo-  
 „fundata Praepositura hac Nitriensi, praespecificati  
 „quatuor mille centum floreni, ex Proventibus Do-  
 „minii Szkacsán per Capitulum pendendi, pro tem-  
 „pore Vacantiae Fisco nostro Regio addicentur, jus-  
 „que hoc successionis in Lege fundatae eidem Fisco  
 „nostro Regio cedat. Quod autem viginti pro- cen-  
 „tuale Quantum a Beneficiis Ecclesiasticis dependi  
 „solitum attinet, Clementer decernimus; ut a per-  
 „solutione Quottae ad Fortificatorium destinatae (ad  
 „quam pendendam caeteroquin Capitula indiscrimi-  
 „natim obligantur) neque Praepositus Nitriensis ab-  
 „solvatur; cum nihilominus annuus ejus Proventus  
 „absque omni falcidia, et defectu in quinque mille  
 „florenis benigne per nos stabilitus sit, ideo quotta  
 „ad Cassam fortificatoriam a quatuor mille centum  
 „florenorum summa per Capitulum ex Bonis Szkacsá-  
 „niensibus pendenda, et in supra attacta decem mille  
 „tercentorum quinquaginta florenorum summa jam  
 „comprehensa, atque in quadringentis decem flore-  
 „nis obveniens, aequae ex Proventibus saepefatis  
 „Szkacsanensibus rite solvatur, a pendenda autem  
 „ad Parochorum Cassam quotta ad instar reliquorum  
 „omnium Capitulorum Praepositus quoque Nitrien-  
 „sis liber, et immunis sit. Imo assignamus, confe-  
 „rimus, donamus, et fundamus perpetuo et irrevoc-  
 „cabiler tenenda, possidenda, habenda pariter et  
 „usuanda. Dum igitur salutarem hanc Foundationem  
 „animo deliberato, et de plenitudine Potestatis No-  
 „strae Regiae, qua summa in praefato Regno nostro

„Hungariae Ecclesiarum Dei Patrona, pro solita no-  
 „stra in Deum pietate, et ad majorem Cultus Divini  
 „promotionem, orthodoxaeque Religionis propaga-  
 „tionem, prout et Cleri (cujus devotis ad Deum  
 „precibus, et suffragiis fausta et felicia suscepti Re-  
 „giminis gubernacula, prosperitatem armorum, et  
 „secundos adversus hostes victoriarum successus, Im-  
 „periique, ac Augustae Domus nostrae felicitatem  
 „ulterius quoque nos consecuturas pie confidimus)  
 „commodorum incrementum constanter directa cura,  
 „solicitudine, et vigilantia nostra, benigne insti-  
 „tuimus; una nihil prorsus ambigimus, quin nostri  
 „quoque in Regimine Successores pientissimam hancce  
 „Ordinationem nostram non modo adimplere, quin  
 „potius eandem pro ratione circumstantiarum novis  
 „etiam gratiis et favoribus augere omnimode adni-  
 „tantur. Quapropter benigne praecipimus, et man-  
 „damus, quorum interest, vel in futurum intererit,  
 „universis: quatenus praesentem salutarem fundatio-  
 „nem et ordinationem nostram in quibusvis evenire  
 „queuntibus casibus ad amussim observare noverint,  
 „neque eidem sub incursu indignationis Nostrae Re-  
 „giae quaqua ratione contravenire praesumnant. In  
 „quorum majus robur, perpetuamque firmitatem hasce  
 „secreto majori sigillo nostro, quo ut Regina Hunga-  
 „riae Apostolica utimur, in pendentem communitas, ex-  
 „tradandas duximus et concedendas Litteras funda-  
 „tionales. Datum per manus Fidelis Nostri Nobis  
 „sincere dilecti Spectabilis, ac Magnifici Comitis  
 „Francisci Eszterházy de Galantha, Perpetui Comi-  
 „tis de Fraknó etc. per Regnum Nostrum Hungariae

„Cancellarii, in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna  
 „Austriae, Die 16ta mensis Julii, Anno Domini Mil-  
 „lesimo septingentesimo, septuagesimo nono, Regno-  
 „rum Nostrorum Hungariae, Bohemiae, et reliquo-  
 „rum Anno tricesimo nono.“

Bulla vero Pontificia ita sonat :

„Pius Episcopus servus servorum Dei, ad per-  
 „petuam rei memoriam Ingeniosa Personarum Regia  
 „potestate fulgentium, semel ac iterum de Catholi-  
 „cae Religionis incremento, mox vero tum de re-  
 „stauranda servandaque Ecclesiastica Disciplina, tum  
 „etiam de reditu Seminariorum, et in eis degen-  
 „tium Clericorum, ad Ecclesiasticae Hierarchiae de-  
 „corem augmento, et necessaria sustentatione, ac  
 „demum circa providam Dignitates obtinentium, ali-  
 „orumve Sacrorum Ministrorum, praesertim qui in  
 „Vinea Domini labores suos pro aetatis pondere di-  
 „utius conferre non valent, manutentionem, nobis  
 „exhibita sollicitudo permovet adeo Paterna viscera  
 „nostra, ut postquam debitas Altissimo, qui Regum  
 „corda ad Ecclesiae suae bonum promovendum sva-  
 „viter disponit, gratias egerimus, ea, quae viden-  
 „tur ad praemissorum effectum validiora media, ala-  
 „cri animo adhibeamus, et Personarum earundem  
 „laudabilibus votis, et petitionibus libenter annua-  
 „mus. Cum itaque nuper Charissima in Christo Fi-  
 „lia nostra Maria Theresia Imperatrix Vidua, ac Bo-  
 „hemiae et Hungariae Regina Apostolica, Nobis per  
 „suas Regias Litteras exposuerit: quod Capitulum  
 „Cathedralis Ecclesiae Nitriensis, in qua olim, vide-  
 „licet dum ipsa Cathedralis Ecclesia Collegiata exi-

„steret, Praepositura, tunc dignitas inibi principalis  
 „existens, reperiatur, a tempore, quo dicta Col-  
 „legiata Ecclesia in Ecclesiam Cathedralem praefa-  
 „tam, et Praepositura hujusmodi illius perpetuo A-  
 „postolica Auctoritate suppressis, et extinctis: Ti-  
 „tulo collativo, nomine, denominatione, natura, et  
 „essentia Dignitatis collativae in Dignitatem Episco-  
 „palem Nitriensem pro uno Episcopo Nitriensi dicta  
 „Apostolica auctoritate perpetuo quoque respective  
 „erectae, et institutae extiterunt: Praeposito, qui  
 „ejusdem foret Capituli dictae Cathedralis Ecclesiae  
 „caput, atque Ecclesiasticae in eo servandae discipli-  
 „nae Custos, et auctor, destitutum remansit. Item-  
 „que subjunxerit: quod tam ipsa Cathedralis Eccle-  
 „sia, et Dilecti Filii moderni illius Archi-Diaconi  
 „vulgo Columnae Capituli nuncupati, quam Semi-  
 „narium Ecclesiasticum Nitriense, essentielles quidem  
 „Dioecesis Nitriensis partes, reddituum tenuitate re-  
 „spective laborent, et Parochi demum dictae Nitrien-  
 „sis Dioecesis senio confecti, nullum institutum sub-  
 „sidium, nullamque habeant habitationem, propter-  
 „eaque dicta Maria Theresia Regina Apostolica cu-  
 „piens primo disciplinam hujusmodi, ac splendorem  
 „Ecclesiasticum Capituli praefati, illiusque Capitula-  
 „ria Jura respective tueri, dictaeque Cathedralis Ec-  
 „clesiae, illiusque Archi-Diaconatus respective obti-  
 „nentium, aliarumque Personarum infrascriptarum  
 „necessitatibus, ac Clericorum presertim, qui in Se-  
 „minario hujusmodi in excolendo agro Dominico effi-  
 „ciuntur idonei, inopiae, et respective honestae  
 „substantationi, frequentiorique numero sufficienti-

„bus Proventibus respective provideri, eorundem-  
 „que Parochorum senio, ut praefertur, confectorum  
 „subsistentiae, et habitationi, ne ob defectum Do-  
 „micilii, illud hinc inde quaerere cogantur, per in-  
 „frascripti fundi constitutionem occurri, nobis enixas  
 „preces porrexerit: quatenus Praeposituram infrascri-  
 „ptam, juxta laudabilem Regni Hungariae praefati  
 „consuetudinem, in dicta Cathedrali Ecclesia Nitri-  
 „ensi, ut infra erigere, et instituere, illaque sic ere-  
 „cta, ad supradictis omnibus consulendum, ex am-  
 „plissimis caeteroquin redditibus et Bonis Mensae Epi-  
 „scopalis Nitriensis, cujus Ecclesia Cathedralis prae-  
 „fata ad praesens Pastoris solatio destituta dignosci-  
 „tur, tantum, ut infra, dismembrare, quantum,  
 „etiam ut infra, sufficiens esse videatur; ac redditus  
 „et Bona ex praedicta Episcopali mensa sic dismem-  
 „branda tam novae Praepositurae, ut infra erigen-  
 „dae, pro illius Dote, illamque pro tempore obti-  
 „nentis congrua sustentatione, ac operum ei pro  
 „tempore incumbentium supportatione, quam men-  
 „sae Capitulari dictae Cathedralis Ecclesiae, illius-  
 „que Archi-Diaconis praefatis, et aliis infra scriptis  
 „personis hujusmodi, ac Seminario praefato, nec  
 „non pro Parochorum eorundem subsidii et habita-  
 „tionis fundatione, modo tamen, et forma inferius  
 „exprimendis, respective attribuere, et applicare,  
 „aliaque, ut infra concedere dignaremur. — Nos igitur  
 „ad praemissorum relationem per Dilectum etiam  
 „Filius Magistrum Petrum Mariam Nigrone, in utra-  
 „que Signatura nostra Referendarium, et Congrega-  
 „tionis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae

„Romanae Ecclesiae Cardinalium rebus Consistoria-  
 „libus praepositae Secretarium factam, omnibus ma-  
 „ture perpensis, auditisque prius Dilectis pariter  
 „Filiis modernis Capitulo, et Canonicis dictae Cathe-  
 „dralis Ecclesiae, ejusdem Mariae Theresiae Reginae  
 „Apostolicae commendabilibus votis obsecundare de-  
 „siderantes, motu proprio, et ex certa scientia, de-  
 „que Apostolicae Potestatis plenitudine, in dicta Ca-  
 „thedrali - Ecclesia Nitriensi unam Praeposituram,  
 „quae inibi Dignitas post Pontificalem major existat,  
 „ac una cum Canonatu, et Praebenda ipsius Ca-  
 „thedralis Ecclesiae per unam eandemque Personam  
 „absque dispensatione Apostolica obtineri debeat,  
 „pro uno Presbytero Juris utriusque Doctore; vel in  
 „Theologia Magistro, aut Licentiato, futuro in ea  
 „Praeposito, qui simul decimus ipsius Cathedralis  
 „Ecclesiae Nitriensis Canonicus, illiusque Capituli  
 „praefati Caput existat, ac tam in Choro, quam in  
 „Processionibus, ac omnibus aliis functionibus et  
 „actibus Capitularibus ejusdem Cathedralis Ecclesiae  
 „primum locum habere, nec non omnibus juribus et  
 „honoribus, quibus caeteri Praepositi aliarum Cathe-  
 „dralium Ecclesiarum, in praefato Hungariae Regno  
 „existentium, non tamen titulo oneroso aquisitis,  
 „perfruuntur, et gaudent, pariformiter frui et gau-  
 „dere possit, et debeat, Apostolica auctoritate prae-  
 „fata perpetuo erigimus, et instituimus. Cum vero,  
 „sicut deinde accepimus, ad hoc, ut ipsius Mariae  
 „Theresiae Reginae Apostolicae dispositio praefata  
 „suum effectum sortiri, ac permanens esse queat,  
 „fundum annum in summa decem millium trecen-

„torum et quinquaginta florenorum monetae illarum  
 „Partium necessarium esse dignoscatur, quodque etsi  
 „a praefata Episcopali mensa Nitriensi reditus et  
 „Bona, ac alia infra scripta dismembrarentur, multo  
 „maiores tamen annui reditus, in complurium Do-  
 „miniorum, et Decimarum proventibus consistentes,  
 „et Episcopali muneri cum dignitate ac splendore  
 „substinendo sufficientes, fixi securique remanerent;  
 „hinc eisdem praemissis consulere volentes, motu,  
 „scientia et Potestatis plenitudine paribus, Praepo-  
 „situram Dömössiensem nuncupatam, ad Episcopa-  
 „tum Nitriensem hactenus pertinentem, nec non Do-  
 „minium Szkacsán etiam nuncupatum, cujus annui  
 „Proventus summam decem millium et octingento-  
 „rum florenorum illarum partium circiter, ut simili-  
 „ter accepimus, constituunt, ac certos alios inferius  
 „exprimendos reditus et proventus annuos a praefata  
 „mensa Episcopali Nitrien. eadem Apostolica aucto-  
 „ritate itidem perpetuo dismembramus, dividimus,  
 „et separamus, illisque sic dismembratis, divisis, et  
 „separatis, eidem Praepositurae praefatae Cathedra-  
 „lis Elclesiae Nitriensis per nos, ut praefertur, ere-  
 „ctae pro illius Dote, seu futuro ejusdem Cathedra-  
 „lis Ecclesiae Nitriensis Praeposito pro tempore exi-  
 „stenti, pro ejus certo annuali reditu, ejusque re-  
 „spective congrua sustentatione, ac onerum ei pro  
 „tempore incumbentum supportatione (praeter votiva  
 „nuncupata, de quibus ipse futurus Praepositus prae-  
 „fatae Cathedralis Ecclesiae Nitriensis nonnisi in  
 „quantum nova post sui in Capitulum Nitr. praefa-  
 „tum ingressum aliqua fundarentur, participare de-

„bebit) annuam summam quinque mille florenorum  
 „hujusmodi, modalitate tamen in fundationalibus  
 „per eandem Mariam Theresiam Reginam Apostoli-  
 „cam expediendis uberius declarata; ita quod liceat  
 „eidem futuro dictae Cathedralis Ecclesiae Nitriensis  
 „Praeposito pro tempore existenti per se, vel alium,  
 „seu alios ejus, ac praefatae Praepositurae, per nos,  
 „ut praefertur, erectae nomine, ejusdem summae  
 „quinque millium florenorum hujusmodi, ut infra, at-  
 „tribuendae, et applicandae, veram, realem, et  
 „corporalem possessionem propria auctoritate libere  
 „apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo  
 „retinere, ipsamque summam annuatim percipere,  
 „exigere, levare, ac supportatis tamen prius omni-  
 „bus et singulis oneribus similes Praeposituras ejus-  
 „dem Hungariae Regni pro tempore obtinentibus de  
 „jure vel consuetudine incumbentibus, in suos usus  
 „et utilitatem convertere, Dioecesani loci, vel cujus-  
 „vis alterius licentia desuper minime requisita, ea-  
 „dem Apostolica auctoritate similiter perpetuo attri-  
 „buimus, et applicamus. Nec non ex ejusdem Epi-  
 „scopalis mensae Nitr. redditibus, sic ut praefertur  
 „dismembratis, aliam summam mille trecentorum et  
 „quingenta florenorum similium, pro infra scri-  
 „ptis tamen ratis, videlicet Lectori quadringentorum,  
 „ac Cantori trecentorum, ac Custodi ducentorum,  
 „cuilibet vero ex tribus Archi-Diaconis dilectis etiam  
 „respective Filiis modernis, et pro tempore existen-  
 „tibus ipsius Cathedralis Ecclesiae Nitriensis, centum  
 „et quingenta respective florenorum monetae hu-  
 „jusmodi, praeter Canonicam eorum respective por-

„tionem, dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo  
 „concedimus et assignamus; ea tamen lege, ut Be-  
 „neficia Ecclesiastica per eos respective antehabita,  
 „quae ut pariter accepimus, in exiguis Vineis, et  
 „agris consistunt, ad communem, ut dicitur, oeco-  
 „nomiam Capituli Nitriensis praefati adjungi debeant.  
 „Ac insuper dilecto quoque Filio moderno, et pro  
 „tempore existenti Notario, cui Archivi Capitularis  
 „ejusdem Cathedralis Ecclesiae Nitriensis cura con-  
 „credita est, pro eo, quod, ut etiam accepimus, ipse  
 „nullo gaudet fixo salario, ex praefatae mensae Epi-  
 „scopalis Nitriensis redditibus hujusmodi, ut praefer-  
 „tur, dismembratis, trecentos florenos monetae paris  
 „eidem Notario nunc, et pro tempore existenti an-  
 „nuatim suppeditandos pro suo annuo competenti  
 „salario, seu stipendio, Apostolica auctoritate prae-  
 „fata itidem perpetuo constituimus. Ut autem iidem  
 „moderni, et pro tempore existentes Capitulum, et  
 „Canonici dictae Cathedralis Ecclesiae Nitriensis ab  
 „onere subministrandi quotannis una cum Episcopo  
 „Nitriensi pro tempore existente mille octingentos et  
 „decem florenos similes in impensas, seu erogationes  
 „necessarias dictae Cathedralis Ecclesiae Nitriensis,  
 „utpote quae Dote minime competenti septingento-  
 „rum et sexaginta florenorum hujusmodi tantum, ut  
 „similiter accepimus, instructa existebat, relevari  
 „possint; atque ad evitandas proinde differentias,  
 „quae, ut pariter accepimus, inter Capitulum ac Ca-  
 „nonicos, et Episcopum Nitriensem, respective pro  
 „tempore existentes praefatos ea de re suboriri va-  
 „lerent: Nos propterea ex eisdem Episcopalis men-

„sae praefatae redditibus, ut praefertur, dismem-  
 „bratis, alios bis mille ducentos et quadraginta flore-  
 „nos dictae monetae favore ejusdem Cathedralis Ec-  
 „clesiae Nitriensis singulis annis in perpetuum sup-  
 „peditandos esse dicta Apostolica auctoritate decer-  
 „nimus, ita, ut per haec ipsius Cathedralis Eccle-  
 „siae Nitriensis dos praefata ad ter mille florenos  
 „hujusmodi in posterum annuatim ascendat. Quae  
 „quidem Dos sic numerata cujuslibet anni exordio  
 „moderno, et pro tempore existenti ipsius Cathedra-  
 „lis Ecclesiae Nitriensis Custodi praefato consignari  
 „debeat, ad hoc, ut ab ipso in Succentorem, ac  
 „duos Praebendatos, nec non musicam, aliasve dic-  
 „tae Cathedralis Ecclesiae Nitriensis necessitates im-  
 „pendatur, cum hoc tamen, quod in fine uniuscujus-  
 „que anni modernus, et pro tempore existens Cu-  
 „stos praefatus, de dictis Expensis, seu erogationi-  
 „bus per eum pro tempore factis, Episcopo Nitriensi  
 „pro tempore existenti praefato, aut Sede Episco-  
 „pali Nitriensi pro tempore vacante, eidem Capitulo  
 „et Canonicis dictae Cathedralis Ecclesiae rationem  
 „reddere teneatur. Cum insuper nobis innotuerit,  
 „quod propter amplitudinem Dioecesis Nitriensis,  
 „cui tredecim Parochiales Ecclesiae vigore dismem-  
 „brationis de illis a Dioecesi Strigoniensi, et earum  
 „respective unionis eidem Nitriensi Dioecesi nuper  
 „a nobis perpetuo respectively factarum accesserunt,  
 „et in qua aliae insuper Parochiales Ecclesiae forsitan  
 „in posterum erunt quoque erigendae; numerus tri-  
 „ginta Clericorum, qui, ut pariter accepimus, in di-  
 „cto Seminario Nitriensi, cum redditibus septem mil-

„lium trecentorum et viginti quinque florenorum hu-  
 „jusmodi tantum, comprehensis quoque artium Pro-  
 „fessoribus, aluntur, praeter alios Clericos in Semi-  
 „nario Ecclesiastico generali nuncupato Budensi, tan-  
 „tae huic Nitriensis Dioecesis praefatae amplitudini  
 „minime correspondere videtur; hinc praefatam Prae-  
 „posituram Dömössiensem ab Episcopali mensa Nitr.  
 „hujusmodi, ut praefertur, dismembratam, motu,  
 „scientia, et potestatis plenitudine similibus Metrop.  
 „Ecclesiae Strigoniensi, illiusque Capitulo eadem A-  
 „postolica auctoritate similiter perpetuo unimus, an-  
 „nectimus, et incorporamus, ea tamen conditione;  
 „ut dilecti pariter Filii moderni, et pro tempore exi-  
 „stentes Capitulum et Canonici dictae Metrop. Eccle-  
 „siae Strigoniensis, ex ipsius Praepositurae Dömös-  
 „siensis, ut praefertur, unitae, annexae, et incor-  
 „poratae redditibus tres Clericos pro Dioecesi Nitriensi  
 „praefata in eodem generali Seminario Budensi alere,  
 „eisque necessaria quaevis pro victu et vestitu (prae-  
 „ter tamen alios Clericos, qui in eodem generali Se-  
 „minario Budensi ex Foundationibus Nitriensibus actu  
 „manutinentur, et quorum numerus nullo sub prae-  
 „textu minuendus erit) a Die 1ma Mensis Novembris  
 „anni proxime praeteriti suppeditare teneantur, et  
 „quidquid post supra dictorum trium Clericorum sub-  
 „stantiationem, et manutentionem hujusmodi, ex  
 „ipsius Praepositurae Dömössiensis, ut praefertur,  
 „dismembratae, ac etiam, ut praefertur, unitae, an-  
 „nexae, et incorporatae redditibus, et proventibus re-  
 „siduum fuerit, id omne dilectis quoque Filiis mo-  
 „dernis; et pro tempore existentibus Archi-Diaconis

„dictae Metrop. Ecclesiae Strigoniensis, in compen-  
 „sationem Proventuum, quibus ipsi Archi-Diaconi  
 „praefatae Metrop. Ecclesiae Strigoniensis in dismem-  
 „bratione praefatae Strigoniensis Dioecesis, illiusque  
 „applicatione et incorporatione Neosoliensi, et Ros-  
 „naviensi Cathedralibus Ecclesiis, alias per Nos Apo-  
 „stolica auctoritate praefata erectis, illarumque Ca-  
 „pitulis eadem Apostolica auctoritate similiter per-  
 „petuo respective factis, juxta Decretum ipsius Con-  
 „gregationis Consistorialis sub Die decima tertia men-  
 „sis Martii anni Domini Millesimi septingentesimi  
 „septuagesimi sexti editum, et a nobis inde appro-  
 „batum caruerunt, cedere debeat. Ac praeterea ad  
 „hoc, ut in ipso Seminario Nitriensi Alumnorum  
 „numerus pro ejusdem Nitriensis Dioecesis amplitu-  
 „dinis ratione adaugeri possit, eidem Seminario Ni-  
 „triensi mille florenos similes ex ipsius Episcopalis  
 „mensae Nitriensis redditibus et Bonis, ut praefertur  
 „dismembratis, ejusdem Seminarii Nitriensis Admi-  
 „nistratoribus pro tempore existentibus, per pro-  
 „tempore existentem Episcopum Nitriensem praefa-  
 „tum, seu illius Sede Episcopali pro tempore etiam,  
 „ut praefertur, vacante, per ipsius Episcopalis men-  
 „sae Nitriensis Administratores etiam pro tempore  
 „existentes, quotannis persolvendos Apostolica au-  
 „ctoritate praefata itidem perpetuo adjicimus, et ap-  
 „propriamus. Ulterius quoque, ut sex Parochi eme-  
 „riti, ac senio confecti dictae Nitriensis Dioecesis  
 „pro tempore existentes, manuteneri valeant, motu,  
 „scientia, et Potestatis plenitudine paribus statuimus,  
 „ut pro hujusmodi manutentionis Fundatione ex eis-

„dem Episcopalis mensae Nitrien. redivibus, ut prae-  
 „fertur dismembratis, mille et quinquaginta floreni  
 „dictae monetae praefatis sex pro tempore existenti-  
 „bus, senio confectis, et emeritis Parochis dictae  
 „Nitriensis Dioecesis perpetuo annuatim assignentur,  
 „et respective persolvantur. Ac postremo, ut tam  
 „pia dictae Mariae Theresiae Reginae Apostolicae  
 „mens, ad Orthodoxae Religionis incrementum sem-  
 „per intenta, praefataque illius dispositio suum, ut  
 „praefertur, cum stabilitate sortiatur effectum, supra  
 „dictum Dominium Szkacsán, ut praefertur, nun-  
 „cupatum, ab ipsa Episcopali mensa Nitrien. etiam  
 „ut praefertur, dismembratum, pro fundo supra di-  
 „ctarum erogationum dicta Apostolica auctoritate  
 „perpetuo quoque constituimus, et destinamus, ipsum-  
 „que Dominium administrationi eorundem moder-  
 „norum et pro tempore existentium Capituli et Ca-  
 „nonicorum dictae Cathedralis Ecclesiae Nitriensis  
 „Apostolica auctoritate praefata similiter perpetuo  
 „tradimus et resignamus, ac respective cum Bonis  
 „praefatorum Capituli et Canonicorum dictae Cathe-  
 „dralis Ecclesiae Nitriensis etiam perpetuo adjungi,  
 „et incorporari motu, scientia, et Potestatis plenu-  
 „dine similibus mandamus, eo tamen pacto, ut ex  
 „residuis quadringentis et quinquaginta septem flo-  
 „renis monetae paris, iidem moderni, et pro tempore  
 „existentes Capitulum et Canonici dictae Cathedralis  
 „Ecclesiae Nitriensis fortuitis casibus cavere, atti-  
 „ctasque expensarum Rubricas eorum periculo prae-  
 „stare teneatur. Decernentes easdem praesentes sem-  
 „per, et perpetuo validas et efficaces esse, et fore,

„suosque integros et plenarios effectus sortiri et ob-  
 „tinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos nunc  
 „spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, in  
 „futurum firmiter et inviolabiliter observari debere.  
 „Volumus autem, quod in Exequutorem, pro Exe-  
 „quutione tantum earumdem praesentium, dilectus  
 „pariter Filius noster, et Sedis Apostolicae praefatae  
 „Nuncius in Civitate Viennensi Austriae commorans,  
 „cum facultate subdelegandi deputetur. Nulli ergo  
 „omnino hominum liceat. Datum Romae apud S.  
 „Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo  
 „septingentesimo septuagesimo nono, quinto Idus  
 „Junii Pontificatus nostri anno quinto.“

### §. 64.

LXII. *Antonius II.* e Comitibus Revay: natus anno 1718, absolutis Tyrnaviae Studiis humanioribus, et philosophicis, Clero Strigoniensi adscriptus, Viennae in Collegio Pazmanaeo theologicis operam navavit. Theologorum studiorum curriculum non plene emensus Praepositus de Rátoth; brevi postea ab Archi-Episcope et Primate Emerico Eszterházy anno 1743 in Collegium Canonorum Poseniensium cooptatus, anno insequente, cum C. Franciscus Zichy ad Jaurinensem Pontificatum. esset provectus, Praepositus Vág-Újhelyiensibus datus fuit, quam Praeposituram sex supra triginta annos usque annum 1780 tenuit. Intra hoc tempus non solum Canonici Strigoniensis, et Archi-Diaconi Sasvariensis honoribus, sed Corczolensis etiam Episcopi Dignitate ornatus

fuit anno 1752. Biennio post ab. Archi-Episcopo Strigoniensi Nicolao Csáky Millevitanus Episcopus consecratus, ejusdemque Archi-Episcopi in obeundis Pontificalibus suffraganeus constitutus. Postquam anno 1776 Rosnaviae nova Sedes Episcopica fuisset erecta, Revayus primus ejus Antistes fuit nominatus. Quadriennio fere illi novellae Ecclesiae praefuit; quam bonum in ordinem redigere, huncque editis salubribus statutis conservare, sollicita cura studuit, quum anno 1779 desinente per Augustam Mariam Theresiam ad vacantem a morte Gusztinyii Cathedram Nitriensem est translatus, anno 1780 Kal. Octob. Romae confirmatus, ac Die 15ta Novemb. ejusdem anni in suam Ecclesiam solemniter introductus. Erat in Antonio Episcopo innocentia vitae singularis; erat cum gravitate summa, conjuncta comitas; maxima in Deum pietas, et peculiaris erga magnam Matrem, Deiparam Virginem Devotio. Dum Pius VI. P. ad invisendum Imp. Josephum II. Viennam venit; caeteros inter Hungariae Praesules accurrit etiam Antonius, summum Ecclesiae Caput coram veneraturus; in Consistorio quod Pontifex cum Hungariae Episcopis celebravit, particeps earum laudum, quas summus Pontifex et viva voce, et scripto illis tribuit. Memoriam sui reliquit structa Parochiali aede decora in Bono Episcopatus Radossnae, et Nitriae aedificatis Scholis, quas Normales vocant. Plura moliri breve Regimen praepedivit. Nam postquam Ecclesiae Nitriensi praefuisset annis tribus, totidemque mensibus, repentino apoplexiae ictu die 26ta Decem. anno 1783 in Mocsonok Diem suum obiit; 2da Jan. 1784 in Ca-

thedrali sua sepultus. A morte illius Ecclesia Cathedralis accepit Calicem majorem, cum patena, argenteum eleganti labore filigrano obductum, lapidibus bohemicis, et sex icunculis e Passione Domini ornatum. Item Casulam ex materia auro divite, intextis floribus aureis, et argenteis, cum simili Pluviali, et Dalmaticis: aliam insuper in medio auream, et lateribus argenteam, per totum floribus aureis, in medio argenteis acu phrygia pictam, et lamellis aureis uvas referentibus, nec non gemmis orientalibus Nro 85. ornata, suis cum appertinentiis. Aerario vero Ecclesiae ex relictis absque Testamento substantia augmentum Dotis accessit.

### §. 65.

LXIII. *Franciscus III.* Xaverius Fuchs: primam lucem aspexit in vico Comitatus Mosoniensis Páhrendorf dicto, Die 24ta August. 1744: tenellus sacrata intra limina montis Pannoniae educabatur, et ad omnem Pietatem, virtutemque instituebatur. Studiis humanioribus absolutis Clericum induit pro Archi-Dioecesi Strigoniensi in Seminario S. Stephani Tyrnaviensi: cum laude terminatis illuc philosophicis, theologia absolvit Budae Szétsényiani Seminarii Alumnus, Laurea, honoreque Doctorali cum in philosophicis, tum in theologicis ornatus. Anno 1768 suscepto Sacerdotio, per omnes officiorum Ecclesiasticorum gradus pertranseundo, propriis virtutum meritis ad summum Sacerdotium proventus. Coepit operari Strigonii a subsidiarii Sacerdotis, sive Coo-

peratoris officio : mandato dein Superiorum apud familiam Comitum Andrásy Educatoris munus in se recepit; anno 1773 in Parochia Szomoriensi zelosus animarum Curator plures ad Catholicae Ecclesiae sinum revocavit: tradendae simul in Academia Budensi post abolitam Societatem Jesu Philosophiae admotus, Logicam et Metaphysicam cum laude docuit usque annum 1780. Voluntate demum viri praestantissimi Episcopi suffraganei et Strigoniensis Vicarii Ladislai Luzénszky, Cancellarii et Secretarii Vicarialis officium gesserat, ea solertia, suiue commendatione, ut vigilantissimi Archi-Praesulis sui Josephi Cardinalis Batthyánii oculos haud effugerit, tantique in se viri benevolentiam converterit. Itaque insignium virorum sollicitus conquisitor Xaverium suos inter familiares retulit, et demandata illi Tabularii cura, delatoque Secretarii officio; mox eundem anno 1783 in Posoniense Sacerdotum Canonicorum Collegium, et anno vix exacto in Sacrum Strigoniensis Ecclesiae Senatum intulit, sibiue ad Latus operaturum delegit. Quanta cum solertia, et accuratione, quantaque cum summi viri approbatione, magnam negotiorum ejus partem in se suscepit, tractaverit, quantaque cum felicitate expediverit, manifestavit luculentissime Batthyánius, cum illum Caesari Josepho II. pro Episcopali Cathedra Nitriensi, quae a morte Revayi vacua fuit, impensissime commendavit. Ad hanc Sedem Die 21ma Aug. 1787 proventus, Romae 14ta Martii 1788 confirmatus, Die 13tia Aprilis anni hujus in Collegiata ad S. Martinum Ecclesia Posonii per Batthyánium Cardinalem consecratus, Die 20ma Apr.

ejusdem anni in Ecclesiam suam Cathedralem solemniter fuit introductus. Erat Franciscus Antistes raris animi Dotibus instructus, ad summas quasque res, incredibili facilitate tractandas, expediendasque formatus, diligentiae indefessae, qui pro actionum suarum regula habuit: *serio, aut nihil. Maledictus, qui facit opus Dei negligenter*: atque hoc etiam tota sua vita expressit, qui nihil actum putabat, quamdiu aliquid agendum superesset. Ut primum ad Sedem suam accesserat, totus in id incubuit, ut si quae Ecclesia sua per tempus vacationis inevitabilia, et quasi propria viduitatis damna passa esset, pronis auxiliis sarcirentur; peragrata, et perlustrata Dioecesi, non tantum Confirmationis Sacramentum a pluribus annis intermissum, innumerabili multitudini administravit, verum etiam in cunctas comissi Gregis necessitates spirituales sollicite indagavit, ut his opportunam adferret medelam, neque ab hac Lustratione, Paraeciarumque visitatione singulis annis obeunda, dum vires, valetudoque suppetebant, deinceps destitit. Disciplinae Ecclesiasticae, qua instaurandae, qua tuendae et conservandae studiosissimus, salutare regulas, et statuta conscripsit, et Clero suo praescripsit. In educationem junioris sui Cleri intentus, Seminarii sui peculiarem curam gessit. Hoc animo, ut illic Adolescentes prima vitae Ecclesiasticae officia, et morum modestam quamdam concinnitatem, honestique ac decori leges condiscant, Introductionem in Tyrocinium vitae Ecclesiasticae et Institutiones Episcopalis ad S. Ladislaum Seminarii dedit. In eodemque tenuitatem fundatio-

nis liberalitate sua supplevit. Profusam suam liberalitatem factis quam plurimis comprobavit. Hanc loquuntur Ecclesiae a fundamentis structae, aut restauratae, in Lakácsy, Driethoma, Széplák, Valaszka-Bela, Láaz, Bodogh, Mitticz, Daráss, ubi, arcanorum Dei Consiliorum inscius, sepulturae locum sibi delegerat, pararique jusserat, nihil de futura ad aliam Ecclesiam translatione cogitando. Loquuntur aedes Parochiales ab illo eductae in Ardanócz, Lieszko-Moravicali, Negyed, Driethoma, Mocsonok, Üregh, Daráss, Zsére, Csápor: plures etiam Scholares aedes et pauperum Domicilia, Xenodochia Nitriae, in Mocsonok, Radossnae, in Krakovan aedificata, liberaliterque dotata. — Luculento etiam piae liberalitatis argumento sunt praeter ea, quae Ecclesiis pauperioribus Dono dedit, Sacram suppellectilem, Calices, Campanas, alia, multae illae foundationes, quas in Páhrendorf loco suo natali, in Szomor, ubi Pastorem animarum curam gesserat, in Daráss, quorsum Parochum induxerat; item pro pauperibus Parochis Laazensi, Szúlyoviensi, Moravo-Lieszkovieni, Zay-Ugroczeni, Valaszka-Belensi fecit. Ecclesiae suae Cathedralis Turrim cupro contexit, in eaque horologium posuit, quod post singulos quadrantibus horam repetit. In duobus Collegiis Patrum de Scholis piis Nitriae, et Trenchinii votivam Missam, uti et in Ecclesia sua Cathedrali fundavit. Capitulo suo emtam ab se Domum, decoreque restauratam, cum Dote pro ea conservanda in beneficium Altariae Xaverianae donavit. Mex ab adito Episcopatu pauperes Nobiles Adolescentes Gymnasialibus studiis operam na-

vantes, minimo numero duodecim in Domo sua, habitatione, victu, amictu, omnique litteraria suppellectile providit: serius dum Agriam translatus fuerat, pro 12 Adolescentibus penes Gymnasium Nitriense foundationem pro Scholasticis stipendiis posuit; nec alterius sexus immemor, pro quatuor Nobilibus pauperiorum Parentum Puellis in Asceterio Monialium Divae Ursulae Tyrnaviae educandis foundationem fecit. Maximam Praesulis hujus liberalitatem, Religionisque zelum testatur illud, quod cum per sparsos undique libros perversos, morum depravatio, et Irreligiositas propagari coepisset, Franciscus Xaverius salubri Consilio, eodem medio per melioris notae libros depravationem sistendi, melioraque principia dilatandi, et contraria contrariis curandi, libros et numero plurimos, et argumentorum varietate multiplices, et rerum utilissimarum Copia refertos, ingenti sumtu typis publicis edi, et exemplaria operum luce publica donatorum, levi calculo centum et amplius millia efficientia, rite compacta, per universum, qua late patet, Regnum Hungariae, atque ad ipsam adeo Transylvaniam et Croatiam, gratuito distribuenda dimiserit. Pro suorum in Episcopatu Nitriensi Successorum comoditate et utilitate, viam ad Arcem Nitriensem comodiorem, amplioremque aperuit. Episcopium ipsum, veteri squalore depulso, magnis sumtibus splendidius reddidit. In villis Episcopalibus Mocsonok, Radossnae, Kosztolnae aedes restauravit, renovavit, adjectis hortiâ ampliavit. Illi in Bonis Episcopalibus oeconomiam, cujus peritissimus fuerat, in meliorem ordinem redactam, adau-

ctam, aedificiis oeconomicis debite instructam Successores in acceptis habent referendam. Quamvis industria sua oeconomica Xaverius redditus mensae suae non modicum adauxerit, nunquam tamen, recondito aere dives, illud mox in optimos pios fines, pauperumque sublevamen consecravit. Praefuit Dioecesi Nitriensi ad annum 1804. Interfuit pluribus Regni Comitibus, quorum Decreta in Corpore Juris continentur, quibus insertus est; art. 68. 1791 constitutus Commissarius ad reambulandos limites inter Hungariam, et Austriam, quod opus etiam feliciter consummavit. Anno 1803 ab Augusto Caesare et Rege Francisco, quem nuperrime, hujus anni 1835 mensis Martii Die 2da ingenti cum Dolore, nobis ereptum, lugemus, Capitularibus Canonicis suis Crucem octangularem e ligula violacei Coloris de Collo pendentem, impetravit, harum vigore, et testimonio literarum:

„Nos Franciscus secundus Dei Gratia Electus  
 „Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniae, Hungariae etc. Rex Apostolicus etc. Memoriae  
 „Commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis: Qualiter Nos benigno et  
 „grato animo revolventes, quam salutare atque decorum sit, quantumve stabiliendis et firmandis Regnorum Nostrorum Imperiis expediat in augendum  
 „atque ampliandum Orthodoxae Religionis Bonum  
 „promptissima quaeque conferre studia, quo et Posteritas laudabilia Praedecessorum suorum vestigia  
 „conspiciendo, ad parem virtutum prosecutionem erecta, Gloriam hanc quasi simulacrum prae oculis

„habere possit: — Quocirca nihil unquam antiquius,  
 „nihil magis in votis habuimus, quam Cultum Divi-  
 „num quaqua ratione promovere, et eos, qui in Ec-  
 „clesiis Deo jugiter famulantur, pro majori fidelis  
 „Populi aedificatione distinctis honoribus et orna-  
 „mentis exornare, condecorareque. Quod ipsum  
 „Majestatem Nostram erga humillimas preces Vene-  
 „rabilis Capituli Nitriensis, medio Dioecesani sui E-  
 „piscopi Nitriensis Fidelis quippe Nostri nobis sin-  
 „cere dilecti Reverendi Francisci Xav. Fuchs Actu-  
 „alis intimi Status Consiliarii Nostri de eo demisse  
 „exhibitas, induxit; ut eidem Capitulo Cathedralis  
 „Ecclesiae Nitriensis ex reflexione meritorum, quae  
 „idem, velut ante tempora S. Stephani Regis jam  
 „praeexistens, et nonnisi a S. Stephano Proto-Regē  
 „Apostolico anno Millesimo sexto in tenuis subsisten-  
 „tiae suae supplementum dotatum, adeoque inter an-  
 „tiquissima Regni Capitula numeratum, sub conti-  
 „nuis homagialibus obsequiis pro exigentia circum-  
 „stantiarum omni occasione sibi comparavit, pecu-  
 „liari quoque signo, seu honore exornetur. Ut pro-  
 „inde devotus in Ecclesias Dei, propensusque in ea-  
 „rum Ministros animus Noster eo magis eluceat, et  
 „hac ratione alii quoque ad propagandum Cultum Di-  
 „vinum exstimulentur; ex plenitudine Potestatis No-  
 „strae Regiae, quam ut Rex Hungariae Apostolicus  
 „exercemus, eidem Capitulo Nitriensi id Clementer  
 „indulgendum, et concedendum esse duximus; ut  
 „actuales ejusdem Capituli Canonici moderni, et  
 „Successores, signum de Collo dependens palam, pu-  
 „bliceque gestare possint, ac valent; signum vide-

„licet, sive Crucem octangularem ad formam Meli-  
 „tensis superioribus sui partibus incisam, infuso vio-  
 „laceo colore, striisque parallele ad incisionem du-  
 „ctis conspicuam, auro reductam, ac latiori margine  
 „viridi colore enchausta, et pariter nobiliori metallo  
 „reducta decoram, cujus Centrum in orbis figuram  
 „locatum, aureisque quercinis foliis inter brachia  
 „Crucis concinne eminentibus ornatum, in antica  
 „quidem parte Divum Hungariae Proto-Regem S. Ste-  
 „phanum viridi elevatiori solio insidentem, et acce-  
 „dentem tribus Canonicis Chartam inscripto anno  
 „1006 tradentem, cum hacce inter binos aureos cir-  
 „culos in candida circumferentia atris Romanis Lit-  
 „teris scripta Epigraphe: „S. Stephanus Rex Do-  
 „tator Capituli Nitriensis“ refert, in postica  
 „vero viridi Crucis parte primas, seu initiales Augu-  
 „stissimorum Nostri, dilectissimaeque Consortis No-  
 „strae Nominum inter se complexas aureas Litteras  
 „FS. MT. cum Epigraphe: „Bene merita e anti-  
 „quitate 1803“ ad eum quo in antica parte modum  
 „inserta exhibet. Signum itaque hocce, siye Crucem,  
 „praevia ratione circumscriptas figuras repraesentan-  
 „tem, de Clementia et Benignitate Nostra Regio-A-  
 „postolica gestabunt Canonici Ecclesiae Cathedralis  
 „Nitriensis futuris quibusvis temporibus e serico vio-  
 „lacei Coloris ligamine, et huic implexa Corona Re-  
 „gni Nostri Hungariae, superius descriptam Crucem,  
 „sive signum ex aureo annulo sustentura. Quemad-  
 „modum haec omnia in principio seu Capite Prae-  
 „sentium Litterarum Pictoris edocta manu propriis  
 „et genuinis suis Coloribus depicta ob oculos intuen-

„tium lucidius posita esse conspicerentur, eidem Ca-  
 „pitulo Cathedralis Ecclesiae Nitriensis benigne im-  
 „pertiti sumus et contulimus, Annuentes, et con-  
 „cedentes; ut actuales Capituli hujus Canonici a modo  
 „in posterum futuris et perpetuis semper temporibus  
 „eodem signo de Collo dependente ex benigno In-  
 „dultu Nostro, Gratiæque Nostra speciali, ac cle-  
 „menti Annuentia uti semper possint, ac valeant.  
 „Imo indulgemus, annuimus, et concedimus, imper-  
 „timurque et confirmamus harum Nostrarum secreto  
 „sigillo Nostro, quo ut Rex Hungariae Apostolicus  
 „utimur, in pendentis communitarum vigore et Testi-  
 „monio Litterarum. Datum per manus Fidelis No-  
 „stri Nobis sincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Co-  
 „mitis Josephi Erdódy de Monyorókerék, Montis  
 „Claudii, et Comitatus Varasdinensis Perpetui Comi-  
 „tis, prout et Arcis, Civitatisque ejusdem nominis  
 „Haereditarii Capitanei, Camerarii, Consiliarii que  
 „Nostri Actualis Status Intimi, per Regnum Nostrum  
 „Hungariae Janitorum Regalium Magistri, Comitatus  
 „Nitriensis Supremi Comitis, et Pro-Cancellarii No-  
 „stri Regii Hungarico-Aulici in Archi-Ducali Civitate  
 „Nostra Vienna Austriae Die duodocima Mensis Au-  
 „gusti, Anno Domini 1803.“

Dum Imperator et Rex Franciscus amplissimam  
 Dioecesim Agriensem a morte praeclarissimi Antistiti-  
 tis Caroli C. Eszterházy Praesule destitutam, dis-  
 membrare, erectisque novis duobus Episcopatibus  
 Cassoyiensi, et Szathmariensi, Agriensem ad Digni-  
 tatem Metropolitanam sublimare, evehereque, cum  
 assensu Summi Pontificis Pii VII. in animum induxit;

primus Archi-Episcopus Agriensis, et Provinciae Hevessiensis cum exteriori Szolnok articulariter unitae Supremus, ac Perpetuus Comes renunciatus fuit Franciscus Xaverius anno 1804; cum dolore a Nitriensibus dimissus; 15ta Nov. anni ejusdem ad Metropolitanam Ecclesiam introductus, cui duobus solum annis, et octo mensibus, carne infirma, sed spiritu promptus, praefuit. Tanta nihilominus sunt, quae intra breve hoc tempus pro utilitate illius Ecclesiae constituit ac perfecit, ut videatur explevisse tempora multa; tamque illustra reliquit monumenta, quae Archi-Praesulis nomen aeternitati consecrabunt: sed haec percensere non est hujus loci. Quidquid a fati remanserat, quod in coelestes thesauros manus pauperum non deportassent, supremæ voluntatis tabulis ita distribuit, ut in Diocesis bonum, in egenorum levamentum, in Parochorum qui maxime indigerent, et Ludimagistrorum, ne pro Prolium Institutione laboris mercedem exigent, subsidium converteretur. Nec Ecclesiae Nitriensis oblitus, eidem Crucem Pectoralem e Smaragdis cum annulo et aurea Catena legavit. Anno 1807 Die 27a Junii Diem suum obiit: 1a Julii in Crypta Metropolitanae Ecclesiae sepultus.

### §. 66.

LXIV. *Josephus I. Kluch* natus Znyo-Várallyae in Comitatu Thurocziensi Die 30ma Martii 1748, adlectus Clero Strigoniensi anno 1765. Sacerdotio initiatus 1771 et mox in Seminario generali Tyrnaviensi Cleri junioris Studiorum Praefectus; suppressa So-

cietate Jesu 1773 in Universitate Tyrnaviensi Professor Philosophiae moralis, et in Ecclesia abolitae Societatis Jesu Concionator hungaricus, et insequente Seminarii Vice-Rector factus; postea anno 1777 officii Vicarialis Secretarius et Notarius creatus. Anno dein 1779 in Parochum Nagy-Ölvediensem, et Districtus Strigoniensis trans-danubiani V. Archi-Diaconum nominatus. Exactis in Parochia annis sex per Josephum Cardinalem Batthyánium anno 1786 Sacratiori Collegio Canonicorum Strigoniensium adscriptus. Dum princeps Ecclesia Strigoniensis ab obitu Cardinalis Batthyáni diutius suo destituta fuisset Archi-Praesule, Josephus electione Fratrum suorum Canonicorum anno 1806 in Capitularem Vicarium delectus, anno sequenti 1807 titulo et honore Bosonensis electi Episcopi ornatus, atque per neo-nominatum Archi-Episcopum et Primatem, Regium Principem Carolum Ambrosium in officio Vicarii confirmatus, non tamen diu illo defunctus est: quia mox sequente anno 1808 Cathedram Episcopalem Nitriensem, quae a Francisci Xaverii Translatione Agriam vacua fuerat, consecutus: consecutus autem pluribus oneribus gravatam Nam mox post translationem Fuchsii reditus Episcopatus, per Praepositurae Dömössiensis, et Domini Szkacsán avulsionem (§. 63.) jam diminuti, per homines Camerae Regiae conscripti, et juxta hanc Conscriptionem regulati, oneraque, quae in futurum per Episcopos Nitrienses ferenda essent, determinata fuerunt. Tenor B, Collationalium sic habet:

„Nos Franciscus Primus, Divina Favente Clementia Austriae Imperator, Hierosolymae, Hunga-

„riae etc. Rex Apostolicus etc. Memoriae commenda-  
 „mus tenore praesentium significantes quibus expe-  
 „dit, universis: Quod Nos tum pro ea, qua in con-  
 „stituendis legitimis Ecclesiarum Dei Pastoribus te-  
 „nemur cura, et sollicitudine, cum vero benignam  
 „habentes Reflexionem ad praeclaras Virtutes, et  
 „Qualitates, Doctrinam item, et Eruditionem, nec  
 „non gratam, et acceptam exemplaris vitae Conversa-  
 „tionem, caeterasque eximias animi Dotes Fidelis  
 „Nostri Nobis dilecti Reverendi Josephi Kluch, Ele-  
 „cti Episcopi Bosonensis, Metropolitanae Ecclesiae  
 „Strigoniensis Canonici, Archi-Diaconi Comaromien-  
 „sis, nec non per Archi-Dioecesim Strigoniensem in  
 „Spiritualibus Vicarii, et Causarum Auditoris Gene-  
 „ralis Capitularis, quibus ipsum insignitum, et orna-  
 „tum esse e fidedigna nonnullorum fidelium Nostro-  
 „rum Relatione benigne cognovimus; cum igitur ob  
 „id, tum vero in Clementissimam sumentes Reflexio-  
 „nem navatam Ejusdem, tam in cura animarum,  
 „quam in dicto Capitulo Metropolitano Strigoniensi,  
 „prout et in conspicuo Vicariali Capitulari officio,  
 „quod hucdum plena cum satisfactione gessit, inde-  
 „fesso cum zelo, singularique Dexteritate, operam,  
 „atque hac ratione cumulata, quae sibi a longa anno-  
 „rum serie procuraverat, distincta Merita; Eundem  
 „Josephum Kluch tanquam Personam idoneam, et  
 „de Ecclesia Dei insigniter meritam, Nobisque hoc  
 „Nomine gratam, et acceptam, ad Episcopatum Ni-  
 „triensem, per Promotionem Reverendi Francisci  
 „Xaverii quondam Fuchs modofati Episcopatus ulti-  
 „mi, veri, ac legitimi Possessoris ad neo-erectum

„attunc per Nos Archi-Episcopatum Agriensem, de  
 „Jure, et de facto vacantem, Authoritate Juris Pa-  
 „tronatus Nostri Regii, quod generaliter in conferen-  
 „dis omnibus praedicti Regni Nostri Hungariae, Par-  
 „tiumque eidem adnexarum Ecclesiis, et Beneficiis  
 „instar divorum quondam Hungariae Regum, Prae-  
 „decessorum videlicet Nostrorum gloriosae Remini-  
 „scentiae optimo Jure habere, et exercere dignosci-  
 „mur, promoverimus, et nominaverimus, eundem-  
 „que Episcopatum Nitriensem cum omnibus Castris,  
 „Castellis, Oppidis, Villis, Praediis, ac Possessioni-  
 „bus, et cunctis aliis pertinentiis, Bonisque, et Ju-  
 „ribus possessionariis ubivis, et in quibuscunque re-  
 „petiti Regni Nostri Hungariae Comitatus habitis,  
 „et existentibus, quae ad eundem Episcopatum de  
 „Jure, et ab antiquo spectant, et pertinere debent,  
 „ea tamen expressa cum Declaratione: ut ipse per  
 „Nos neo-nominatus Episcopus Nitriensis praeter Pa-  
 „tronatus, aliaque concomitantia onera, alioquin in  
 „Regulatione ad Calculum sumenda, e Proventibus  
 „ejusdem Episcopatus per Cameralem Conscriptionem  
 „erudendis, et per subsequituram Regulationem beni-  
 „gne defigendis, quidquid ultra Quadraginta mille  
 „florenos velut congruam per Nos jam normaliter de-  
 „terminatam superfuerit, illud in conformitate inter-  
 „venturae Regulationis, partim Fundo Religionario  
 „pro destinatis per Nos finibus, partim autem Cas-  
 „sae fortificatorii exacte quotannis semestraliter in-  
 „ferre teneatur, sitque obstrictus; cum omnibus cae-  
 „teroquin aliis ejusdem Episcopatus quocunque no-  
 „mine vocitandis obventionibus, et utilitatibus, prae-

„rogativis, et Immunitatibus Eidem Josepho Kluch  
 „clementer dandum duximus, et conferendum; imo  
 „nominamus eligimus, damusque, et conferimus prae-  
 „sentium per vigorem. Reservantes de reliquo Nobis,  
 „et Successoribus Nostri Hungariae Regibus Jus om-  
 „nia in Capitulo Beneficia Ecclesiastica et Canoni-  
 „catus conferendi, admissa dumtaxat antelato Epi-  
 „scopo in casu singulae vacantiae pro tali supplenda  
 „in conformitate editarum superinde per Nos alia-  
 „rum benignarum Resolutionum idoneorum subjecto-  
 „rum candidature, et Nobis demissa Praesentatione,  
 „absque tamen omni Nostri, Successorumque No-  
 „strorum ad hanc Praesentationem restrictione. Quo-  
 „circa Vobis Fidelibus Nostri Honorabilibus Prae-  
 „posito Majori, Lectori, Cantori, Custodi, caeteris-  
 „que Canonicis, et Beneficiatis, universisque ejus-  
 „dem Dioecesis Clericis, et Religiosis harum serie  
 „firmiter praecipientes, committimus, et mandamus,  
 „quatenus a modo in posterum antelatum Josephum  
 „Kluch pro Vestro vero, legitimo, et indubitato E-  
 „piscopo et Praelato habere, tenere, et recognoscere,  
 „Eidemque debitam Reverentiam, honorem, et obe-  
 „dientiam, prout bonos, et pios Ecclesiae Ministros  
 „decet, praestare, et exhibere, Eidemque parere,  
 „obtemperare modis omnibus debeatis, et teneamini,  
 „secus non facturi. Praesentibus perlectis, Exhibenti  
 „restitutis. Datum per Manus Fidelis Nostri Nobis  
 „sincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Comitis Jo-  
 „sephi Erdödy etc. in Archi-Ducali Civitate Nostra  
 „Vienna Austriae Die 29na Mensis Aprilis Anno Do-  
 „mini 1808.“ — Ex superinducta Regulatione, flo-

renorum quadraginta septem mille tercentorum ad Fundum Regulationalem; et flor. novem mille septingentorum pro Taxa fortificatoria annue solvendum obligatione eidem, ac ejusdem in Episcopatu Successoribus fuit imposita.

Josephus in Episcopum Nitriensem renunciatus, eodem anno 17ma Julii a Sede Apostolica confirmatus, Die 28va Aug. per Archi-Episcopum Carolum Ambrosium consecratus ipso illo tempore, quo Regni Comitia Posonii habebantur, in quibus adversus ambitiosum hostem, multis victoriis tumidum belli subsidia parabantur; ad quae novus Antistes Nitriensis non verbo tantum, sed opere et facto Symbolam non modicam contulit. Cumque ea temporum Calamitate primam Regni Cathedram, Carolo Ambrosio Principe Regio post breve regimen extincto, diutius vacare contigisset, autoritate Apostolica, annuente etiam Rege Apostolico, revisio Causarum Fori Primatialis Josepho Episcopo fuit credita. Etsi vero toto, quo Nitriensibus praefuit tempore, arthriticis, articulorumque Cruciatibus, quos patientissime toleravit, torqueretur, ille tamen semper, inter acutissimos etiam dolores cuncta disposuit, et sapientissime disposuit, nihilque eorum, quae ad Episcopale pertinebant officium, praetermisit, ut potius animi sui delicias in perarduis Praesulum officiis exequendis quaesivisse videatur. Vix dum tantisper sublevabatur a morbo, festinabat ad labores, festinabat ad omnem, qua late porrigitur, Dioecesim invisendam: asperas quantumvis, et impervias ejus oras adibat, imbecillitatem corporis compensans robore spiritus; non fucatae Pie-

tatis, non fatigabilis zeli, non interiturae munificentiae vestigia ubique relinquens. Inter morbos Sacramenta Confirmationis et Ordinis alacriter administravit, functionesque caeteras Episcopales Ipse peragebat. Munificentissimus Praesul omnia sua ad majorem Dei gloriam, cultusque Divini ac aedium Sacramentorum decorem; ad rectam Juventutis utriusque sexus institutionem; ad virorum, ac Virginum Deo Sacramentorum opem; ad egentium omnis conditionis auxilium; ad aegrotorum medelam; ad subditorum sublevamen; piosque ac sanctos fines convertit. Ecclesiae suae Cathedrali pretiosum Pontificalem apparatus ex materia argentea, auro intexta, multis florenorum millibus procuratum donavit. In ea votivam Missam liberaliter dotatam, et diviso amplissimo Archidiaconatu Trenchiniensi, novum Archidiaconatum Solnensem cum consensu Regio fundavit. Capitulo suo praeter largam pro administratione fundationum suarum remunerationem, in beneficium Altaris SS. Josephi, et Joannis Nep. Domum per se magno sumtu erectam, et instructam cum munifica Dote reliquit. Pro nova Basilica Strigoniensi, penes quam Canonicatum, cum Archidiaconatu Comaromiensi tenerat, 24000. florenor. et pro ejus Dote mille aureos contulit. Parochiam in Episcopali Praedio Vogyerad, erecta Ecclesia, Parochia, et domo Scholari, fundavit, et dotavit. In extruendas, ampliandas, reparandas, et suppellectile Sacra providendas Ecclesias; in erigendas, aut reparandas aedes Parochiales et Scholares, ingentes summas erogavit. Pro adferenda illis Parochis, et Ludimagistris ope, qui inter

**numerosiores alterius Confessionis incolas degunt, aut cum egestate ob exilem Dotationem conflictantur, notabiles fundationes constituit. Apud FF. Misericordiae, et Moniales S. Elisabeth Posonii; ita etiam in Surdo-mutorum Instituto Vacii, numerato ubivis capitali, disposuit, ut si qui essent, de Dioecesi Nitriensi seu aegri, seu surdo-muti ad haec Instituta recipiantur. Seminarii, in quo Clerus junior educatur, inopiae largissime succurrebat; ibidem in Sacello Missas celebrandas fundavit. Pro studiosa Juventute, ex qua dum vixit, annis singulis plures suis sumtibus educari curaverat, duodecim stipendia, quodlibet per 25 nummos aureos, pro totidem Adolescentibus; et praeterea pro viginti quatuor pauperioribus studiosis penes Dioecesana Gymnasia studiis operam navantibus per sexaginta flor. manuale stipendium constituit; relicta etiam non mediocri summa in Capitale locata, pro tenerae Pubis Scholas vernaculas in quibuslibet Paraeciis frequentaturae libellis scholasticis, et praemiis Catecheticis. Item pro septem Nobilibus Puellis Dioecesanis in asce-terio Monialium Divae Ursulae Tyrnaviae educandis: prout etiam pro decem nubilibus pauperioribus Puellis Civilis conditionis sese Pietate, et morum Integritate distinguentibus, fundationem posuit, ex qua subsidium pro vestibis nuptialibus accipiant. Subditorum quoque in Bonis Episcopatus degentium haud oblitus, his partem substantiae a Legatis remansurae, per ultimae voluntatis Tabulas destinavit, ut inde juvarentur illi, qui damna aliqua casibus adversis paterentur. Sunt praeterea haec alia plura, quae**

memoriam Kluchii Episcopi apud Nitrienses faciunt immortalem. Praefuit Ecclesiae Nitriensi annis undeviginti. Anno 1826. expirante, ultima videlicet Die mensis Decembris anni illius in Mocsonok mortuus; per Episcopum Magno - Varadinensem, brevi postea Illius in Episcopatu Successorem, e Comitibus, quae tum Posonii habebantur, procurrentem, Nitriae in Crypta Ecclesiae Cathedralis sepultus.

§. 67.

**LXV. *Josephus II.*** Vurum: natus Tyrnaviae anno 1763. Clero Nitriensi adscriptus anno 1781. — absoluto Posonii, et Viennae theologorum studiorum quinquenni cursu anno 1788 Sacerdotio initiatus, mox penes Praesulem suum Franciscum Xav. Fuchs Secretarii Ecclesiastici officio defungi coepit. Postquam a morte Josephi II. Imp. cessantibus generalibus Seminariis, junior Clerus ad suas Dioceses remissus fuit, Dispositione ejusdem Praesulis sui anno 1791 Cathedrae theologicae admittus, in Lyceo Episcopali Nitriensi Historiam Ecclesiasticam, et Jus Canonicum docuit usque annum 1805. Hoc anno ad Archi-Episcopi Francisci Xaverii Agriam, ad neo-erectam Sedem Archi-Episcopalem translatus, supplicationem, ab Imperatore et Rege Francisco Canonicus Metropolitanae Ecclesiae Agriensis nominatus, atque ab Archi-Praesule continuo aegrotante ad Latus in adjutorium assumptus, cui usque mortem, quam anno 1806 obiit, prout etiam in Archi-Episcopatu Successori L. B. Stephano Fischer operam suam in qualitate Canonici

a Latere usque annum 1810 in finem vergentem, commodavit; functus simul eodem tempore in publico Archi-Episcopali Lyceo Agriensi munere Studiorum Directoris. Anno 1810 die 19na Octobris ad dirigens Regni Dicasterium Consiliarius Regius Locumtenentialis renunciatus, eodemque anno 15ta Decem. Electi Episcopi Sardicensis Honorem et Titulum accepit, cum antea jam Titulum Abatis natae Reginae Angelorum de Kompolt ab anno 1807 gessisset. Ad Excelsum Consilium L. R. negotia Cleri tractavit usque annum 1816; inde qua Cantor Metropolitanae Ecclesiae Agriensis die septima Junii anni ejusdem ad Episcopatum Albaregalensem proventus, a Pio VII. P. octavo Kalendas Octobris confirmatus, et Die 10ma Novemb. 1816 in Ecclesia Budensi per Archi-Episcopum Agriensem Stephanum L. B. Fischer consecratus; ab inde Die 21ma Decembris 1831 ad Cathedram Magno-Varadinensem, quae a morte Francisci Miklosii per decennium Antistite destituta fuit, translatus, Romae 19na April. 1822 confirmatus. Praefuit huic Ecclesiae ad annum 1827. Dein Nitriensi Episcopo Josepho Kluch rebus humanis exempto, anno 1827, 25ta Maji in Ecclesia Nitriensi Successor datus, a Leone XII. P. Die 17ma Sept. confirmatus: quam Ecclesiam in praesentiarum regit, et gubernat, *gubernetque quam diutissime!!!*

---



# E r r a t a.

---

<i>Pag.</i>	<i>lin.</i>	<i>errata</i>	<i>corrigen- da.</i>
29.	9.	fide	fide
69.		ultima exponam	exponam
80.	29.	jocundum	jucundum
133.		ultima secundum	secundum
134.	25.	Quod	Quod
146.	16.	Nitrieusis	Nitriensis
155.	5.	Nitrieusem	Nitriensem
157.	15.	tUlmi	Ulmi
207.	—	§. 18.	§. 17.
223.	16.	Sieiliae	Siciliae
227.	15.	Comitatu	Comitatum
243.	27.	Succossoribus	Successoribus
244.	13.	Kl.	Kal.
245.	7.	Croatae	Croatiae
246.	12.	idem	idem
249.	25.	Kall.	Kal.
253.	8.	Litteres	Litteras
255.	17.	Strigonieosi	Strigoniensi
257.	1.	Domium	Dominum
274.	1.	dicti	dicti
279.	20.	Riblin	Ribin
283.	5.	Prividensibus	Prividiensibus
284.	6. et 24.	in Archi-Episcopatu Strigoniensi	in Archi-Episcopis Stri- goniensibus, lin. 24. et Episcopis Agriensibus
291.	21.	supervaneum	supervacaneum
292.	14.	Ecciesiae	Ecclesiae
293.	4.	Montls	Montis
308.	27.	Capo	Campo
—	30.	discretus	discretius
321.	15.	prae dicti	praedicti
324.	25.	nihilomines	nihilominus

<i>Pag.</i>	<i>lin.</i>	<i>errata</i>	<i>corrigena.</i>
330.	11.	Atchi-	Archi-
331.	3.	Sacharias	Zacharias
336.	1.	Luther	Lutheri
362.	18.	Joane	Joanne
363.	12.	1557.	1657.
373.	6.	Capitula	Capitulo
—	ultima	cousensu	consensu
375.	3.	fruetuum	fructuum
386.	12.	Salvaioris	Salvatoris
395.	12.	absqne	absque
—	28.	aliqnali	aliquali
402.	14.	Juventutum	Juventutem
407.	18.	a4itus	aditus
425.	24.	fundatioui	fundationi
449.	2.	aeccpit	accepit
463.	4.	obligatione	obligatio

---







3 2044 036 502 995



200  
1/14



